
Biblioteka Jagiellońska
stdr0000431



Rychlewicz

PARS TERTIA

DE

SACRAMENTO

ORDINIS

AC

BELLO PUBLICO & PRIVATO

Seu Duello,

DE

SACRAMENTO MATRIMONIJ

&

TESTAMENTO LEGATO &c.

DE

SEPULTURA CHRISTI

Fidelium, ac servorum DEI defunctorum,

Accessit.

CRISIS APOLOGETICA

Historica ac Moralis.

DE SEPVLTVRA

SEV

Fama posthuma.

DOCTORIS IOANNIS DVNSII

SCOTI subtilis.

CRACOVIÆ

Typis Nicolai Alexandri Schedel S. R. M,

Ordinar: Typogr: Anno D. 1706.

CRISIS APOLOGETICA
Historica ac Moralis,
DE
Morte & fama posthuma
IOANNIS DVNSII SCOTI FRANCISCANI,
DOCTORIS SVBTILIS,
Principis, ac Coryphæi universalis Scholæ Franciscanæ, Defensoris Immaculatæ Conceptionis V. MARIÆ acerrimi.

Labore atque studio

R. P. Fris BASILIJ RYCHLEWICZ
S. Th: Doct: Patrũ Provinciæ Poloniæ, Ord: Mini Convent: S. FRANCISCI

ex Italico, Latio idiomate translata, & multũ in locũ aucta.

Cum licentia Superiorum.

CRACOVIÆ
Typis Nicolai Alexandri Schedel S. R. M. Ordinar: Typogr: Anno D. 1706.

PROLOQVIVM Auctoris AD LECTOREM.



Olonia Aggripina primum Phœnicem sapientiæ immortalem SVBTILISSIMVM DOCTOREM SCOTVM, primò sua patria coluit, mox ineunte ætate inter domesticos oraculum, inter extraneos miraculum factus, plausus populi, vox ex tuba Ecclesiæ de deserto disertus, verus IOANNIS Antagonista, solis lucifer, luciferi vesper, cum empyreo commercia nexuit terrena cælestibus, humana Divinis copulavit, alter Enos decuit homines cum Deo loqui, interprete ac sequestre vocabulo, hominum authorem, hominibus studio authoravit, rudes instruxit devios reduxit, peccantes increpuit, indociles docuit, prudens puer, sapientissimus vir mâjora scivit, quàm didicerit, plura didicit quàm quæsîerit, plurima retulit quàm obtulerit, & meritò sapiens sapientiæ sapientumque Phœnix, in juventute maturior, in adolescentia promptior Minorum Francisci se abdidit cineribus, ut mundum cohibeat immundum prostituit, ut mundum mundus ornaret, spiritualibus divi-

na condidit, sublimibus angelica inclusit, amorem Matris inquirens dictatrice Maria Divina scripsit oracula. Matrem sibi reperit quâ interprete implicitas lites momento explicuit. Cùm quidquam diceret oraculum esset. hæc regia fama sapientiæ regum scientissimum scientiarum regem, regni immortalis sapientiæ Phænicem incorruptibilem famulum suum erudivit. Tantum ingenium in juvene senum, fructus uberes virtutum protulit, ut meritò nomine suo gratiam spirans multiforme se prædiderit formamentum. hæreticorum in angustiis augustus malleus. incipientium lucerna, controvertentium sphæra, quoties solicitatus, toties prædidit laborem in disciplinis coronam in studio reperit. Ingruentes Andabatarum vexas. impugnationes hæresum, cavillationes ac stultiloquia Begardorum refutans. Matth: Ferchius in vita Scoti cap: 7 num: 27. *ad tantos errores confutandos & corrigendos ductorem se ductrice sapientiâ protulit, motivo non alio, tantùm ut Divino afflatus* Entheo, *cælestia alienos doceret sapere spiritus. Verbo dicam Scotus, sapiens, continens, orator, Theologus, viatorum transitus. gratijs dives, locuplesque meritis, velut cælum stellis omni virtutum ornatus genere, Qui subtilitatis spiritum in speculativis sapientia præ alijs communicavit Ioanni Scoto, vulgo vocatur* DOCTOR *SUBTILIS à* Scaligero *lima veritatis, ab aliijs, cos ingeniorum,*

subti-

subtilitatis miraculum, Seraphicæ Religionis culmen à Cornelio à Lap: Soc: Iesu in cap: 7. sap: *altiùs Scoto nemo, vel doctiùs uno dogmata sacra docet.* Pr. Nicolaus Audek Ord: Carmelit: in sacris poematibus. *Nemo est qui nesciat Scotum esse cotem & limam Theologiæ ac Philosophiæ, quæ in scholis ac eruditis disputationibus triumphare consvevit.* Pr. Leonardi Lessius Soc: Iesu. *Si fas est homini Deum teneri, Scoto Religio, Deusque debent.* Ioannes Baptista Mantuanus in fastis. *Scotus præ altitudine & subtilitate doctrinæ anthonomasticè nomen Doctoris subtilis in scholis obtinuit.* Ioannes de Ragusio Ord: Prædicat: in oratione ad Patres Concilij Basiliani. *Scoti laus quanta sit in Ecclesia & meritò, soli prava mente affecti non conspiciunt.* P. Ambrosius Catharinus Ord: Prædicat: in disput: de Concilio ad Concil: Trident: *Scotus velut sol lucidissimum inter radiantia sydera astrum, acerrimo ingenij acumine, subtilitate ac profunditate abditæ ac reconditæ doctrinæ præ cæteris omnibus subtilissimus Doctor corruscat.* Constantinus Sarnanus S. R. E. Cardinalis in Epist: prælimi-nari operum Antonij Andreæ. *Sacræ Inquisitionis Generalis Tribunali ante annum 1620 præcepit doctrinarum & librorum censoribus, ut quidquid Scoti esset intactum inviolatumque permitterent. Pauli V. Papæ jussu.* Cardina-

lis Asculanus citatus à Cave tao. 5. præfatum decretum hac sacra Congregationis emanatum Anno D. 1612. habet in Prothocolo archivij Romanæ inquisitionis, proindè ejus libri absque erroris nævo, usque in hanc diem trecentos circiter in annos in Oecumenicis concilijs inviolati permanserint. Sciant omnes, SCOTVM ne latum unguem à vera Catholica fide unquā discessisse, aut in minimo puncto de ea dubitasset, sed semper strenuum ac acerrimum ejus defensorem contra hæreticam pravitatem extitisse, contra hæreticos inquam omnes, & specialiter contra Impanatores, quorum Antesignanus fuit Berengarius; Ioannes Bosco Ord: Min: in Academ: Lovaniensi S. Theol: professor disp: 4 de Euch: sect: 4. concl: 2 pag: 128. concludit. Hic stringo calamum non scribendi ardore, sed sincero animo, & discreto zelo justitiæ utique, ac pietatis lege, vindicandi Doctorem subtilem SCOTVM, Magistrum meum ac invictissimum Theologorum Principem, vindicandi inquam à sententijs, calumnijs, imposturis, quæ falsò ei imponuntur ab adversarijs quorum infinitus penè est numerus. Nam etsi scriptum sit: Sagittæ parvulorū factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. psalm: 63. v. 2. placuit tamen eis in faciem resistere, siquidem in hoc Religionis candor non inficitur, nec morum integritas violatur, cùm Apost: ad Galatas, 2. v. 11.

V. II. sibi laudi vertat 'hæc verba: Cùm autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. *Sanè reprehensibiles sunt, qui in Scotum (quem fortè nunquam vel à limine salutârunt, vel propriis oculis inspexerunt, vel manibus tractarunt) invehuntur, cùm ferè omnia Scoti ex D. Augustino sint hausta. Equidem in solis quatuor libris sententiarum nonaginta & quinque sententias Sanctissimi Patris tuetur.* Ioannes Bosco ad Lectorem. *Nemo ergo miretur, si inhærentes vestigiis nostri Doctoris subtilis, frequentiùs verba sanctissimi ac doctissimi Præsulis recitemus verba inquam prorsus invariata, non aliena, sed propriis oculis inspecta. De quo sanctissimo ac doctissimo Præsule extat hoc elogium* ab ore Martini Papæ V. serm: de Translatione S Monicæ emanatum, *si veritatē quæritis, si doctrinā, si sapientiam, si pietatē, quis doctior quis justior, quis ut ita dicam sanctior Augustino? Quo igitur titulo, jure, respectu, ac motivo Doctor subtilis reprehensibilis nuncupatur, atque reputatur, qui ex majori parte solidam ex D. Augustino hausit sanam doctrinam, utpotè ab eo, qui omnium Patrum, sapientumque ingenia ac studia exhibet. Non ergo reprehensibilis Scotus, cujus nulla scientiarum omnium difficultas ingenium evasit, quam non peruaserit acumine, nulla earundem disciplina, quam Oxoniensibus scriptis non tetigerit,*

ut cæteras doctrinas Theologicæ sapientiæ ostenderet ancillari. Sed mirum quòd tot dicterijs, calumnijs, imposturis impetita semper fuit Scoti doctrina, quam inoffenso pede, ut de libris Hilarij scripsit Hieronymus lib, de script: Eccl: recipi posse ostendunt Concilia, Generalia, Florentinum, Lateranense quintum & Tridentinum, quæ nec minimè in fide erroris reum Scotum duxerunt, nec ex ejus operibus aliquid expurgandum judicârunt, cùm accurratam alioquin maximè Tridentini Patres adhibuerint diligentiam in librorum examine doctrinisque expurgandis. Scotum hic culpat tenebris involutum, hic in scribendo inordinatum, iste in inquirendo audacem; apud hunc temerarius auditur, apud illum barbarizans traducitur; taxatur ut mancus; tanquam mordax sugillatur, & eò processit aliquorũ amantia, aut potiùs livor, ut eum cum hæreticis sensisse semipelagianumq; fuisse non dubitaverint. Hæc de Scoto scribunt, proinde reprehensibiles ipsi, ut plurimùm, qui SCOTI textum minimè viderunt, sed relatum ab ijs, qui non æquo oculo illum legerint, & curta fide retulerint, exceperunt. Scoticæ doctrinæ accidit, quod arti sacrarum scripturarum conqueritur Hieronymus. Hanc universi præsumunt, lacerant, antequam discant. Scoto imponunt quod Scoti non est, & ipsum, ut feriant, hostem fingunt. Difficilem ejus intelligentiam probrè vertunt,

tene-

tenebrosum inclamantes, at non advertunt noctuas in tenebris oculatas in lumine cæcutire, visumque ineptum reddi æquè per intensissimum solis splendorem ac per densissimas noctis caligines, Scotica proinde lucis sibi inaccessæ fulgorem, quem ferre non possunt, tenebriones ipsi, ut tenebrosum incusant Hæc Carolus Franciscus de Varesio Ordinis Min: Provin: Reformatæ Pater, ac in familia Cismontana Minorũ Observ: & Refor: Commissarius Generalis ad summum Pontif: Innoc: XI. *Et quod majus est, etiam post mortem ei non parcendo, Apoplexiâ corruptum festinanter humatum publicârunt, quasi in tumulo natura vim morbi excutiente, Scotus revixit, & mugitu miserabili opem imploravit. Cùm verò nemo esset qui subveniret, capite ad lapidem alliso, tandem periit. Sunt tamen qui scribunt & imprimis* Crinitus *eum à discipulis, qui in mortem ejus conspirârunt graphijs confossum esse, sed fallit eos & decipit falsa imaginatio, laborant maximè in nominis æquivoco, de Ioanne Scoto Erigena Monacho non levis est controuersia, dum multi ejus doctrinam, & sanctitatem adstruunt, alij impugnant. Hincmarus Rhemensis* in lib. de Prædestinatione cap: 3. *ipsi ac Prudentio Tricassino errorem attribuit de sacramento Eucharistiæ, quòd in eo tantùm esset memoria Corporis* CHristi, *non assummet verum Corpus, & quòd damnati tantùm recordatione peccatorum*

torque-

torquerentur, qui fuit error Prædestinatianorum, quo sibi aditum facilem parabant ad existimandum reprobros nulla gratia adjuvari, & pro ipsis CHristum non fuisse mortuum. Magis *addit Genebrardus* in Liturgiam D. Dionysij *Gallico idiomate, affirmans ipsum dum pueros in Anglia doceret ipsorum graffijs confossum fuisse ac occisum, quòd errore sacramentariorum eos vellet imbuere, & liber ejus de sacramento altaris in Catalogo librorum prohibitorum Concilij Trident: positus & postea in totum à Clemente VIII. damnatus est. Non enim visum est tolerari posse librum qui ex professo hæresim doceret. Nec aliunde Berengarius existimatur virus hæresis hausisse quàm ex hoc libro, quem propterea tanquam authorem sui erroris in ignem conijcere coactus est in Concilio Romano sub Nicolao II. anno 1059. ut testatur Lanfrancus cap. I. Cur autem Ioannes Scotus ante Berengarium de hac opinione infamatus non fuit, causa est, quod ut hæresim occultaret, librum illum de corpore & sangvine CHristi evulgaverat sub alio nomine Bertrami scilicet senioris presbyteri probatæ fidei & bonæ famæ ne ipse hæresis author haberetur, & nomen libro suo faceret, quem sub Carolo Calvo Imperat: edidit, ut existimat Illustrissimus Archiepiscopus Tolosanus, Petrus Marca literario orbi clarissimus* in epist: ad Lucam Dacherium *præfixa ejus Spicilegij* tomo

2,


2. Secernuntur ergo hi duo Scoti cognomine, nam Benedictinus Ærigena, Franciscanus cognominatur Dunsius. Ærigena sub anno 88. Dunsius 1308 claruit. Ærigena Oxoniensis Academiæ ab Aelfredo rege Angliæ vel instauratæ, vel restauratæ lector primus fuit, Dunsius ibidem legit, sub Edvardo I. Angliæ rege teste Volaterrano lib: 3. Giegraph: cap: vlt Ærigena Græcæ peritus latinam fecit B Dionysij Hierarchiam, ob quam à Nicolao Papa ejus nominis primo reprehenditur apud Carolum Cæsarem secundùm Ioannem Pitseum de Illustribus Angliæ scriptoribus anno 884. & Baronium anno 878 n: 62. Dunsius autem ne Græcè quidem noverat Ærigena in Angliæ Conventu Malmesberiensi discipulorum quos objurgaverat severiùs gladijs seu ferreis stylis occisus & secundùm Cassianum peremptus est Dunsius Coloniæ Aggripinæ spontaneo morbo obijt. Ærigena libros de mysterio Eucharistiæ Synodus Vercellensis sub Leone IX. damnavit juxta Philipp: Bergom: ad annum 1051 Bellarm: contr: tomo 3 lib: 1. cap: 1. de Eucharistia. Dunsij nihil hactenus, aut à summis Pontificibus, aut à Concilijs Oecumenicis, vel Provincialibus est rejectum, annotante Antonio Possevino apparatu sacro de Ioanne Duns: & Bartholuccio in Apologia Scoti syllabo præfixa de Ærigena legantur Ioannes Pitseus. Thomas Dempster in libro inscripto. Asserti

Scotiæ

Scotiæ cives, *maximè in Apologia Matthæi Veglensis pro Scoto. His ergo notis Ioannes Dunsius Scotus Doctor subtilis, à cæteris eadem voce non cognomine indicatis discerni potest. Referam quæ Dominicus Gravina eminentissimi Dominicani Ordinis jubar*, in præscriptionibus Cathol: lib: 1. pag: 188. colum 4. *tradit*. Edvardus (*inquit*) Angliæ Rex Henrici VIII. sangvine & errore hæres, Collegia universitatesque evertit, & scholasticos incusans, eorum libros undique collectos ex bibliothecis feretro impositos rogo consumpsit, clamantibus adolescentulis, funus Scoti & Scotistarũ, *O rabiem truculentam; in omnes quidem Theologos, sed in Scotum speciatim, exertam ceù invisum atrocius. Luculenta sane Scotistis occasio, quò districtu doctrinæ subtilissimæ pungentissimis mucronibus perversam hæreticorũ trucident malitiam, & fideles splendore illustratos ad perditorum libros, velut zizania in fasciculos colligata, justiore igne concremandos impellant. Ab his ergo similibus nugis, & impostur is, injurijs calumnijsque nostrum subtilem Doctorem, utpote integerrimæ vitæ expurgare volentes, acutissimum ad propugnandum & defendendum ejus honorem apprehendimus calamum, desiderantes obnixè operari id, quod operatus est celeberrimus Oratorum Cicero pro suo Cajo Papirio. ejus verba in defensionem Doctoris subtilis allegando*: Pro cuius fama

gloria

gloria, memoria, non secùs ac pro patriis ac delubris propugnandum putarem, ac si pro illius laude mihi arma suscipienda essent, non minùs strenuë libenter caperem, quàm ille pro communi salute cæpit. *Et nos igitur, utpotè maximè notæ famæ, per universum literarium Orbem clarissimi subtilis Doctoris, quamvis indigni & impares discipuli, stringamus calami mucronati gladium, in bonam famam ejus, atque virtutum heroicarum in manifestationem, in defensionem rectitudinis, in honorem illibitatæ ejus doctrinæ, vitæ, & sanctitatis; in obsequium S.R. Ecclesiæ, & solatium decoremque Franciscanæ Religionis & totius Ordinis Seraphici.*



CON-

CONSENSVS.
A. R. P. VALERIANI SZEMBEK

S. T. Doct. Ministri Provincialis, & Commißarij Generalis, Provin. Polon. atq; partis Silesiæ, Prußiæ, Ord: Minor: Conventualium S. FRANCISCI.

CRISIM APOLOGETICAM, Historicam, ac Moralem de morte ac famæ posthuma Doctoris Subtilis ab A. R. Patre Magistro BASILIO RYCHLEWICZ, Patre Provinciæ nostræ Polonæ elaboratam, prævia Censurâ A. R. P. Magistri ADRIANI SKRZETVSKI Patris Provinciæ, Gvardiani Cracoviensis, & A. R. P. Magistri STEPHANI OPATKOWSKI Custodis Cracoviensis, publicæ luci per typum donandam, præsentium virtute, & officij authoritate concedimus, servatis servandis. In fidem Datum in Conventu Nostro S. ANTONII Posnaniæ die 26 Septembris. Anno Domini 1706.

Fr. VALERIANVS SZEMBEK Min. Provin. Commißarius Generalis M. C.

(Locus ✠ Sigilli.) *mp.*

Fr. Valentinus Pruski Secretarius & Aßistens Provincialis. mp.

CAPVT I.

In quo describitur mors, ac justa funebralia Fratris Ioannis Dunsij Scoti subtilis Doctoris, Franciscani.

PRo ea, qua fuit ingenitæ mentis solertia; styloq; altiore, Tertulianus pronunciavit mortem esse *ultimam quæstionem omnium.* Digna tanto viro sententia: existimavit ille vitam hanc mortalem scholam esse, lycæum, palæstram, in qua variæ proponi, discuti & agitari solent quæstiones. Inter has omnium quæstionum ultima & difficillima est mors; quia ejusmodi ei satisfacere ne unus potest, quin succumbat, & se victum fateatur: adeò valida mortis argumenta, potensque telum. Dici etiam fortasse potest mors omnium quæstionum ultima; quia in vita quæruntur multa: quæritur enim divesne quisquam, *& prisco natus ab Inacho.* Quæritur an multis titulis & imaginibus illustris? an multorum armorum gloriâ celebris? an vario disciplinarum genere, doctrinæque supellectile probè instructus? & alia ejus generis quæruntur in omni vita: at à morte silent omnes illæ quæstiones; ideoque mors quæstionum omnium ultima dicitur. Ubi enim contexta totius vitæ series, longiorque cur-

ſus, pro coronide & concluſione additur illud lemma, *& mortuus eſt*; tum altum fit ſilentium. De morte Doctoris ſubtilis quæſtionem habiturus, alias materias, quæ concernunt, vitam, pietatem, &c. ablego, & eis ſilentium impono, & aliò & quidem ſtudio mitto; attamen ſi de his aliqua agitandi & diſcurrendi ſe inſinuare velit occaſio, non niſi reductivè, in ordine ad honorandam, & condecorandam Doctoris ſubtilis mortem & ſepulturam, diſcurſum extendam. *Mors omnium quaſtionum ultima.* Itaque Doctor ſubtilis anno à Chriſti natalibus 1308. Die 8. Novembris, quæ eſt Octava Omnium Sanctorum, ad Sanctorum Omnium communionem evocatus eſt, (a) in una diſputatione publica, quæ creditur fuiſſe, aut cum diſcipulis Magni Adalberti ſuprà punctum de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis, aut cum hereticis Begardijs, ſuprà veritatem fidei catholicæ. (nam iſte præcipuè erant diſputationes, quas Coloniæ tuebatur ac defendebat ſubtilis Doctor) taliter fervore ardens Magiſter, zelo, æmulatione accenſus, ut cum acumine ſpeculationis, cum ardore invectionis, & vivacitate certaminis, liquabilem ſe exceſſivè inſtantibus fecerit humoribus. Interea conventum repetens Doctor ſubtilis, per poros apertos inſtante ſudore & jam confeſtim remiſſo calore, propter læſivam algidorum ſyderum auram, ac ordinariam ipſius in veſtitu paupertatem, invaſit eum morbus letalis, ſuiſque penetralibus ſtrinxit iaculis [b] verùm ſuſceptis devotiſſimè Eccleſiæ Sacramentis, petijt abdita alterius loci, plenus profundo ſilentio; ibique delituit uſque ad Octavam diem Novembris [c] hâc verò imminente ipſâ ſcilicet feſtivitate Octavæ Omnium Sanctorum,

ſuaviter quieſcendo è carcere corporis ſui devotiſſimam exhalavit animam ac dulciſſimè exſpiravit [d] ut gaudeat in regno cœleſti & in eas ſocietatem ipſorum Sanctorum [e] ut piè credimus, ac illius Reginæ regni cæleſtis, cujus fidelis ſervus, defenſor, & partialis devotiſſimus omni vitæ permanſit tempore. Mortuus ergo (iterum repeto) anno Domini 1308 Petri regente naviculam Summo Pontifice Clemente Quinto, vacante imperio mortis causâ Auguſtiſſimi ac Invictiſſimi Imperatoris Alberti [f]. Quis nunc poteſt perpendere quoad ſufficientiam celebris civitatis Coloniæ, mentis ſenſum [g] lachrymas religioſorum, mœrores Fratrum, luctus ac dolores diſcipulorum ? licet equidem bene conſiderabat gloriam, quæ à ſua in ipſius animam redundabat morte, erat tamen rationabile motivum luctûs doloris, ac mœroris ipſius e vivis ſublatio, cernentes ſubreptum cum tanta velocitate defenſorem & athletam fidei, regulam veritatis, fontem Theologiæ religionis decus, honorem famam & ſpeculum probitatis, imò corypheum omnium virtutum. Et cujus animus ſtupori deditus non hærebit, advertendo mortuum in juventutis flore unicum Scotum ? & cujus viſcera non commovebuntur, ſpectando illud fulgidiſſimum os ? illam linguam tantò gratam, hominibus, Angelis, Mariæ, exiſtere ſine loquela ? illud pectus, quod fuit arca locupletiſſima theſauri ſcientiarum reſidere miſerabile privatum virtute ? illam lucernam, quæ illuminabat ſuis virtutum radijs, totum mundum, extinctam apparere ? illum ſolem qui omnia faſtigioſe ſua lucis illuſtrabat claritate eclipſim pati ? fuit certè ab interceptu mortalitalis ejus, nimis gravis mœrendi ac dolendi occaſio.

 caſio.

caſio. Exequiæ illius ſine dubio ſolennitatibus fuere adornatæ [h] pompæ funebrales ceremoniarum debitarum tanto ſapientiæ oraculo edictæ, ut quando civitas Colonienſis ſolâ famâ in ipſius devenerit notitiam, eidem appropinquanti ac advenienti cum magno applauſu & magnifico apparatu obviam venit, eumque honorifice recepit, nec dubium eſt, quòd poſtquam probaverit ejuſdem virtutes, & animadvertit cum ſumma animi lætitia in diſputationibus, tum publicis, tum privatis ſemper triumphantem, cognoveritque ejuſdem valorem, honoravit ſuum de terra ad cælum tranſitum, cum omni funeſta magnificentia. Celebrata ſequenti die [i] ſecundùm conſvetudinem & uſum religionis funeſta officia cum concurſu nobilitatis & populi Colonienſis qui adijt, etiam tumulum cadaveri paratum. Et ſic humatum eſt in Eccleſia Conventûs Ordinis Minorum Conventualium in ipſa civitate Colonienſi in ingreſſu ſacrarij à parte dextra prope altare regis in una fovea ordinaria, quæ fuit excavata in pavimento & ita obductum, tectumque humo. Supra ſepulchrum verò poſitus erat unus lapis, cum quadam honorifica inſcriptione [k] quæ incipit *clauditur hic vivus.* uti infra legetur. Hic requievit corpus ſubtilis Doctoris, uſque ad primam ſuam translationem [l] de qua agemus plura inferius [m]. Migravit è vita ſubtilis Doctor in juventutis flore antequam compleviſſet [n] triginta quatuor ætatis ſuæ annos, præcidit hunc florem fatalis falx tunc, quando majorem ſumebat vigorem ad producendos maturiores fructus. O mors! ô inevitabilis omni viventi animæ! Heu mors permitte licentiam fari, ut in iſta occaſione quæram tui rigoris cauſam. Quare ſic

te sic immisericordem, impiam te monstrasti, scholæ, religioni, mundo? tu enim cum arripis unicum Scotum Scholasticum, solem obtendis nubibus, extinguis religioni lucem, tumulas mundo gloriam. Non conqueror tuos fatales ictus, quia hi ineluctabiles, sed tantùm impetûs ac celeritatis rationem expostulo, dum confodis illum quem natura & congruentia efflagitat. Mori restat cui nasci contigit est primum naturæ debitum. Sed mori confestim illi, qui serò natus est, & vivit honestissimè communi pro beneficio, est una tyrannidis feritas, tyrannicus violentus impetus. Quomodo itaque confudisti & fraudulenter tractasti scientias in majori illarum incremento? quomodo præcidisti aciam sapientibus, quæ ad majorem doctrinæ ducebat possessionem? quomodo concremasti vitæ spem magis florentis? quomodo in pulcherrimo cursu suarum victoriarum illum Scipiadam armis invictum abduxisti, qui fortiter & gloriosè egit, catholicam ob veritatem, veram ob religionem, religiosam ob virtutem? sed jam conjecturâ percipio non deesse, non defuisse talem, qui cum ratione excuset properantem celeritatem istius fatalis ictûs. Quis dicet esse factum ob beneficium scientiarum, extinguere in medio suorum ardorum istam facem, quia si accresceret ulterius ipsius claritas multùm extendens suos radios, subirent periculum facultates amittendi & perdendi opinionem & fidem incomprehensibilium. Quis dicet factum ex literaturæ impotentia, ne sapientes futurorum seculorum, qui essent consternati in solicitudine illustrandi pristinam doctrinam, perdendo robur virium, quam jam invenissent in termino aut inaccessibilem, aut insuperabilem. Quis dicet esse

factum unum æquivocum mortis? quæ ad numerandas periodos illius vitæ admirabilis pro supplemento annorum numerabat heroicas triumphi actiones, & sic ipsam existimavit multorum seculorum. Mihi tamen (si id dicturus sum) videtur istam celeritatem properantem mortis, non esse mundanum accidens, sed gratiam altissimæ providentiæ unius supremi Dei.

Mortuus est Marianus Doctor (secundùm communem naturæ cursum) in meta suorum dierum, sol iste scholasticus in zenith eclipsim felicis suæ cathedræ passus est, non tamen ista præoccupata mors minuit fidem illius gloriæ, quia ipse erat unus homo verè justus, juxta illud *justus* [o] *si morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Pervenit ad gravitatem senectutis, licet ipsi defecerant anni. *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata.* Fuit ipse alter Joannes à B. M. Virgine amatus, *& placens Deo* suæ matris *factus est dilectus*, propterea fecit ipsi Dominus hanc gratiam, *quòd vivus inter peccatores translatus* est ad gloriam. Nam successuri erant illi periculosi & lubrici nimbi, qui ferebantur statim post obitum subtilis Doctoris [p] in Seraphicam Religionem, nempe ille ubertim de Casali, qui titubavit, ex pio ac religioso viro pravi dogmatis auctor factus. Ille verò tempore Ioannis vigesimi secundi [q] ubi succubuit doctior omnibus, & sic ob singularem favorem Divinæ misericordiæ Doctor Marianus, *raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Et licet sua scientia sic fuerit benè fundata, ac etiam conscientia ejusdem candore puritatis plena, attamen disordinatis perturbationibus

peri-

periculum deerat incontinentiæ, superbiæ, *fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia transvertit sensum sine malitia.* Fecit id intensa in hoc mirabili homine gratiæ abundantia, quod factura erat sua longæva & extensa vita, egit licet brevi in spatio multorum seculorum præclara ac egregia facinora, *consumatus in brevi explevit tempora multa.* Pervenit ad unam summam virtutum altitudinem, consecutusque est cacumen meritorum eminens, hinc irruens super eum unus turbo devius, lunare voluit insontem criminis: Dominus verò properavit ad tollendum eundem de medio periculi. *Placita enim erat Deo anima illius propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Itaque hanc ob causam festinata mors nostri subtilissimi Magistri fuit grata altissimæ providentiæ, quare æmuli invidentes eidem gloriam qualem deprædicabat ipsemet populus, *videntes & non intelligentes, nec potentes in pracordijs talia*: mutârunt malitiosè gratiam in contumeliam, misericordiam in castigationem, excogitando fabulas, promulgando indignas infamias ad renunciandum. Sed quid? *condemnat justus mortuus vivos impios & juventus celerius consumata longam vitam injusti.* Illis abstulit æmulationem, lucem intellectûs, illos fecit lumine carentes ipsa eorum malitia, & sic *videbunt finem sapientis & non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus & quare munierit illum Dominus, videbunt & contemnent eum*, linguis suis colubriferas super eum moventes Eumenides. Sed hac de ratione *illos Deus irridebit.* Faciet emergi veritatem, quando indicati doli disturbatæ fictiones, superatæ falsitates permanebunt, *post hac decidentes sine honore & in contumelia*, ad majo-

rem innocentiæ gloriam, & exemplarem malitiæ castigationem.

a Resumitur, *Ferch: & Vading: in vita Scoti cit. lo: n. 46. Alphon: Briz: in vita Scot: S. 21. id colligentes ex epitaph: Scoti funebri appenso dicente: Scotus in obitu ultima verba dedit. cui consentit Ioan: Eckius in suo Chr: scentur. 1. in appen: ubi post relatam Scoti disp: Coloni habitam pro immacul: concept: subdit statim,* post hoc *debitum naturæ persolvit Scotus.*

b *Vading: & Briz: loc: cit.*

c Tabula defunct: Fratrum: *Coloni apud Ferch: cit: num: 24. Trith: in chron: Hirsagien: anno 1308. & omnes script: vita Scoti*

d *Epitaph: Scot: ibi: carere composito.*

e *Epitaph: Scot: ibi:* propria dulcedine legum venit, *Dermic: in Nitel: Franc: fol: 70. Mich: Oyer: Orat: encomiast: fol: 29. in fine. Perh: Vading: & Briz: cit.*

f Monumenta antiqua & publica Coloniæ & omnes Historici agentes de Scoto ante Bzovium videantur apud *Ferch: lib. 1. Apolog: n. 7. & 8.*

g *Ex Ferch: in vita Scoti cap: 8. n. 28. & Oyer: Aug: orat: encomi: fol. 15.*

h *Marian Florent lib: 3. sua historia Seraph: cap: 15.* honorificè sepultum ait *Marc: Vlisponen: in chron: Franc: 2. p. lib: 7 cap: 3.* ingenti dolore & magna veneratione sepultum asserit.

i *Ferch in vita Scot: cap: 8. num. 28.*

k *Trith in chron: Hirsagien: ad annum Ferch: cit: Vading: & alij.*

l Liber antiquissimus manu scriptus Coloniensis in biblio: Convent: Coloniæ asservatus teste *Matth: Ferchio loc: cit.*

m Infra in hoc *libro: cap: 8.*

9

n *Epitaph: Scoti ibi*: tempora post Christi propria dulcedine letum venit. *Et ibi*: in teneris annis. *Et scriptores Vita Scoti communiter.*

o *Sap: 4. num: 7*

p *Vadingi tomo 3. Annal: ad annum 1310. n. nu: 2. ad annum 1312. n. 5. & ad ann: 1317. num: 16.*

q *Vading; ibidem ad annum 1322. & sequentibus.*

CAPVT II.

In quo describitur fabula circa mortem Doctoris subtilis, & origo ejusdem.

SIc in veritate evenit mors subtilis Doctoris, sicuti relata ac enarrata est, in capitulo præcedenti: & sic fuit pariter æstimata ac publicata ab omnibus authoribus per duo continuata secula, quæ post ipsius mortem sequebantur, nullo existente [a] qui scripserit aliquid in contrarium, aut qui attingeret res singulariores circa suam dulcissimam exspirationem & sepulchrum, usque dum cogitatio tacita ac inanis æmulorum mota futiliter cepit fingere vanitates, & simulare falsitates. Elapsis ducentis annis [b] & pluribus post mortem subtilis Doctoris, Paulus Iovius Italus [c] Magistrum nostrum exhalantem visitavit, sed non ad restituendam eidem sanitatem. Hic in uno libro cui titulus [d] Elogia hominum Doctorum sapientum, perveniendo ad subtilissimum Doctorem, Joannem Duns Scotum, admirandum athletam defensorem primæ reputationis nimirum innocentiæ originalis Reginæ cælorum, & magi-

Magistrum Universalem scholæ Seraphicæ in locum elogij ipsi effinxit, unam satyram, in qua ultra injurias illi illatas, quas retulit quidam noster & quidem doctissimè & sincerissimè *Minor Conventualis*: [e] excogitavit alias, inhians penitùs evellere de doctrina ejus maximè de Theologia scholastica summam fidem & opinionem per universum jam orbem sparsam, sine ullo probabili motiuo, proindè [f] sequentem ratione mortis subtilis Doctoris finxit fabulam. Dixit subtilem Doctorem in pœnam alicujus peccati abditi aut aperti punitum fuisse, unà cum tali resolutione neruorum seu apoplexia vivum sepultum fuisse, qui in sepulchro postmodum agitatione mentis ad se reversus auxilium implorabat, ibi calamitosè vociferando, & cùm sic ejularet, longo tempore prope ad lapidem, quo claudebatur fornix, omnesque huic subvenire recusarent, sublato clamore, extremò fractis sibi cervicibus exspiravit, sicque suæ vitæ imposuit terminum. Hoc totum scripsit Iovius, nullum citando authorem, nec adducendo traditiones, nec edendo aliqua testimonia, sed solùm confisus suæ propriæ fidelitati & opinioni exponendo totum hoc cum tanta audacia, libertate, vix non dicam temeritate, quasi vixisset tempore subtilis Doctoris & præsens tempore mortis ipsius, quod totum ante duo secula elapsum fuit priusquam ipse Iovius nasceretur. [g] Talis est veritas istius primi authoris de ficta morte, quæ attribuitur subtili Doctori Scoto, qualis fuit veritas Ovidij de illa metamorphosi ac Æsopo illius fabulæ, ego non curo nec desidero id explicare & exponere, legat qui vult unum & alterum authorem [g] qui sufficienter de hoc scribunt & tractant. Quis ipsi

daret

daret motivum ut falsè describeret ipsius subtilis Doctoris mortem? quis ipsi dictaret inventionem talis fabulosæ & fictæ mortis? non curo me habere talis fictæ & excogitatæ inventionis rationem, scio tamen bene illum inventorem nullum habere id faciendi motivum, nam licetsi subtilis Doctor secundùm scholasticum ritum multas opiniones Catholicorum Doctorum impugnaverit, hoc tamen fecit cum modestia singulari in suis verbis, & cum tanta ratione & respectu subiectorum ad prosecutionem odiosam. Omnibus enim in suis scriptis & disputationibus semper observabat humanitatis terminos. In disputatione, quæ excerpta magis ex pectore & assumpta fuit ob singulare pignus Immaculatæ Conceptionis ter Optimi Dei Matris, aspexit: & admiratus est, summam ipsius temperantiam Magister Ioannes S. Thomæ filius illustris familiæ Dominicanæ, & sinceritate quasi cordiali professus est [h] Scotum esse Doctorem modestissimum; attamen subtilis Doctor cum tanta maturitate & temperantia verborum hoc tractavit punctum, in quo posteritati magnum mirum reliquit exemplum. Satis est, certum esse Scotum causam non dedisse quà provocaret aliquem ad faciendam ipsi [i] hanc magnam injuriam. Mortis naturalis & veræ nostri subtilis Doctoris habemus testimonium ab ipsius antiqua sepulchri inscriptione [k] quod fuit ipsius mortis occasio, calor, ardor, zelus in una disputatione, licetsi dubitetur vtrum ista fuerit cum hereticis Begardiis ob refutandos illorum errores, aut etiam cum Catholicis ob propugnandum innocentiæ originalis B. V Mariæ punctum; mortis fabulosæ, qualis recensita fuit, licetsi ipsius habeatur author, causæ tamen ejusdem certè

noti-

notitia haberi nequit. Notum est tamen qui fuerunt primi authores, & qui suis operibus hanc fabulosam inculcavêre Scoti subtilis mortem. Post centum annos immediatè ego invenio duos authores, qui machinatione intenti obscurandi lucidissimam subtilis Doctoris Mariani famam immiscuêre suis libris hanc tragicam mortis Doctoris fabulam. Unus est Joannes Casus [l] Anglicus hereticus calvinista. Secundi quidam fuere authores Catholici [m] Nec est dubium esse gloriam subtilis Doctoris & ipsius scholæ eò, quod ab uno iniquè heretico pungatur, sicque supportabile esse censetur, quòd unus talis nomine Semei nostrum execretur Davidem [n] Etenim scimus quòd supremus Deus pro tali maledictione ipsum implebit usque ad summùm suis benedictionibus, sed quòd quidam Catholicorum tam existimatæ virtutis, & maximæ notæ se immiscuerint ad suffigendum subtilem Scotum principem scholæ Minoritarum, colligendo tantas narrationes fictas contra honorem ipsius, invidia jam ista considerationis insuperabilis est, estque materia altioris judicij. [o] Impertire veniam ô benigne lector, justus dolor est amaritudo pænæ. [p] *Si inimicus meus* (flebat regalis Propheta) *maledixisset mihi* [q] *sustinuissem ubique, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò unanimis, dux meus, & notus meus qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Quod unus hereticus membrum ab Ecclesia recisum infamaverit unum Doctorem sic Catholicum, parvi existimo: quòd unus author loquax & cupidus inter tantas alias excogitaverit unam fabularum contra Doctorem Minorem, inopem cunctis terrenis bonis ac possessionibus ipsius, toleramus igno-

ignominiam. Sed quòd homines uniformis fidei, [r] qui in eadem semitâ, viâ perfectionis ambulant nobiscum cum consensu cooperantur ad aggrauandum unum hominem omnibus virtutibus amplissimè ornatum, unum principem scholæ Catholicæ, unum Magistrum religiosus seraphicæi, unum Scotum, & in ipso omnem familiam Monoritarum, sic bene Ecclesiæ Dei meritam, nullo modo tale nefas injuriæ obtegi potest. Inter tot contra Cæsarem vibratos gladios, ex his unius solum expostulavit rationem, illius nempe filij: *tu quoque Brute fili mi* : & inter tot pœnas quæ contra subtilem Doctorem fuêre solùm aliquorum Catholicorum rationem expostulo, hac tamen omissâ minimè miror, eò, quia Scotus, Frater Minor erat, & adinveniuntur exempla in sacris Scripturis Fratrum Minorum injustè exagitatorum. Primus Frater minor Abel [s] suam propter innocentiam per manus Caim mortuus est. Fecis exulem Iacobum [t] odium quo ardebat contra eum major Frater Esau obtentam ob benedictionem à patre matris suæ gratiâ. Sepelierunt vivum Josephum majores Fratres [u] eò, quia ipsi somnia omnem augurabant prosperitatem. David cum fuerit domi patris, minor fuit suo fratre, maledictionibus affectus [x] solùm eò, quia humanitate plenus erat. Ergo non est magni momenti, unum Scotum amatum à divina Rebacca, consecratum somnijs pro Doctore originalis innocentiæ Mariæ, valoris incomparabilis in militia scholastica, habere aliquos fratres uniformes fidei qui procurant offendere eundem usque ad sepeliendum vivum; sed transeamus ad defendendam veritatem, sequentibus capitibus.

[a] *Constabit ex sequentibus capitibus.*

b *Ferchius lib: 3. Apolog: in Iovium n. 28*

c *Georgius Herabatus in sillabo errorum Bzovij in Germania commissorum.*

d *Paulus Iovius in lib: pranotato Elogia Doct: virorum elog: 3.*

e *Frater Bonavent: de Bottis lib: 3. de vita Scoti cap: 6.*

f *Ferch: lib 3. Apolog: n. 46. in fine Dermic: in Nitel Franc folio 20. §. quod vlt.*

g *Aubert Mireus in chron: Ioseph Scaliger in vita P. Iulij Casaris Scaligeri. Iustus Lipsius lib: 1 politicorum cap: 9. Possevin: in sua Biblio: lib: 16. cap: 42. Melchior Canus de locis Theolog lib: 11. cap: penult: fol: 656. Bartolucius in Apolog. ante syllabum Scoti. Professor Lovaniensis apud Cavell: in Apolog cap: 7. Dermic in Nitela Franc: fol: 19. Wading: in vita Scoti cap: 9. n. 36 Georgius Hervartus in syllabo errorum Bzovij Ioannes Botterus in dictis memorabilibus. Ferch lib: 3. Apolog in Iovium num: 8. & plures alij.*

h *Ioan: à S. Thoma tomo 1. in 1. parte tract: praamb: de auctoritate doctor: D. Thoma disp: 2. artic: 2. §. his plani litteris.*

i *Ferchius in vita Scoti c. 11. n. 41.*

k *Epitaph: Scoti ibi:* Scotus in obiectis ultima verba dedit.

l *Ioan: Casus haret: Angl. calvinist: in summa Dialectica.*

m *Abracham Bzovius in suis Annal: ad annum 1294.*

n *1. Reg: 16.*

o *Ex Matth: Ferch: lib: 2. Apol: in Bzovianum: num: 1. & sequent.*

p *Vide infra cap: 6.*

q *Psalm 84. num: 13.*

(1)

r Ioan: Garzon in Vita S. P. Dominici Thomas Bozius de signis Eccles: lib: 7. cap: 1.
s Genes: 4. num: 8.
t Genes: 27. num: 44.
u Genes: 37. num: 24.

CAPVT III.

In quo describitur aperta propositæ mortis subtilis Doctoris falsitas cum evidentia historica.

IN materijs extraordinarijs & antiquis fingere nullo imputatur labori, difficillimum tamen convincere falsitatem, quandoquidem ad fictionis procreationem sola libera despotica ab omni lege sufficit phantasia, at verò ad convincendam fictionis falsitatem, maturum requiritur vivaxque judicium, & in multis antiquitatis notitijs dependentibus à legibus veritatis ac historiæ omninò peritum atque expertum. Finxit Iovius illam extraordinariam subtilis Doctoris mortem post duo secula, equidem benè sufficeret sola authoris fama, qui se existimabat bonæ & rectæ reputationis, opinionis, existimationis (a) esse istius fabulæ primum inventorem, ut de eadem, non sic facilè arbitrarentur sapientes, verumtamen non obstaret faciliter tantæ æmulationi impulsus, quo fallacissimus convinceretur dolus post tot currentia annalia tempora; si providentia Divina (ob specialem favorem sicuti piè credimus Reginæ cæli) non conservaret testimonia antiquitatis ad ostendendam veritatis fidem, & non adderet animum

erudi-

eruditione, sapientiâ subjectis plenis, ad defendendum eum (b) His ducibus sequor probationes ut agerem juxta omnes bonas historiæ regulas, sumo pro norma illam quam instruit Eminentissimus Cardinalis Baronius pro profligandis falsitatibus simi ium factionum. Ipse [c] ratione mendacii facti duarum fabularum quas vulgus imperitum recensebat, & alij authores minùs prudentes scripserunt in venerabilem Bedam Prima est, quod hic sanctus fuerit visu privatus. Secunda, quòd titulus venerabilis Bedæ fuerit positus per manus Angelorum in epitaphio ejusdem, id totum probando tribus rationibus. Prima est silentium omnium antiquorum, quod non est credibile in re tam singulari unius hominis doctrinâ eminentis & continua occupatione scripturaram. Secunda, testimonia illorum, qui cum exactione clarificarunt circumstantias ejusdem sepulchri sicuti Abbas (d) Trithemius. Tertia, sepulchrum ipsum, quod (e] contradicit fabulosæ narrationi. Cum his tribus rationibus Cardinalis censetur cæcitatis V Bedæ, & tituli supra scripti ad lapidem ejusdem sepulchri superare & evincere fictionem, creditque permanere exclusam uti vanam, sic infructuosam fabulam, quæ in multis causabat fidem & consensum. Cum ijsdem rationibus, quæ nostro in casu, magis urgentibus circumstantijs convincunt Iovium, ego quoque accedo ad demonstrandam fictam & falsam fabulam, & excogitatam tam horrendam mortem, quam ille adscripsit nostro subtili Doctori Scoto. Itaque prima ratio [f] est silentium omnium authorum, historicorum, & scholasticorum, æmulorum & amicorum du-

obus

ribus seculis à morte subtilis Doctoris, & licet hoc argumentum videatur esse authoritatis negativæ, attamen ob circumstantias, quæ concurrunt ad hunc casum fortissimè convincit & annihilat fabulam. Munus enim historicorum est [g) narrare de subjectis, quorum materiam tractant, specialiter tamen si sunt insignia, & magnæ æstimationis res, gestaque excellentiora, aut successuum formidabilium, aut casuum extraordinariorum. Quid namque formidabilius rariusque reperiri valet, unius Doctoris Scoti tragicâ morte, quam ipsi adscribit Iovius? Acta Scoti cum titulo celebri, historici omnes duorum seculorum [præcipuè Germani præclarissimi indagatores antiquitatis Coloniæ] ubi obijt subtilis Doctor, uti est unus Gotfridus monachus sancti Pantaleonis (h) in historia Colonien: Abbas Trithemius &c. Milmanus in illis Coloniæ, etiam minimas circumstantias mortis subtilis Doctoris, scilicet civitatem, conventum in quo fatis cessit, Ecclesiam partemque determinatã, ubi sepultus est & postmodum translationem ipsius corporis, annum, mensẽ, diem, sui obitus, d scribunt, nullam tamen faciunt infelicissimi successus mentionem, nec aliquam proprietatem, aut particularitatem istius funebris describendo trajectûs; Itaque apparet manifesta veritas, atque certitudo, hanc dictam fabulosam fictamque subtilis Doctoris esse mortem. Nec jam retorsionis reflexioni dandus est locus, nam aut condemnandi essent omnes illi prædicti historici, qui acta in suis annalibus promulgârunt, ac scripserunt illis duobus seculis, inter quos connumerandus esset S. Antoninus Archiepiscopus Florentiæ, decus &

 splen-

ſplendor celeberrimæ Religionis Ord: Prædicat: [i] qui in ſua hiſtoria facit honorificam Doctoris ſubtilis mentionem, & nullam ipſius mortem ſic infelicem deſcribit, aut caſum narrat, & multò magis, dum iſti ſpecificati hoſtorici (k) nec etiam res minoris momenti obtegere ſolent, aut ſi auditur hæc narratio tam infeliciſſimi caſûs, ac ſucceſſûs uti fabuloſa pedimus conculcanda eſt.

Confirmat non minùs hanc rationem ſilentium ſcholaſticorum oppoſitorum ſubtili Doctori auctorum ſaltem illorum primi ſeculi, à quorum facie non ſe poſſet abſcondere, ſi eveniret hic tragicus ac infeliciſſimus ſucceſſus. Okam inimicus domeſticus (l) qui nec lapidē præterierit, quin prius moverit eundem ad moliendam Doctoris ſubtilis ſuique magiſtri doctrinam, fruereturque lapide ſepulchri ad excidendam eandem. Herveus, qui permanebat Coloniæ illo tempore quo (m] ſubtilis Doctor fatis ceſſit. Paludanus [n] vir magnæ exiſtimationis & notæ illis temporibus, Capreolus [o] ſcriptor ejuſdem ſeculi, qui omnes ſi habuiſſent notitiam unius caſus ſic gravis ac deſperatæ ſubtilis Doctoris Scoti mortis, impedirent ſtudentes proſequi ſcholam ipſius, dareque fidem ac exiſtimationem ejus, doctrinæ ſummam & optimam. Si hi primi Doctores ſic oppoſiti ſubtili Doctori Scoto intellexiſſent hunc infelicem fictum tamen fabuloſæ mortis ſucceſſum, non procurarent cum tanta applicatione ejuſdem contrarias Angelico Doctori ſententias, ſed ad tollendam illam exiſtimationem acceptationem & auctoritatem earundem ſufficeret narrare, aut pro parte laconicè pauliſper

tangere

tangere & insinuare hunc infelicem in suis scriptis casum. Adest majus robur, argumentum silentij æmulorum iniquè zelantium, qui abjectâ modestiâ proclamabant ut hæreticam subtilis Doctoris circa Immaculatam Conceptionem opinionem [p] toto primo seculo, ac secundi in parte seculi, sicuti Montefontis, Ioannes Thomas, & ejusdem sequaces, Nicolaus Eymericus, Anonimus & alij sine aliqua [scripturæ nota mortis ejusdem subtilis Doctoris, signum clarissimum ac evidens est illo tempore non esse adinventam hanc fabulam, aliter isti, qui suscitârunt majores injurias, & aliqui qui nec ipsi Assisiensi pepercerunt leriphino [q] non tacerent, cùm sit sufficientissima ad tolerandam auctori piæ sententiæ jacturam. Hinc demon licet pater mendaciorum, solùm ausus fuit affirmare [r] Scotum in purgatorio detineri & illud pertransire, tantùm ob hanc causam, quòd nimirum dederit occasionem Fratribus Minorum defendendi originalem Virginis Mariæ puritatem, non verò quòd desperatione agitatus suæ vitæ imposuerit metam, ad quam propinquat Iovius, sicque demonstratio evidens est hanc fabulam unam sic esse dissonam veritati ut nec ipsi proclamatori mendaciorum benè placuerit.

Quantum postmodùm ad silentium amicorum hoc nihil attingere patet: siquidem hi non scripsissent illa, quæ non æquiparentur illi falsæ ac fictæ morti. Antonius ejusdem discipulus (s) eum nominavit Doctorem excellentissimum plenum famâ & memoriâ benedicta, Venerabilis servus Dei Bartholomæus de Pisis [t] ejusdem contemporaneus in libro conformitatum appro-

bato in Capitulo Generali Assisiensi Anno Dni 1399 pro toto Ordine testimonium dat, Scotum fuisse hominem æternæ memoriæ propter opera mirabiliter in lucem edita, & factum esse Coloniæ ab Altissimo præsentem in præmium virtutis, & religionis Fratrum hujus Provinciæ. Ad ultimum connumerat eum (u) inter illos homines, qui ibi in opinione sanctitatis fatis cessêre, Marianus Florentinus historicus fidelis Ordinis seraphici, qui seculo immediato doctrinâ, sapientiâ, existimatione floruit, his verbis subtilis Doctoris descripsit mortem. [x] *Finaliter Scotus Colonia brevi dedit vita sua metam, clausitque ejusdem terminum, & progressus est ad recipienda æterna præmia ob sua mirabilia edita opera, & hic in conventu Coloniensi Agrippina Germania inferioris fuit honorifice sepultus, & maximâ ab hominibus colitur veneratione:* In hac conformitate omnes historici Religionis non solû describunt & connumerant Scotum inter Doctores excellentissimos, [y] verùm etiam inter homines claros ac nitentes lumine virtutis, qui post fata sua odorem sanctitatis reliquère. Itaque quomodo possunt concordari insimul opinio bonitatis ac felicissimi successûs ejusdem interruptis continuatis binis seculis de morte subtilis Scoti usque ad tempus Iovij, & mortis sic desperatæ infamia? fortassis vellet habere suspicionem calumnia omnes Franciscanos scriptores hac in parte mendaces permanere? est moraliter impossibile, nam si fuisset vera illa mors, advertendo aliquis illis primis seculis Scotum connumeratum inter homines in opinione sanctitatis mortuos excitaret sepulchri pulverem ad subijciendum eundem

dem oculis nostris authoribus Finaliter nullus ibi fuit [z) aut historicus, [aut scholasticus, aut æmulus, aut amicus, qui describeret mortis subtilis Doctoris fatalem casum, solùm Iovius eam describit cum egregia suæ eloquentiæ forma, sed hic lentè natus, lentiùs adhuc resuscitatus est; quoniam elapsis jam ducentis, post eventum ipsius mortis annis advenerit, hac de causa suam authoritatem fallacem authorum prioris seculi silentio opponere non valet, quæ est ratio prima ad convincendam fictam fabulam ejus intentionis.

Secunda ratio deducta ab illo, (prout ipsi dicunt] observante cum omni advertentia circumstantias Doct: subtilis, & concludunt ex hoc evidentiam positivam. (a] Abbas Trithemius [ad sequendam etiam in authore probationem Baronij] postquam investigaverit Coloniæ per seipsum omnes antiquitates, & adverterit historias particulares Colonienses præcipuè illam Godfridi Monachi S. Pantaleonis, sicut ipsemet affirmat (b) inter circumstantias, quas scribit de morte Scoti, assignat situm in quo fuit sepultus, dicendo fuisse eundem sepultum in Ecclesia Fratrum Minorum Coloniæ in ingressu sacrarij. Cum hac notitia Matthæus Ferchius noster existens Coloniæ, voluit investigare summa cum diligentia [ut ipse testatur] (c] aliquem fornicem aut sepulchrum concavum vel concameratum sicuti delineabat Iovius, sed tamen, non solùm illam concavitatem, verùm nec quidem vestigium ejus, aut minimum signum sepulchri concamerati adinvenit. Itaque Scotus non fuit sepultus in fornice aut in sepulchro concavo vel concamerato, at

in una fovea, aut sepulchro ordinario humo cooperto. Cum hac evidentia istius loci tota cedit Iovij fabula, & redditur risu plenum illud fabulosum mendacium. Quomodo namque voluit subtilis Doctor se ipsum revolvere, siquidem terrâ coopertus & eadem suffocatus erat? quomodo gemitus, ululatus, rumores, clamores, de ore suo prodere poterat, cùm necessarium erat apertum os terrâ impleri? per qualem clibanum suam edere vocem? quo àére respirare [? quomodo appropinquare illi lapidi mediante tanto pondere terræ? quomodo movere caput ad offendendũ se ipsum & occidendũ siquidẽ sic in angusto loco positus fuerat? Jtaque irridenda est hæc Iovij fabula nullam sui proprietatem & fundamentum habens.

Confirmatur ratio ex antiquis scriptoribus qui præcesserunt Iovium, duo solùm, [utrumque veterum actorum apertum de visu testimonium præcipuè Coloniensium] assignant situm determinatum sepulchri subtilis Doctoris, Abbas Trithemius [d] in ingressu sacrarij ubi fuit primariò sepultus. Milmanus [e] medium chori ubi post aliquot annorum suæ mortis fuit translatus in una honorifica tumba. Unum & alium locum quæsivit cum scrupulosa solicitudine curiositas [f] & in nullo horum etiam minimum vestigij invenire poterat signum, quòd ibi esset evacuatum seu concameratum sepulchrum, sicuti testimonium adfert Ferchius, exponendo illud censuræ ipsius mundi cum evidentia notitiæ, nec tumulus, ad quem fuit translatus prima vice evacuatus erat, sed [g] erat una simplex urna lapidea duos pedes in quadriangulum habens, in quo servabantur

ipsius

ipsius Doctoris' ossa eooperta aliquantum humo, quæ prius de tumulo effossa fuerunt,; Itaque quidquid narravit Iovius de fornice ac sepulchro concamerato subtilis Doctoris, totum est mera fictio ac excogitata fabula. Et ne locus refugio malitiosè detur, concluditur hoc clarissimo dilemmate Aut fornix, in quo finxit Iovius fuisse sepultum Scotum erat communis alijs, aut specialiter fabricatus ob illius causam. Communis esse non poterat, quia apud sanctum Franciscum Coloniæ non reperitur sepulchrum evacuatum seu concameratum [h] in templo, aut in aliqua parte monasterij, nec vestigium aut memoria, quòd ibidem fuerit, & aliquo alio videretur tempore, & quodquod fuerunt Lectores, Magistri, Provinciales: Coloniæ sic ante mortem, sicut etiam post fata subtilis Doctoris, sepultique fuerunt in foveis aut sepulchris evulsis, imponebatur eis causâ honoris supra sepulchrum unus lapis, ut etiam erat superpositus monumento subtilis Doctoris, secundùm testimonium Ferchij hujus veritatis indagatorem apertissimũ. Aut ille fornix ob causã ipsius Scoti specialiter erat fabricat⁹. Est res certa non fuisse prius exstructum suâ morte, nullus enim fortassis existimabat eundem Coloniæ moriturum, uti erigendum ad majora hominem in juvenili permanentem flore? si itaque fabricaretur post ipsius mortem in effodiendis fundamentis in elaborando opere effluerет tunc magnum temporis spatium, in quo ipsemet Scotus morbo sic letali affectus excitaretur à somno: ah quis narrator privabit lumine oculos malitiâ plenos, patente visione harum evidentiarum.

Epitaphia quæ sunt instrumenta publica an-

tiquitatis, subministrant non unam, at multas falsitatis demonstrationes fictæ fabulæ Iovij Illud, quod [i] statim ac Scotus fuerit mortuus, fuit sculptum in lapide, qui cooperiebat ipsius tumbam, est tam honorificum, sicut omnia, quæ fuerunt immediatè apposita Doctorib⁹ mortuis, cum opinione sanctitatis. In ipso appellatus Scotus fons Ecclesiæ, flumen vivum, doctor justitiæ, flos studij, arca sapientiæ, ardens ingenio, facilis in explicanda sacra scriptura, adornatus virtutibus, dux Clericorum, lux claustri, tuba veritatis. Verùm quidem est, hoc epitaphium fuisse compositum post mortem subtilis Doctoris Scoti & fuisse insculptum lapidi, post finita funebralia officia, hinc si fuisset vera fabula Iovij, jam evenisset vera ante epitaphij inscriptionem. Igitur quomodo credibile est ut uni homini sic infelici morte oppresso planè ex signis desperato, imponatur epitaphium tam gloriosum in conspectu Coloniæ & æmulorum ipsius in Coloniensi permanentium civitate, sensus est caudice non codice dignus. Illud autem quod fuit adscriptum primo epitaphio [k] quando translata fuêre ossa subtilis Doctoris ad sepulchrum exstructum in medio chori sub una campana magna pendente de super, facit mentionem sui primi tumuli, narrando: fuisse prius sepultum in terra, postea translatum in illud honorificum monumentum: testimonio, quod tribuit vim ac robur argumentis rationis secundæ, postquam fuerit Scotus sepultus in terra mortuus, attribuitur unum figmentum, ac mendacium Iovinianæ fabulæ. Eidem etiam attribuitur aliud figmentum aliud mendacium majori evidentia

(l) ex illo epigrammate antiquissimo, quod affixum huic erat monumento, cui impressum fuerat venire mortem ad subtilem Doctorem cum pvopria ipsius dulcedine, composito carcere sui corporis, verùm ista dulcedo amaritudine replet Iovium. Est mors dulcis illa quam finxit iste scriptor, tam plena angustijs horroribus, & desperatione, ut eam nec ipsum cælum similiter absque æmulo mærentis remittat. Sic contraria fuit vera mors subtilissimi Doctoris illi, quam imponit Iovius Scoto, qui nec patiebatur angores animi, nec illos motus corporis quales ad latus juvenum tempore mortis assistere solent & hanc singularitatem voluit exprimere & significare illud epigramma, dicendo: (m) Subtilissimi Doctoris dulcissimè efflatum esse spiritum, sine ullis motibus corporis, carceris; unde animam DEo reddendo suaviter exspiravit. Conjungat qui vult amaritudinem fictæ fabulæ Iovij cum dulcedine relationis istius epitaphij, quod benè judicium cognoscit, facere & operari quæ sunt artis, & congregare repugnantias, cui placet sustinere illas fictiones sic perturbatas. Ista sunt media quæ tenet & illis utitur facultas historica ad convincendam perfidiam fabularum, quas de rebus antiquis & extraordinarijs solet excogitare futilitas ac malitia humana. Concurrunt omnia tria cum tanta efficacia in nostro casu, ut ad nostrum sensum dent claram evidentiam illius mortis, quam imposuit Iovius Scoto esse meram fabulam. Et adhuc videtur specialis providentia Dei, nimirum reperiri instrumenta ad convicendam illam fabulosam & manifestam falsitatem, sciendo histori-

as communitér [non reperto aliquo speciali in morte alicujus subjecti] (n) ad summum quietari peritiâ, ubi & quando quis moritur, vel mortuus est, sine narratione & enumeratione, quoties adjutus â medico sicque si ibi adfuisset hæc singularitas mortis subtilis Doctoris, historiæ eandem de facili non transirent. Ultra has rationes non est possibile deducere majorem in simili casu evidentiam; quia oportebat, ut illi: qui assistebant morti Doct: subtilis, divinarent: quomodo post ducentos annos venturus erat Jovius ad hos errores publicandos? [o] Hinc iter arriperent ad præcidendos ipsius passus veloces in contumeliam subtilis Doctoris, testimonio juridico ut deponeret nullum illorum esse successum in ejusdem mortis casu, uti haberentur probationes evidentiores, his quæ adductæ manent. Si non sufficit illud, totum quod dictum est, dicat mihi ille, qui majori amore prosequiiur Iovium: Si modò advenisset voluntas alicui scriptori fingendi mortuum esse Iovium desperatum quibus instrumentis uteretur, ad convincendam hanc inventam ante centum annos falsitatem? Certum est, quodsi applicuisset istud mendacium alijs antiquis magnæ notæ ac existimationis subjectis, non tamen canonisatis, nec beatificatis, ad inveniret maximas controversias in vincenda fictione, & forsassis illo tempore judicarentur evidentes rationes minus efficaces. Gratias igitur pro semper Altissimo relaturi sumus qui conservavit defensori originalis innocentiæ Matris suæ in primo instanti, defensores ejusdem innocentiæ in ultimo instanti.

a. *Hugo Cavell: in Apolog. cap. 7. Ferch: lib. 8. Apol. num. 7. & 8.*

b: *Vide infra c. 6.*

c. *Cæsar Baron: in notationibus ad Martyrol: Rom: ad diem 27. Maij*

d. *Abbas Trithem lib: 2. de viris illustribus S. Benedicti cap. 27. apud eundem Trithem: lib: 3. cap: 155.*

e *Ex Ferchio lib: 2. Apol: in Bzovium n. 45. & sequentibus, referente Auctores primi & secundi seculi & lib: 3. num: 40. Dermicius Thad: in Nitel: Franc: folio 69.*

f. *VVading: in Scot: c. 10. n. 47.*

g. *Diodor Sicul: Antiquit: lib. 12. Iulius capiti in Gordianis.*

h. *Gotfrid: Monac. S. Panttaleonis in hist: Colonsensibus apud Trith: in Chron: Hirsaugiensi Trith ibidem sub anno 1308. Milmanus in chronicis Colonienss: excusis Germania anno 1499.*

i. *S. Antoninus 3. parte histor: tit: 24. cap: 8. § 2.*

k. *Videatur ibidem agens de Aureolo & Alvaro, Pelagio.*

l. *Okam Auditor & Antagonista Scoti prædicat: videantur dicta lib: 3. cap: 8. num: 9. apud Bonavent: de Bottis de vita Scoti.*

m. *Ioan: Eckius in suo Chrisopasso cent: 8. in Append:*

n. *Bellarm: de script: Ecclesiast.*

o. *Bellarm: cit:*

p. *Auctores censurantes piam sententiam illis duobus seculis à Scoti morte.*

q. *Annonim: qui & Bandellus in suo tract: de verit: Concept: 3. p. ratio: 17. & alibi pluries.*

r. *Libellus ex actis juridicis Bernens: collectus & Berne in Helvetia excusus anno 1509.*

s. *Anton: Andrea ad calcem Comment: in 12. lib: Metaphis.*

t. *Barthol: Pisan: lib: 1. confor: 11. fructu 116*

u. *Pisan: ibid: fol: 113. col: 1.*

x. *Marian: Florent lib: 3 sua hist: cap: 85.*

y. *Marc Vlyssipon in Chronic: Franc. 2. p. l. 7. cap. 3. Philipp: sola in chron: lib: 3. p. 2. c. 7. & alij.*

z. *Ex Matth: Ferch: lib 1. Apolog: n. 50.*

A. *Abbas Trithem: in Chron: Hirsaug sub anno 1308.*

b. *Trith: cit: in prologo:*

c. *Matth: Ferch: lib: 2. Apol: num: 47. & lib: 3. num: 39.*

d. *Abbas Trithem: loco cit:.*

e. *Milmanus in chroni Coloniens: sub ann: 1308.*

f. *Ferchius ocularis testis loc: cit. lib: 2.*

g. *Idem Ferchius lib: 1. Apol: num: 63. & lib: 3. num: 39. concludens:* Fabulæ hinc detectæ sunt ex evidentia loci clarissima.

h. *Ferchius lib: 1. Apol: num: 63. & lib: 2. num: 47. & lib: 3. num: 39.* nulla est apud Franciscanos Agripienses vacua tumba, neque ea antea fuisse aut est in mentibus hominum memoria, aut in Ecclesia, vel Conventu vestigium.

i. Primum Epitaphium Scoti incipiens: clauditur hic rivus &c. *de quo infra.*

k. *Addit ad primum Scoti Epitaph: facta in prima funeris ejus translatione de qua cap: 9. cit: ibi:* Doctor humi stratus, hac subque nola tumulatur.

l. *Secundum Epigramma ex abaco in Scoti sepulchro pendens ibi:* propria dulcedine letū venit &c. *Vide infra loc. cit.*

m. *Epigramma cit: ibi:* Carcere composito

n. Ferchius lib. 10. Apol: num. 64.
o. Ferchius cit. num. 55.

CAPVT IV.

In quo describitur superata ejusdem fabulæ falsitas, rationibus moralibus.

VLtra illas tres rationes historicas, quibus est superata inpræcedenti capite Iovianæ fabulæ falsitas, adducuntur tres aliæ rationes morales, quæ licet bene non quietant ingenia volitata, persuadent tamen cum efficacia omni ingenio bene disposito. Et istarum prima est, quam fecit Scotus uti mentitus est liuor seu passio invidiæ, mortuus est frangendo sibi per semetipsum cervicem, erat necessarium, ut illi primi qui notitiam habuissent successus sic infelicissimi, fuissent Fratres S. Francisci Coloniæ demorantes, & est moraliter impossibile ut id Guardiano conventûs fuisset ignotum. Quandoquidem non solùm à doctis viris, verùm etiam à multitudine imperita hominum notitia haberetur: & quidem: illum, qui desperatè moritur, non solùm indignum esse sacrificijs, verùm & sepulturâ Ecclesiasticâ. Et qui in loco sacro corpus tale humaret, aut offerret sacrificia publica pro ejus anima, gravissimè divinam majestatem offenderet, ac rigorosis subiaceret pœnis. Fortassis Guardianus & alij Fratres exhumarunt corpus subtilis Doctoris de loco sacro? fortassis non celebravêre pro ejusdem anima sacrificia publica? totum è contrario factum est, siquidem intra aliquos dies post obitum ejus-

dem

dem (a) insculpebatur in quodam lapide (quo ipsius cooperiebatur sepulchrum) illud tam gloriosum epitaphium, de quo superius dictum, & post aliquot annos ipsi fabricaverunt honorificum in medio chori sepulchrum (b) transferendo ad illud cum debita veneratione ipsius ossa, ubi non solùm ordinaria ejus sepulturæ absolvebant officia, at (c) pro ejus anima perpetua fundaverunt anniversaria ut constat ex uno antiquissimorum librorum in charta membranea actorum Conventûs qui hucusque in eodem conservatur Conventu. Itaque necessarium est, ut unum illorum duorum feculorum concedatur, aut illos religiosos, qui eo tempore quo mortuus est Scotus vixerunt Coloniæ, primariò superiores Provinciales, aliosue immediatè subsequentes, scientes hunc infelicem casum, fuisse indignos, eò quòd nonsolùm malitiosè transgressi sunt leges Dei & Ecclesiæ, sed etiam prosequebantur ulterius easdem spernendo, dando nimirum eidem honorem majorem, quem præstare poterant, ad ejusdem sepulchrum, & celebrando sacrificia, & eadem applicando pro eò, qui ex motivo legis eorundem incapax erat; aut historiam Jovij esse nimirùm falsam & fictam fabulam. Quales autem fratres fuerant illo tempore Franciscani Coloniæ, testatur V. Bartholomæus de Pisis (d) scriptor fidelissimus illius seculi his verbis: *Provincia Coloniensis est notabilis ob fratres magni valoris & bonitatis, & in ipsa ibi fuerunt, & sunt multi prædicatores insignes qualium fructus reperitur in regno cælesti.* Qualis fuit intentio Iovij inventionis nullus ignorat, & authores fusè (e) id demonstrant. Non credo igitur reperiri judicium sic temerarium, quod illos Religiosos tantæ virtutis, bonitatis con-

temnat ad salvandam Iovij fictionem.

Non minus persuadet fabulam, esse illam mortem impositam Scoto ipsum observare, verum etiam observare rectitudinem illius vitæ, à cunabulis usque ad obitum, uti eandem descripsimus in hac historia, adducendo testimonia gravium authorum. (f) Tam bona educatio in virtutibus, tam zelans executio legis divinæ, tam severa observantia & exacta suæ regulæ, tam ferventes Dei amores, tam frequentes religionis famulatus, (g) & omnes continuati usque ad fata, non deberent imponere ipsi & causare terminum miserabilis fictæ tamen desperationis, siquidem secundùm ordinarium cursum, & commune effatum: qualis vita, mors est ita, vel ut alij dicunt: mors est, *Echo Vitæ.* Ut enim echo voci; ita mors vitæ respondet. Si blandè vox insonuit, si ad artis & musicæ numeros; & ipsa quoque blanda, & musica resonabit echo. Sin autem absona, insulsa, aspera hiulca horrida vox intonuit; & ipsa quoque obsonum quidpiam insulsum, asperum, horridum reddet echo. Quod in voce & echone audis, hoc in vita morteq; audies. Si ad virtutis, cæli Deique numeros vita sonuit; ad eosdem mors insonabit. sin autem horridum aliquid, à bonis moribus absonum, vitiosum, triste, funestum intonuit; & illud ipsa mors intonabit, & quasi fidelis *echo* eandem vitæ vocem, eosdem seu vitij seu virtutis numeros ac modulos reddet. Stat hujus veritatis verus propugnator Augustin (h) *non potest malè mori qui bene vixerit, & vix benè moritur, qui malè vixerit.* Quis itaque considerata exactâ vitâ subtilis Doctoris, credet sic tragicam, ipsius mortem? quam post duo secula contumeliosè Iovius suscitavit, ego verò nolo huic sub-

ic subiacere censuræ, omnique persvadeo magis evidentiam veritatis, quàm falsitatis sequi.

Approbat cum majori stimulo illam esse fabulosam mortem ardentissima devotionis flamma erga matrem supremi unius Dei, quali semper ardebat, (h) cor subtilis Doctoris. Et illud esse primum mirandum, dum defenderit in schola honorem ipsius ac famam restauraverit in Ecclesia opinionem innocentiæ originalis, & plantaverit in cordibus fidelium veritatem mysterij Immaculatæ ejusdem Conceptionis, & sic completo opere, vitæ etiam suæ complevit cursum testimonio pijssimi Ioannis Eckij, [k] *postquam in una disputatione publica concluserit Scotus Mariæ originalem innocentiam, ab illo nunc paulatim decidendo consumavit vitam.* Estne credibile ob hanc pietatem Mariæ, immediatè horrendam evenisse mortem? essetne hæc pietas? [l) favor, succursus, adjutorium Mariæ erga suos devotos, relinquere eos in gravissimo extremo & inaudito periculo? est ne possibile eum, qui promulgaverit Virginem Sanctissimam immunem esse à lege mortis, esse desertum ab ipsa, ut subiaceat uni successui sic infami? illum, qui ipsam defendit præservatam à culpa in primo instanti, non debere experiri ab eadem in ultimo suo momento protectionem. Defendebat subtilis Doctor Altissimi matrem ante præsentiam hominum, & illa non debuit ante tremendam Dei Majestatem defendere eundem ab omni infortunio? contraria sententia non possidet locum in prudentum ingenio, imo quilibet cum Bernardino [m] afferet, *sicut à te despectus & aversus necesse est ut pereat, sic ad te conversus & respectus, & à te respectus impossibile est ut pereat.* Et ego assero, licet si sepelitur vivus noster subtilis

tilis Doctor & permaneret in angustijs unius stricti fornicis derelictus ab omni humano succursu, uti narrat fallax & ficta Iovij fabula, assisteret tamen ipsi Sanctissima Virgo, & miraculose eum liberaret à tam inaudito periculo. Mihi dat motivum id affirmandi, tutela B. V. Mariæ, quam in simili casu amoris pluribus exhibuit, quos elegit ad restaurandum mysterium cultûs Immaculatæ Conceptionis. Venerabilis Abbas Heluinus instante periculosâ procellâ fuit eliberatus à profunditate maris uno miraculo evidenti, ut evaderet ille primus qui in Anglia instituerét & promoveret festivitatem Immaculatæ Conceptionis SS. Virginis, teste [n] S. Anselmo. Ille Canonicus postmodum anachorita, qui cæpit celebrare in Gallia eandem festivitatem, tertio die postquam sepultus fuerat in voraginibus sequanæ (sic nominati fluminis) apparuit ei Mater misericordiæ ipsumq; revocavit ad vitam, ut propalaret cultum ejusdem originalis innocentiæ, uti ipsemet Anselmus [o] refert. Veneranda Beatrix de silva [p] quæ à Regina Elisabeth sponsa Regis Joannis secundi Castiliæ ob exosam invidiam & inconsulta judicia fuit sepulta viva in quodam stricto armario ex muro extructo diu ibidem detenta absque cibo & potu, reductæ verò ad ultimum ac infelicem terminum apparuit Regina cæli vestita habitu, quo hucusque utuntur ejusdem filiæ, tunicâ albâ & pallio coloris cinerei, expletis tribus diebus eandem ab illa angustiarum liberavit tumba, constituens fundatricem religionis Illustris Monialium Immaculatæ Conceptionis, cujus sacer cultus illustravit famam mysterij. Si itaque his personis, quæ aliquomodo fuerunt primæ in introducendo cultu illius

D immu-

immunitatis in tantis periculis aſtitit B. V. M. & eaſdem miraculoſè à ſepulchris liberavit antequam aliquid obſequij ei prius præſtitiſſent; Scoto primo introductori hujus myſterij in ſcholis & ejuſdem reſtauratori in tota Eccleſia, poſtquam illud in cordibus fidelium radicaverit circumdato tantis moleſtijs, repertoque in ſimili caſu nonne aſſiſteret, & eundem liberaret cum evidentia alicujus miraculi utpote ei faventiſſima Domina? nullus affirmabit eandem majus illis præſtitiſſe beneficium, qui de futuro inſervire voluerunt, quàm illi qui de præſenti actualiter, imo defacto jam inſervivit, uſque ad exſpirationem vitæ, itaque contrariari huic potius eſſet vitium blaſphemiæ, quàm officioſi obſequij.

Palam fecit ſubtilis Doctor punctum redemptionis præſervativæ ob motivum defendendi pium B. V. Mariæ nomen, ad majorem gloriam ſui Redemptoris, itane Maria tota grata permiſiſſet cadere eum in ſimiles anguſtias non præſtito ei adjutorio? minime: imò eum præſervâſſet ab his & ſimilibus periculis, ut cum majori gloria ſit ejuſdem defenſor. Illa enim liberando ſuos devotos à periculis, eoſq; animando fecit guſtare ſuam bonitatem [q] *qui operantur in me non peccabunt, qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Itaque Scotus [r] animoſè docendo, diſputando, ſcribendo, per ſeipſum & ſuos ſequaces ejuſdem doctrinæ, defendit Immaculatam Conceptionem Matris ipſius Dei, & ſic bene operatus pro Nomine Mariæ eandemque aliquo modo illuſtravit. Ex his facilè inferri poteſt, ſicuti cum adjutorio hujus dominatricis ejus vita inculpabilis erat, ſic mors feliciſſima cenſeri debet, ut ille: qui cum tanta devotione illuſtravit principia Mariæ Virginis,

ginis, illius intercessione, felici fine potiatur, & sicut Scotus in pomposa disputatione defendit existimationem gratiæ originalis Genitricis Dei contra primam culpam oppositam ei, sic Genitrix Dei cum grata vicissitudine per faventes sibi famam subtilis Doctoris contra ultimum excessum, quo injuste reddebatur culpatus, defendit.

a *Ex codice manuscript. antiquiss. existente in Biblio: Franc: Colon: in 3. pluteo inter G & H. apud Ferch in vita Scot: cap: 8. num: 28.*

b *Vide infra cap: 8. num: 1. & 2.*

c *Ex lib: membraneo sacrarij S. Fran: Colon: antiquiss: in quo scripta sunt nomina eorum pro quibus anniversaria celebranda sunt, apud Frech lib: 1. Apol: num: 8.*

d *Bartol: Pisan in opere conformit 11. fruct: p. 2. agens de Provincia Colon.*

e *Supra in hoc lib: cap: 4.*

f *Suffragantur omnes authores sparsim per totam hanc histor: contra æmulos cit.*

g *Vading: in vita Scoti cap: 14. num: 60. dicens:* per omnem vitæ integerrimæ cursum, nullum invenio, qui vel minimum nevum obijciat.

h *S. Aug: lib: de doctrina Christ.*

i *Vide supra lib: 1. cap: 7. 9. 12. & lib: 2. cap: 5 & 6.*

k *Ioan: Eckius in suo chrisop: cent 2. in appendice.*

l *Ex Matth: Ferch: lib: 2. apol: in Bzovium n. 51.*

m *S. Bernard: apud Ferck: cit.*

n *S. Anselm epist: 1. ad Coepiscopos suos de Conceptione B. M.*

o *S. Anselm epist: 2. de Concept: B. M.*

p *Referunt Franc: Gonzaga de orig: Franc: relig: p. 18. Conceptionistarum sororum institutio &*

Anton: Vasconcell: in Anacephalosi. Regum Lusitaniæ in descript Regni titi sacra Virginis n. 16.

q *Eccli: 24. num: 31.*

r *Ex Matth: Ferch: lib: 1. apol. num: 4.*

CAPVT V.

In quo describitur progressus convincendi falsitatem fabulæ, per ipsas ejusdem circumstantias.

QVantumvis sit facilè fingere, difficilè tamen cum tali arte fingere, ut in ipsis narrationis circumstantijs non appareat falsitas, & cognoscatur mendacium. Ideoque homines insignes ad convincendam aliquem falsitatem injuriosarum fabularum usi sunt circumstantijs prævalentibus. His superavit Daniel [a] falsum testimonium duorum judicum contra castam Susannam, cujus innocentiæ veritatem apparere fecit. His & nos vincemus Iovianam fabulam sequendo volatum Aquilæ Affricanæ. Circa sepulchrum Christi sparsa fuit quædam fabula [b] empta (cujus mercaturæ est antiquus contractus) ad obscurandam Resurrectionis Christi gloriam, pro qua Iudæi pretium dederunt custodibus sepulchri, ut dicerent: *illis obdormientibus, venerunt ejusdem discipuli, & abstulerunt corpus ejusdem.* Sed phænix ingeniorum Augustinus [c] convincit falsitatem istius sacrilegæ fabulæ, ipsissmet ejusdem fabulæ circumstantijs, sic eos improbans: *o infelix astutia, tantam deseris lucem consilij; pietatis, & in profunda*

funda versutia demergeris, ut hoc dicam, dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli ejus, & abstulerunt eum : dormientes testes adhibes, verè tu ipse obdormisti, qui scrutando talia, defecisti Verba omnia applicabilia Iovio, qui ad obscurandam nostri subtilis Doctoris famam, finxit circa ejusdem sepulchrum quandam fabulam, sed prætermisit examinare circumstantias, nullum citando authorem, de quo potest dici, eum adduxisse testimonia sopita. Examinemus nos istas circumstantias ad convincendam ipsius falsitatem & ad reddendum eundem dignum D. Avgustini improperio. Incepit Paulus Iovius suam narrationem præcedentibus [d] istis elogijs Scoti, qui ardendo Christiana pietate professus est religionem S. Francisci, quòd nullus tractaverit de mysterijs acutiùs Divinis, & subtilius ipso, qui edidit mirabiles in lucem libros, qui fundavit novam scholam sub proprio nomine Philosophiæ & Theologiæ, postmodum verò de isto homine quem confessus est insignem, dicit: *quod ipsi Deus mandaverit unam apoplexiam, & qui cum fuerit iudicatus uti mortuus, statim magna celeritate sepultus est* : hic ego illud addo, quod omnibus notum est [e] & præmissum est à Iovio, subtilem Doctorem mortuum esse, in civitate Coloniæ Agripinæ in Conventu S. Francisci Octava die Novembris anno Domini 1308. Itaque verum non est in hac civitate celebri metropoli [f] Germaniæ inferioris medicos defecisse ad sanandum insignem, & existimatum à cunctis hominem. Nec est credibile, religiosos acquisitos eximijs suis virtutibus magnum famæ nomen cum magno affectu illius sequentes doctrinam aliquid ei non præstitisse, videndo eum

oppreſſum, repentinâ aggreſſione? In hoc caſu abſque dubio, medici feciſſent ordinarias probationes apoplexiæ ejus, vtrum mortalis erat nec ne? explicando terminum ordinarium iſtorum malorum; in his autem curis neceſſarium erat, ut aliquot intervalla prætcrijſſent temporis, ſicque ſolutus permanſiſſet ab illo deliquio, ſed volo in hoc omnes ſuperſedere medicos, & ipſum declarare mortuum. Poſt hanc declarationem in conventu ſic inſigni ac numeroſo uti illo S. Franciſci Coloniæ, qui tempore [g] ſubtilis Doctoris alebat plures quàm ducentos fratres non poterant celebrari officia funebralia pro ſubiecto tam inſigni, ſuo nimirum charo magiſtro, poſt ſolutas ceremonias, quæ fieri ſolent pro omni religioſo uti exuere, lavare corpus, induere, collocare eundem in feretro, portare ad capitulum aut chorum, & finaliter vigilias ſupra eundem cantare ſecundùm praxim uſque in hunc diem in ſeraphica religione? Die ſequenti juxta tempus debitum [h] relictus Scotus poſt fata tot diſcipulis habitis Coloniæ, non ſolùm religioſorum, verùm etiam ſecularium, abſque ullo dubio fuerat numeroſus concurſus [i] ubi religioſi ejuſdem fratres celebravêre officia cum omni ſolennitate ſepulturæ. Et iterum eſt ne poſſibile, in tam magno temporis ſpatio, poſt probationes multorum medicorum, cum lotione corporis, cum deſpoliatione veſtium, cum indumento de novo, cum turba tanta populi non cognoſci in uno homine tam juveni aliquod ſignum vitæ, ſi caſu haberet eatdam? dicet Iovio addictus, in quibuſdam locis occultabant aliqui multis diebus vitales ſuos ſpiritus ſervatâ ſolâ apparentiâ mortuorum, ſed iſte eſt unus recurſus ad prodigia naturæ ut fabula permanet.

maneat viva. Saltem convincitur clarè ut falsum principium, in quo fundavit suum robur & vim dicendo: *Scotum fuisse sepultum cum magna celeritate* sed obruto fundamento ruet quoque tota integra fabrica.

Remanet efficatiùs convicta commenti hujus fabula per circumstantiam: est modus communis & perpetuus religionis seraphicæ in sepeliendo, ligare pedes & manus, ut cum decentibus compositionibus portent cruces super pectus, & non possint disiungi in sepeliendo. Et ultra hoc in Provincia Coloniæ ob consvetudinem [k] ponunt sub cadavere tabulam longitudinis corporis humani, cui ipsum alligant, & sic ligatum sepeliunt. Igitur supponamus hominem sanum, & robustum esse positum hac forma alligatum, non in angustijs unius sepulchri, sed in planitie spaciosa excellentis & nobilis aulæ, certum est seipsum non posse movere, & multominus stare in pedibus suis, clamare, seipsum reverberare, & ferire suum caput. Igitur quòmodo Scotus sepultus in hac forma [concesso etiam quòd fuisset in fornice, seu sepulchro concamerato] infirmus & quidem infirmitate gravi, qui stetit tanto tempore sine aliquo minimo signo vitæ, potuerat se erigere in suos pedes, aggredi finem sepulchri, reverberare seipsum & mortaliter ferire, jam videtur esse impossibile. *Sed dicet aliquis*: Scotum sepultum solutum contra modum communem Ordinis, & Provinciæ, ut habeat locum Ioviana tabula. Ach! quæ majores inventiones fingi possunt ad salvandam mentem & fabulam Iovij.

Dicet adhuc plus; Scotum scilicet stetisse magno tempore clamando, & pulsando ad lapidem sepulchri. Advertite, qualis fictio? duo sepul-

ch:a habuerat Scotus, unum in ingressu sacrarij [l] in quo fuit sepultus primariò, alterum in medio chori, ad quod post aliquot annos translatus fuerat [m] eligat Iovius quod ipsi magis arridet pro centro suæ fabulæ. Ambo manent in locis celeberrimis frequentatis à religiosis, Eorundem ingressus à parte sacrarij, & est communis transitus per Ecclesiam & chorum, quod spatium est ad latus altaris majoris. De choro jam habetur notitia, qualis frequentia hominum fuerit eadem die, & nocte in religione S. Francisci præcipuè in Conventibus insignioribus, & in Conventu observandissimo [n] uti erat illis temporibus Coloniensis, in quo permanebant plures quàm ducenti fratres [prout supra notatum est] nunquam deficeret, qui die noctuque assisteret, secundùm morem nostræ Ecclesiæ ac religionis, quia in omni Conventu, in quo est sufficiens numerus fratrum in templo aut choro reperitur aliquis. Itaque tam impij & crudeles fuissent fratres supra tam insignem & charum fratrem suum Magistrum per quem adepti tantum decorem, famam, gloriam, eundem audiendo miserabili voce clamantem longo tempore, si non moti fuissent ad exhibendum eidem succursum, non aperiendo sepulchrum, imò ipsum permittendo sic infelicissimâ perire morte

Tandem hoc dilemmate concludo [o] si Scotus tanto temporis spatio clamaverit expostulando succursum & se appropinquaverit portæ aut lapidi sepulchri, aut sensu fuit pe ceptus, aut non? si non fuit, ergo illa testimonia sopita, quibus convincitur fabula cum D. Augustino; si fuit sensû perceptus, cujus qualitatis fuisset ille, uti finxit Iovius, qui subtilem Doctorem audiret, clamantem;

tem ; nec juvaret. Cæterum si quisquam adeò immanis & immisericors esset, ut tali homini, viro famoso ac Doctori præstantissimo, tunc miserabiliter expostulanti succursum gratiæ, denegaret; eundem tyrannum ejusmodi inter religiosos reperiri, (quod impossibile est) videtur. vel si aliquis levitati aut timori deditus, instante nativâ pectoris sui formidine si non per se saltem per alios Conventûs ejusdem Fratres sepulto ad vocem ejus clamorosam & lachrymabilem auxilium non daret, nec moveret suppetias, unam sine fundamento chymeram existimo. Ad extremum si aliquis homo prudens audito planctu & voce lachrymabili subtilis Doctoris adijsset sepulchrum & cùm non posset movere lapidem, ad convocandos plures moveretur fratres; Scotus verò tunc impatientiâ ductus in tanto gemitu non expectando succursum desperata ultimatè abuteretur ratione, ut sibimet ipsi immisericors strangeret cervices, non est quid imaginabile.

a *Daniel: 13. num: 54.*
b *Math: 28. num: 12.*
c *S. August: super psalm in psal: 63. num: 7.*
d *Paulus Iou: loc: cit.*
e *Monumenta antiquâ Colonia & omnes ferè auctores agentes de Scot.*
f *Iacob Midendorpius de Academia Colonensi.*
g *Ferch: lib: 1. Apeli num: 49.*
h *Omnes auctores communiter.*
i *Marian: Florent antiquus historicus lib: 3. sua historia cap 15 ait:* Scotum honorifice sepultum & in magna veneratione habitum esse
k *Ex Derm c Thad in Nitel: Francis: relig fol. 69. & Lucas Vading: in Vita Scoti cap: 9. num: 18.*
l *Trith: cit: in chron: Hirsaugien.*

m *Milman: citat: in chron: Coloniens.*
n *Bartholom: Pisan: in oper conform: cit.*
o *Ex Matth: Ferch: lib: 2. Apolog: in Bzovium num: 44.*

CAPVT VI.

In quo describuntur motiva excogitatæ fabulæ, circa mortem subtilis Doctoris.

ADmiror sanè unde exorsus est Iovius hujusmodi fabellam. Nisi fortassis ea, qua per universam suam historiam usus est, fingendi licentiâ, ac voluit; quæ de Zenone Isauro Imperatore legit, Scoto etiam in alicujus gratiam attribuere. Hæc enim ipsa quæ de Scoto Iovius refert, scripsit etiam Evagr. [a] de Zenone. Narrat ex authore Baronius [b] eum comitiali morbo quo crebrò laborabat arreptum, pro mortuo habitum vivum sepultum esse, cum verò è sepulchro lamentabiliter, domesticos & satellites imploraret, prohibente Ariadna uxore, cui invisus esse cæperat, ne quis monumentum aperiret, miserè perijt, sui ipsius lacertis, & caligis quas gestabat comestis, sicut post compertum esse Cedrenus narrat. [c] Quid si Iovius pro suo arbitrio & libertate scribendi Scotum nobis pro Zenone supponat? aut hominem pium, sibi tamen, vel suis infensum, denigrare contendat infami morte scerelatissimi Zenonis? Quid si aliunde fortassis error hic exortus est? Sanctissimum invenio virum Geronem Archiepiscopum Coloniensem [d] cujus electioni ex Angelica monitione summus Pontifex consensit, & consecrationi interfuerunt S. Petrus

& Ambrosius oleum infundentes, in extasim actum, hærentemque diutius immobilem, à Valmaro Diacono Episcopatum ambiente vivum tumulatum esse, ductus tamen tanti sceleris pænitudine Valmarus post Episcopalem obtentam sedem Romam venit, & à Pontifice ea ratione absolutus est, ut aut novum institueret monasterium, aut vetus aliquod in sua diœcesi instauraret; cænobium itaque D. Martini Coloniæ reparavit, & bonis multis pro religiosis ex Scotia adventantibus dotavit. Non immeritò Matthæus Ferchius [e] hinc prodijsse putat errorem: dum enim monasterum Scotorum audiêrunt populares, ob hominem vivum sepultum, fuisse constructum: facile suspicari aut dicere potuerunt, & vulgari spargere rumore, propterea illi peregrinæ nationi datum grave Coloniæ domicilium, quia aliquem suæ gentis sepulchro vivum iniecit. Sic itaque Scotum vivum tumulatum fuisse facilè credi potuit, & à viro Scoto ad Ioannem Scotum brevi morbo sublatum, translatam esse fabellam ex errore prognatam. Ego mihi persuadeo, vel ex dentato calamo Iovij, vel ex ignorantia quadam supina merum hoc prodijsse figmentum. Non desunt qui honorificentiùs mortis genus excogitârunt ex Bernardino Senensi, dicunt enim quòd Scotus veluti alter Moyses sepultus sit in extasi constitutus *jubente Domino deut: 34.* Nam Daniel Pergulius homo magis devotus quàm doctus [f] attendendo prædicanti S. Bernardino Senensi Patavij habuit curiositatem notandi ipsius sermones, quos à S. percipiebat Bernardino. Sed S. Bernardini hoc testimonium videtur suppositium, prout asserit *Ferch: pag: 79. cap. 10. num: 37.* Tum quia in Ethruriæ Castillione manuscripta servantur

tur apud Francifcanos Conventuales opera S. Bernardini Senenfis, neque tamen inter fermones ejus extraordinarij reperiuntur. Tum quia ftilus S. Bernardini ex 1. 2. ac 3. tomo eft clarus, fed purus, at fermones extraordinarij & 4. tomus tam diftat à ftylo Bernardini, quàm à cælo terra, eft enim oratio horum fermonum tetra, barbara, incongrua, & cortice ruftico, fcabrior. Tum quia *in ferm: 11. cart: 62. colum: 1. linea ult.* citatur factum S. Bernardini, quod verifimile non eft à Bernardino citatum, & *cart* 106. *à* 107. apparet opus effe fcriptum à Daniele Pergulio, atque initiò tomi 4. ad lectorem conftat, plura tum addita, tum detracta dictis ejufdem fancti, cujus conciones Daniel prædictus excipiebat, ut ait, quæ narratio ex additis Doctori adfcribitur. Et in publicatione ultima, cujus facit [g] Pater Ioannes de Haie mentionem, in prologo ad lectorem nunquam his jactabant fermonibus Francifcani, nec eos reputabant pro operibus S. Bernardini. Et licèt aderat illis occafio imprimendi hos fermones cum ejufdem fcriptis, femper tamen contradicebant veritati eorum ac editioni propriæ. Ex quo apparet fidelitas Minorum non approbandi fuis authoribus aliena opera. Itaque rupto filo, ruptus manet & totus nodus, confequenter laqueus pro nodo infolubili propofitus, illo pereunte, evanuit, affirmando hos fermones S. Bernardini fuiffe. Hinc redeundum ad Scotum: ifte Daniel Pergulius in primo fuo fermone extraordinario [h] narrat fæpenumero evenire fubtili Doctori elevationem fuipfius in exftafes fic mirificas, ut totaliter appareat mortuus, cujus fratres non habentes notitiam, fed credentes verè mortuum, fepelierunt vivum in illa

mentis

mentis excessu, sicque suffocatus terrâ mortuus est. O quam honorifica mors? mori illum alterum Moysen [i] *in osculo Domini.* Si sæpissimè accidebat Scoto ille excessus mentis seu extasis, quomodo Fratres ejusdem carebant notitiâ? siquidem continuò secum loquebantur facie ad faciem? sed recurrere possumus ad alia fundamenta exquibus conjecturare licebit, & arguere seu inferre motiva excogitatæ fabulæ circa mortem subtilis Doctoris:

Primum fundamentum, est indubitabilis echo per universum orbem Scotum restaurâsse Immaculatæ Conceptionis Mariæ sententiam, quam primus introduxit in scholas, & hæc ab ejus tempore hucusque permanet. [k] In hoc puncto eundem sequuntur ac tuentur invariabili constantia Franciscani & omnibus notum est hanc prioritatem & sequelam [l] causare non parvi momenti contra subtilem Doctorem æmulationem.

Secundum Fundamentum, magis notum, [m] aliquos opinionis contrariæ virginali innocentiæ Mariæ se ingerere, defendendo proprium arbitrium, oneratâ tamen piâ sententiâ & auctoribus ejusdem injuriam inferendo taliter, ut etiam dedecus sit eloqui eadem, quæ sine motivo protulerunt. Et si fecerunt id homines sapientes, qui hæc ediderunt typis, à fortiori quid fecerunt insipientes cum passione majori & minori scientia? testimonia sunt Apostolicæ Bullæ emanata factaque ob scandala, quæ ex tali motivo traxerunt originem [n]

Tertium Fundamentum, & magis certum, quòd solùm ab illo tempore, quo hæc pia sententia cœpit obtinere in Ecclesia Dei approbationes, adinveniebantur authores scribentes certas particula-

ritates

ritates circa mortem subtilis Doctoris: quorum primus primamque scripsit particularitatem (Scotum fuisse mortuum causâ apoplexiæ) Bergomensis [o] qui opera sua luci obtulit, anno Domini 1486. & alter [p] Daniel Pergulius de morte extatica tradens sermones in publicum anno 1493. post omnia extravagantia Sixti IV. [q] quasi duobus seculis à morte subtilis Doctoris, nullus reperiretur author qui aliquid particularis de ipsius scripsisset morte, sic omnes particularitates postmodum promulgatæ & auctæ convincuntur ut fabulosæ secūdùm superius dicta. [r] Nec est minoris certudinis eas, rarosque successus scriptos sequenti seculo de morte subtilis Doctoris, esse voces vagas & fabulas multitudinis imperitæ [s] quod probatur *primariò*: nam auctores [t] qui post tot annos fuerunt primi ad scribendos hos successus, & particularitates, nullam faciunt mentionem, undenam traxerint originem ejusmodi novitates? quandoquidem deducere non poterant ex memorijs antiquitatum Coloniensium, easdem nec videntes, nec legentes, eò quòd omnes Itali erant, inscij rerum actorumque Germaniæ, quibus hæc singula inscripta erant, sicuti Bergomensis author apoplexiæ, Daniel Pergulius mentis commotæ seu extaticæ, & Paulus Iovius, redeuntis subtilis Doctoris ad vitam, & inferentis sibi in sepulchro mortem. *Secundariò*, ut alij sincerè fatentur [u] ex rumore promulgato multitudinis imperitæ seu plebis, has emersisse fabulas juxta dicta Sabellici: *audio quod deprædicantur Volaterrani scripta: dicitur tamen, non est ibi certitudo. Genebrandi registra* narrant. Ultimatè certum est, fabulas circa mortem nostri subtilis Doctoris originem traxisse [x] quod pia senteng

sententia exaltata est, generales obtinendo approbationes à matre Ecclesia. Quod totum clarè ostenditur hac circumstantia temporum, quibus unum & aliud factum successit. Prima approbatio generalis quam obtinuit sententia Immaculatæ Conceptionis Mariæ, facta fuit in Concilio Basileæ anno Domini 1435. [y] ubi definitum fuit illam sententiam piam esse, & consonam cultui Ecclesiastico fidei Catholicæ, rectæ rationi, sacræ scripturæ, & eandem esse approbandam & acceptandam ab omnibus christianis. Et ecce quàm primum fuit publicatum istud decretum & acceptatum [z] à Gallia & Germania, statim cæpis excitari rumor, Scotum fuisse mortuum morte violentâ unius apoplexiæ, & cùm fuerit sparsus à plebe, scripsit eundem [a] Bergomensis ab anno 1476. usque ad annum 1483. Et tunc in publicum prodierunt omnes Sixti IV. in favorem Immaculatæ Conceptionis Constitutiones [b] in quibus approbavit officium ejusdem festivitatis compositum à Leonardo de Negarolis cum demonstrationibus præservationis, concessitque omnibus illud recitantibus, aut assistentibus horis Canonicis in solennitate Conceptionis, ac per ejusdem Octavam, indulgentias, concessas ipsi Octavæ Corporis Christi Domini: approbavit similiter illud officium compositum [c] à Bernardino de Bustis. Condemnavit illam interpretationem [d] Ecclesiam solùm scilicet celebrasse Conceptionem spiritualem Mariæ, & pariter condemnavit illas censuras [e] quas authores oppositi piæ sententiæ adducebant, reprobando easdem utpote fallas erroneas veritati dissonas. Unde eodem tempore invaluit rumor, Scotum fuisse sepultum vivum, cui se injunxit mors extatica descripta à Pergu-

lio

lio [f] ab anno 1501. uſque ad annum 1506. Alexander VI. [g] confirmavit extravagantia Sixti IV. *Grave nimis.* Et approbavit Religionem Monialium Immaculatæ Conceptionis [h] Iuliusque ſecundus eandem confirmavit, contulitque gubernio Fratrum minorum (i) uti ſpecialibus defenſoribus & athletis myſterij (k) anno 1515. quando celebrabatur Concilium Lateranenſe ſub Pontificatu Leonis X. Thomas de Via Cajetanus ſcripſit (l) contra Immaculatam Conceptionem quam ſcripturam dedicavit ſummo Pontifici, & retulit Concilio ut hæc cauſa determinaretur, ac decideretur, ſed ubi contrarij myſterio, meliorem ſibi ex oppoſita ſententia inaugurabant fortunam, determinatum erat obſervare ſilentium ex utraque parte, declarando poſſe piè credere virginem fuiſſe ſine culpa originali conceptam: unde mox progreditur in aciem fabula Iovij; conjuncta antecedentibus (m) illis terribilibus circumſtantijs, nimirum redivivum in ſepulchro Scotum, ſtrepitum facientem, clamantem infligentem ſibimetipſi ad lapidem ictus, & finaliter eſſe mortuum, concuſſo ſibi capite. Anno 1546. emanavit Concilij Tridentini (n) decretum ubi declaratur ipſius non eſſe intentionem comprehendendi in generali regula peccati originalis Immaculatam Virginem Matrem Dei, & renovat Conſtitutiones Sixti IV. declarans obſervare decretum, quod illuſtravit certitudinem piæ ſententiæ, ſicut videri poteſt in ſcriptis de hoc myſterio: quo audito ſtatim promulgatum eſt per plebem, additamentum fabulæ Iovij, quomodo Scotus momorderit proprias manus in ſepulchro juxta relationem Genebrardi (o) Anno 1616. Pijſſimus Monarcha Hiſpaniarum Philippus

pus III. ut det remedium & medicamentum scandalis, quæ ob defensionem opinionis contrariæ in illis irrepserant regnis, misit Romam suum extxaordinarium legatum, ad investigandum & expetendum nomine suo à Summo Pontifice, aut definitionem istius mysterij, aut remedium obviandi his malis, unde anno 16 7. Paulus V. expedivit unum decretum [p] quo indixit perpetuum silentium actibus publicis suggestûs & Cathedræ in opinione contraria pij mysterij: quo facto in hac materia excitare curat novum fomentum fabulis Romæ quidam anonimus (q) author in suis annalibus Ecclesiasticis. Tenebat jam completum hoc tempore tomum ad dandum eundem typis, in quo tractare non poterat juxta fidelitatem historiæ de morte Doctoris subtilis Scoti, quia non attingebat annum 1308. in quo juxta omnes historicos de hac ad aliam subtilis Doctor migravit vitam: & sic totum posuit in perturbationem scripsitq; mortem subtilis Doctoris (r) anno 1294. diminuendo eidem 14. vitæ annos, nihil curavit quatuor evidentes committere falsitates, unam [s] circa annum, quo mortuus est Scotus; secundam circa Pontificem, qui illo tempore rexit Ecclesiam; tertiam circa Imperatorem, qui regnabat intra illius temporis spatium, ultimam circa ipsum, quem habebat. Omne illud quod scriptum ex intentione anonimi est testimonium [t] Patris Dermitij Thadæi hominis magnæ notæ illis temporibus commorantis Romæ, affirmantisque se scivisse ea non solùm per effectum notorium operum, & per affectum cognitum subiecti, sed adhuc per relationem fide dignam sibi communicatam ab illis, qui notitiam habere poterant. Ultimatè ut cogno-

vir Breve Alexandri VII. [u] declarantis cultus hujus mysterij [x] in suo libello ubi nulla habita occasione tractandi de morte subtilis Doctoris descripsit de novo fabulam, ut melius intelligeretur & æstimaretur ab omnibus.

Iudicet modò pietate perfectior, unde originem traxêre [y] tot fabulæ circa mortem subtilis Doctoris. Ego consolido fundamenta. Scotus ut primus defensor & athleta Immaculatæ Conceptionis Mariæ in scholis, fieri debuit obiectum æmulationis; multi enim ex oppositis mysterio defenderunt suas sententias cum fictionibus ac opprobrijs. Principium sumpsit fabula quando fuerat prohibitum posse denominare opinionem Scoti esse hæresim: accedebat majus incrementum calumniarum passo, eò quia sententia triumphans extollebatur: renovando eam ad vindicandos ejusdem triumphos, permiserunt se ipsos consulto evidentibus obvolui, & præcipitari falsitatibus ob non differendam ulteriorem vindictam a fuerunt natæ fabulæ, post tantos annos solùm à vocibus malè fundatis, multitudinis imperitæ seu plebis simplicis. Igitur quis erit ille superseminans zizania hâc fallaciâ supra purum frumentum virtutis, quod seminavit ipse agricola Altissimus supra agrum subtilis Mariani Doctoris? observet cui placet, si ibi fuerit illo tempore aliquis homo inimicus, quod ego totum remitto alto judicio benigni lectoris. Michael Oyerius Augustinianus est hujus opinionis [z] ob causam Reginæ Angelorum tantas calumnias subtilem Doctorem fuisse passum; illud tamen, certum est quod fuerit ibi, qui hac de causa sepelivit vivum in suis scriptis quatuordecim annis primùm antequam mors vera advenerit Doctori? ignoro jam quid

quid agam, vtrum appellaturus sim meum magistrum istius mysterij martyrem, eò quia propter idem tantas in vita passus est perturbationes, quantas & in morte injurias. Et hæc est origo hujus fabulæ, sed quia (juxta commune effatum) nullum reperitur mendacium etiam rusticanum, quod prolem non inferat alicujus veritatis ex se oriundæ, claritatis gratiâ, unde necessarium est hujusmodi inquirere parentem, qui talem mendacij progeneravit sobolem, sed invenio difficultatem in hac materiâ [a] observatis tamen scriptis authorum illius seculi proximorum morti subtilis Doctoris, observatisque omnibus memorijs antiquitatum Coloniæ, primis epithaphijs ejusdem sepulchri, & archivijs Conventûs, quæ sunt signa, notitiam, & certitudinem hujus præseferentia reperitur fundamentum excogitatæ fabulæ mors nimirum repentina in florida ætate: ut fabulosum tamen evanescit. In uno solùm ex antiquis epigrammatibus [b] quæ erant apposita sepulchro, scribitur veloci passu mortem venisse, exprimendo tamen venisse eandem cum propria ejusdem dulcedine, & vult hoc epigramma cum illo *raptim* certiorem de morte subtilis Doctoris reddere notitiam, non esse eundem nimirum repentina morte defunctum, sed ablatum ab ea in florida vitæ suæ ætate, tam insignem Marianum Doctorem, quando cum majori desiderio maturiores expectabantur fructus, & hæc est communis phrasis, [c] quasi narratur fuisse mors Joannis Duns Scoti, quâ etiam usa est ipsamet scriptura ad commemorandam juvenis justi mortem dicendo. *Raptus est*, [d] quod cofirmat illius primum epitaphium [e] in quo legitur esse mortuum teneris in annis, unde communis dolor quo afficiebantur Fratres Mino-

res illis temporibus durabat usque [f] ad hæc secula, quòd nimirum eundem mors abstulerit in juventutis flore, tam eximium magistrum, quibus si floruisset longiùs, suæ vitæ & ætatis spatium, reliquisset dispositam in summa perfectione suam eminentem doctrinam : potuit evenire hujus mortis acceleratæ motivum fingendi primam apoplexiæ fabulam, investigatio scilicet tam festinæ mortis subtilis Doctoris, quo viso æmuli eundem esse mortuum repentinâ morte cum apoplexia affirmârunt, & hanc ordinariè esse causam communiorem improvisæ mortis finxerunt.

Sed quod motivum assignabis fingendi eundem fuisse sepultum vivum ? in rebus similibus extra spheram rationis non solet habere majus fundamentum malitia, quàm suum velle, attamen scivit adinvenire fundamentum [g] subtilitas sed non Scotica, acutia, argutia, diligentia, vel insolentia versipellis ingenij. Undæ fabulæ Iovij non occurrit quærere fundamentum [h] quia fuit sola licentia fingendi, sparsa enim fabula (fuisse Scotum sepultum vivum) ab uno ore ad aliud æmulorũ cooperta erat veste repentinæ apoplexiæ attrita, & eò, quòd orbitate incultoque vestita manebat tegillo, non fuit scriptor eam sibi adoptans in filiam, ideo fuit necessarium venisse Iovium, vel fuisse ab alijs expetitum, ut tali occasione sibi copularet amicos illam obtegendo his circumstantijs, referendo Scotum redivivum in sepulchro vociferantem, sibimet ipsi inferentem ictus, frangentem cervices capitis, eandemque condecorando floribus suæ subtilis eloquentiæ, ob quam non solùm fuit benè visa ab æmulatione, sed etiam ab illa literatura, quæ se permisit trahere ab affectatione verborum. Et

cùm

enim aperta fuerit sagaria, unde Iovius extraxit telam ad vestiendam hanc fabulam: patuit falsitas fabularum, adinventa est in fundamentis veritas, discussa sunt motiva, vestigia in publicum sunt prodita, quibus suam scivit dirigere viam & fingere fabulas, circa subtilis Doctoris mortem malitia. Remanet ergo triumphans relatio integra veritate plena, quam felicissimus finis Doctoris Mariani, in primo capite, evulsam ex historicis antiquis Coloniensibus, ex epitaphys ejusdem sepulchri, ex memorijs antiquitatum Coloniensium approbatam judicio recentiorum majori declarat evidentiâ In convincenda falsitate fabulæ Iovij, certamen intuli, causâ inquirendæ veritatis & ampliandi honoris Mariani Doctoris, quibus compertis, scholæ ejus palam prolato iniquè rodentium mendacio commisi prælium non ob alias rationes, sed propter veritatem solam quia in alijs partibus mors [i] improvisa aut violenta à mundo ærumnosa dicta non est indicium culpæ, nec diminuit famam, honorem, existimationem sanctitatis. Quis condemnabit filios S. Iob [k] qui instantibus repentivis ruinis unius domus uno tempore sepulti fuêre & vitâ privati sunt? Simeonem Stilitam occisum fuisse fulmine? [l] cujus animam vidit S. Julianus Abbas ab Angelis potatam in paradisum. Sanctum Agonicum [m] à leonibus discerptum? Sanctum Belinum [n] fuisse laceratum à canibus & tamen singulos pro sanctis habitos fuisse? Gironem Archiepiscoptum Coloniensem [o] juxta narrata superius, fuisse sepultum vivum in quadam extasi, & suffocatum ab ambitioso suo Diacono? hunc tamen celebratum & habitum esse uti hominem Sanctissimum. B. Giordanum Generalem

neralem Ordinis Prædicatorum mortuum esse submersum? [p] & tamen numerari eundem inter habitatores cæli. Andræam Avelinum clericorum Regularium Theatinorum appropinquantem se altari, causâ celebrandæ missæ, fuisse obductum apoplexiâ qua ratione fuisse mortuum eadem die? & tamen ab Urbano VIII. (q) beatificatum extitisse. Et ne longiores moras exerceam in adducendis exemplis, concludo hoc successu, qui cuilibet confusionem parit. Narrat Holcotus [r] de quodam sancto, is applicationi studiorum deditus, repentinâ obijt morte, & catalogo Sanctorum adscriptus, dum autem aliquorum suspicione sinistrâq; infamiâ gloriosa ejus laboraret virtus, præ inaudito ejus mortis genere, respicientes Sanctum monstrantem digito, invenerunt eundem indicare illum sapientiæ versum [s] *justus si morte praoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Nolo itaque damnare illa improvisæ mortis genera, imposita Scoto, quia non diminuunt famam ejusdem, sed potius apertæ fictiones introductæ ab æmulatione & invidia sunt damnandæ. Triumphet itaque veritas, & deprimatur mendatium, quod attentavit privare radijs, lumine majestuosum sapientiæ solem.

a *Evagrius lib: 3. cap: 29.*

b *Baronius ad annum 491. num 1.*

c *Cedrinus in compendio historiar:*

d *Ioan: Gualt: in chron pag: 1 281. Gaspar Bruschius de epist: fol: 1281.*

e *Matthæus Ferchius in Vita Scoti cap: 10: n. 37*

f *Idem in Vita Scoti cap: & num: eodem Dermic: Thad: in Nitel: fol: 7. Vad: t. 3. annal ad an: 138.*

g *Novißima editio aucta & illustrata per Io. de la Haie Parisijs anno 1635.*

h

h Extat tom: 4. editionis Rodulphi & tom: 3. loi della Haie.

i Deuteronomij cap: 34. num: 5.

k Ægidius lib. 3. de Conceptione quæ. 6 ar: 4.

l Cavelz in Apolog. cont: Bzovium cap: 1. Dermic in Nitel: fol: 73.

m Anon: Bandel: Eymeric Spina & alij in suis tractatibus Immacul: Concept.

n Sixti IV. dua Bulla grave nimis Alex: VI. illius quos Pij V. & Grego: XIII.

o Iacob: Bergomensis scripsit supplementum anno 1486. prodiji Venetijs 1490. per Bernard:

p Ser: Pergull: anno 1493. vel 1501.

q Decr: Sixti IV in fauorem Conceptionis emanarunt an: 1477 usque ad 1483. & ex dictis ipsarum.

r Vide in cap: 3110.

s Ex Ferch: lib: 3. Apol: num: 38.

t Pergul: Berge: & Iovius ttali nullum auctorem allegando.

u Sabel: lib: 3. exemp: capi 4. Volater lib: 21. Anthropol: Gerebard: lib: 4. Chronog. sub an: 1391.

x Dermic: Thads in Nitel: Franc: fol: 72.

y Decr: Concili Basilien sub data 15. kal: 8bris an 1439. extat in armamenti Seraph: in Reg: col: [illegible]

z Dermic Thad: extat in eodem Reg: Armam: col: 45. statum Concil: Provinc: Avinion: an: 1457. recipiens decre: Basil.

a Bergom: scrippsit primus Apologiam nec vsque ad illum per duo fere secula quidquam insolitum de morte Scoti scriptum est.

b Sixtus IV. Constit: cum praexcelsa 1426.

c Sixt: IV. Breve Libenter ad ea anno 1480.

d Sixt: IV. prima extravag: grave nimis anno 1482.

e Sixt: IV. secunda extravag: grave nimis anno 1482.

f Prodierunt serm: Pergul: an: 1493. vel 1502.
g Alex: VI. Bulla illius qui se anno 1502.
h Vadin: t. 7. annal ad an: 1505. n. 7. & 180
i Iulij II. Bulla pastoralis officij anno 1505. apud Vad: t. 8. ad anno 1506. num: 36.
k Libro de actis juridicis Bernen: anno 1509. apud Hippolitum Marracium.
l Extat inter Cajet: opusc.
m Dermic: in Nitel: cit.
n Vide in regestr: armamen.
o Rumorem hunc in vulgum sparsum refert Genebar: per verb: ferunt. Qui tunc temporis scripsit.
p Decre: Pauli V. extat in armament: ex 1806
q Ex Dermic in Nitel: fol 72. rem integra fide referente.
r Constat ex ipsis Bzovij annalibus.
s Ostendit evidenter Matthaus Ferch: lib: 1. tot: & lib. 2. cap. 1. num 8. & sequ.
t Dermic: cit. dicens: hac de Bzovij intentione scribo, non solùm ex affectu & opere, verùm etiam & fide digna relatione eorum qui id scire potuerunt.
u Alex: VII. Bulla solicitudo omnium Ecclesia anno 1661.
x Libel. cit. scriptus anno 1661.
y Videatur judicium Hugon. Cavell. in Apolog. contra Bzovium cap. 1.
z Mich: Oyer: Orat: encomiast: fol. 31. Anonim. Iesuita in elogio Scoti impres: anno 1662. ait: martyr Concepta Virg appellandus, seu merita vita, seu mortis calumnias spectes.
a Ex Vading. in vita Scoti cap. 9. num. 40.
b Secundum epigramma funeris Scoti. in propria dulcedine letum venit atrox raptim.
c Hac phrasi usus est Suetonius in Caligul. cap.

7. ad

v. ad significandam mortem duorum filiorum Caligula.

d *Sap. 4. num. 10.*
e *Epitaphium Scoti, in teneris annis*
f *Brizeg. in Vita Scoti §. 21. num. 28.*
g *Ferch. in Vita Scoti cap. 10 num. 38.*
h *VVadin. in Vita Scoti cap. 9. num. 40.*
i *S. August: epist. 122. & lib. 1. de civit. Dei cap 11. ait mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit.*
k *Iob cap. 1. num. 29.*
l *Prat: spiritu: cit.*
m *Calius lib. 17. cap. 28. antiq. l.*
n *Auct. cit. supra*
o *Io. Michaël Pius lib. de vitijs hominum pag. 8. inter beatos fol. 253.*
p *Felix Cancellorius in relat.*
q *Extat Bulla Pontificis in bullario Cherb: tom. 4. B. 42.*
r *Holcot in sapien. cap. 4.*
s *Sap. cap. 4.*

CAPVT VII.

In quo describuntur translationes Corporis Doctoris subtilis.

DIximus in primo capite corpus Doctoris subtilis Joannis Duns Scoti fuisse sepultum in Ecclesia S. Francisci Coloniæ in ingressu sacrarij propè altare Regum, & fuisse positum supra tumulum quendam lapidem cum honorifico epitaphio. Hic itaque jacuit aliquot annis [a] quousque creverit ejus fama & intonuerit omni die clariùs ac clariùs ejusdem, nomen, conse-

quente

quapropter fuit judicatum ossa ipsius digna celebriori tumulo. Elegerunt itaque superiores ob eam causam quendam locum clariorem id est medium chori quod est in loco plano Ecclesiæ prope altare majus, ubi collocata fuêre in urna lapidea in quadrum extructa, quæ erat contecta alio lapide latiori, cui iterum admovebatur ex marmore alter, illiq; fuit insculptum primum ejusdem epitaphium cum additamento aliorum quatuor versuum, in quibus describitur hæc prima translatio. In duobus tabulis scripta fuerunt duo epigrammata circumscribentia ejusdem gloriam, pendebatque perpendiculariter superius de tecto supra sepulchrum campana ad symbolum resonantis famæ ejusdem celebritatis. Hæc prima fuit translatio subtilis Doctoris ossium, primumque honori ipsius ac immortali nomini erectum mausoleum.

Quando fuerit facta hæc translatio, determinate notitia haberi non potest, licet benè notum eandem fuisse factam ante annum 1499. quippe eodem anno fuerunt impressi annales Colonienses Milmani [b] & in illis fit ejusdem sepulchri mentio. Matthæus Ferchius conjecturat [c] fuisse factum tempore Sixti IV. quando mysterium Immaculatæ Conceptionis Mariæ fuit illustratum decretis hujus Pontificis, post modum illo tempore decebat manifestare cum majori excellentia & collocare decentiùs istius illustris privilegij principalem defensorem & athletam, sed ego huic conjecturæ non adhæreo, quia Milmanus dicit [d] Scotum fuisse sepultum in choro sub illa campana supra, de tecto, allegando inscriptionem ejusdem sepulchri, unde illum non habere notitiam hujus

trans-

translationis, nec etiam primæ sepulturæ, etsi translatio fuisset post decreta Sixti IV. quæ fuerunt edita circa annum 1480. videtur impossibile Milmanum viventem tunc Coloniæ & inquirentem antiquitates ad describendos proprios annales [e) qui fuerunt impressi solùm octodecim annis postea, non habuisse notitiam hujus rei sic recentis. Propterea ego credo illam relationem primæ sepulturæ habuisse Trithemium [f) ex historia Coloniensi Gotfredi, unde alia & multa deduxit, & mihi ipsimet svadeo hanc translationem factam esse paucis annis post morrem subtilis Doctoris quia epigrammata sunt facta & conformia stylo antiquitatis. [g] & additamentum illorum quatuor versuum in primo ejusdem epitaphio, non solùm stylo manifestum, verùm etiam verbis ad intelligentiam explicatum, docet esse factum parvo tempore post ejus fata.

In hoc tumulo fuerunt ossa subtilis Doctoris [h] quousque augeretur affectus & devotio Franciscanorum erga Doctorem subtilemMarianum. Agitabant superiores Colonienses de quodam fabricando sepulchro, & sic anno 1509. aperto sepulchro, exhumarunt ejusdem ossa, & ea deposuerunt à parte post altaris majoris ubi quiescebant quatuor annis, nam tot ad erigendum & fabricandum illud monumentum prærequirebantur anni, quod etiam hodie apparet comptum nitido metallo, ac elaboratum excellenti artificio.

Finito itaque, anno 1513. fuerunt ossa deposita in eodem collocato sub terra ad caput novi tumuli. totum id constat ex scriptura antiqua, conservata in scrinio plumbeo, quæ

moder-

modernis temporibus in Archivio Conventûs Coloniensis servatur unde eandem transtulit, & traduxit [i] de latino idiomate in sermonem vernaculum & communem.

Notum sit omnibus & pateat evidenter universis, & singulis tam præsentibus, quàm futuris, quòd anno Domini Millesimo quingentesimo nono, penultima mensis Augusti, sub Pontificatu sanctis: Patris & Domini Iulij divinâ Providentiâ Papæ II. Archiepiscopatu Coloniensi Philippi Dieberstein, atque Imperio Maximiliani Archiducis Austriæ electi, Ministeriatu Colonensi Fratris VVeselli Gosbrinth de Monasterio sacrosanctæ Theologiæ facultatis Magistri, pœnitentiariatu Fratris Gerhardi Pauli facultatis dictæ Baccalaurei formati, cursoratu Fratris Cornelij de Daventia, studij Magisterio Fr: de Rutgerij de Rattitge. Apertum est sepulchrum Doctoris subtilis Fratris Ioannis Scoti ob singularem affectionem Patrum & Fratrum: & inventa sunt ejus ossa integra & admodum redolentia, subrubra & in juncturis alba adinstar lactis uncta. Et ex tunc in altari summo retrorsum posita. Mox in hoc sarcophago ex aurichalco facto, ut apparet & nunc, eleemosynâ Gvardiani prædicti collectâ. Anno verò Domini Millesimo quingentesimo decimo tertio, sexta decima Mensis Augusti, hæc ejus cuncta ossa hoc in sarcophago posita. atque recondita Pontificatu Domini sanctißimi Leonis Decimi, Archiepiscopatu Dom: Philippi Dieberstein, Ministeriatu R. P. F. Hermanni Haveilor sacræ Theologiæ Magistri, Custodiatu custodia Frisiæ R. P. F. Ioannis de Durstent Gvardianatu R, P. F. Gerhardi Pauli supradictæ facultatis Magistri. Lectoratu F. Cornelij de Daventria Baccalaurei formati, senioratu Fr. Iacobi

de

de Mondorp: studij Magisterio F. Willelmi de Selingen; quo quidem anno Octavâ Regum ex tumultu populi Coloniensis, decollati sunt in fore Janiburgi Magistri, videlicet Ioannes de Reit, & Ioannes Oldendorp nobiscum in Capella S. Francisci sepultus, & reddituarius Civitatis Ioannes Bergum, alias Papegei plures & alij ex civibus tres, quorum animæ in pace perpetua lætentur.

Scriptum per me Fratrem Liborium Rodolphô de Conventu Paderbornensi majoris studij, hujus insignis Conventus decani. Anno Domini 1513. 16. die mensis Augusti.

Sed scio ô lector, te expectare descriptionem sepulchri subtilis Doctoris exstructi à Patribus, ubi ejusdem conservantur ossa hic eandem ego tibi [k) ex Mattheo Ferchio de verbo ad verbum enucleatam refero, qualiter illud suis scriptis annotavit, & delineavit. Facto progressu áb altari majori versus planitiem chori venit mihi obviam ultimus gradus ex lapide in quo impressis literis legitur: *obijt Ioannes Scotus S. Theologiæ Doctor subtilis nominatus anno 1308.* abest ab isto gradu in planitie chori, & in medio ejusdem latitudinis sepulchrum subtilis Doctoris mensurâ unius pedis geometrici: Elatum est à terra tribus gëometricis palmis. Est quadratum longius tamen ex una parte, & totum manet obductum pulcherrimâ laminâ ex ære artificiosè elaborata videtur ad pedes tumuli impressum illud epitaphium: *ante oculos saxum* quod brevi adducetur, in medio tumuli, ærea reperitur imago Scoti cum libro in manibus depicta artificiosissimè. Procumbunt ad ejus pedes, ex una & altera parte leones, quasi ob custodiam tumuli. In extremitatibus occupant longi-

longitudinem utriusque lateris imagines ſculptæ aliquorum Doctorum celebriorum noſtræ Religionis. [qui non ſunt omnes diſcipuli Scoti) Ad manum dextram eſt Gvilelmus Ocham, Hugo Caſtronovienſis, Franciſcus Mayro, Rychardus Mediovilenſis, & Alexander de Ales. Ad ſiniſtram Nicolaus de Lyra, Petrus Aureolus Rogerius Varro, Alexander Alexandrinenſis & Guilelmus Varro. In parte ſuperioris ſepulchri ad caput Scoti, manent ſimiliter inſcuſpti tres ſūmi Pontifices [quos illo tempore procreavit S. Romanæ Eccleſiæ familia Minoritana] Alexander V. Nicolaus IV. & Sixtus IV. cum ſuis ſtemmatibus. In angulis capiunt latitudinem duo Cardinales S. Bonaventura, & Bertrandus unus Doctor Seraphicus, & alter famoſus in ſuis operibus. Totum ſepulchri operimentum eſt egregium elaboratum ab artifice præſtantiſſimo opere, A principio ſepulchri in pavimento chori reperitur lapis quadratus cum hac inſcriptione: *hic aperitur ſepulchrum Doctoris ſubtilis dicti Ioannis Duns.* Iſte eſt ô benignè lector proſpectus qui habetur ad ſepulchrum noſtri Doctoris ſubtilis Scoti: diſpoſitio autem intus, & quomodo maneāt oſſa collocata ejuſdem, in narratione translationis videbitur quæ ſequitur, Cum jam eſſet majus elapſum tempus uno ſæculo ab erectione hujus ſepulchri, & collocatione [ut jam dictum eſt) reliquiarum Scoti anno Dni 1619. [l] die 13. Ianuarij Reverendiſſimus Pr. Magiſter Iacobus Bagnacaballenſis Miniſter Generalis totius Ord: Minorum Conventualium, præsente Jlluſtriſſimo Domino Antonio Albergato Epiſcopo Vigilienſe & Nuncio Apoſtolico in illis partibus

Germa-

Germaniæ cum poteſtate Legati ad latus Reverendiſſimi Domini Ottonis Gereonis Epiſcopi Cyrenenſis Suffraganei Coloniæ Adm Reverendo Pre Fre Coſmo Morelio Hiſpano Ordinis S. Dominici, Inquiſitore Colonienſe, contra hæreticam pravitatem, & alijs hominibus Clariſſimis præſentibus, fecit aperire ſeculchrum & exhumare oſſa ſubtiliſſimi Magiſtri. Amotus eſt lapis qui [ut ſuperius narravimus] poſitus erat ad caput tumuli effoſſus duobus pedibus, ſuperinventus alius iterum lapis quadratus, quô remotô & ſepoſitô apparuerunt detractæ carnis reliquiæ in interioribus urnæ trium palmorum ſub eodem lapide. Erat Calvaria in vertice oſſium majorum corporis, & aliorum quæ obducta erant terrâ primæ ſepulturæ, quæ ſiquidem proximæ erat obnoxia cadavericæ corruptioni, adhuc à prima ſua translatione erat Conſervata cadavericæ corruptioni, in illa urna. Exhumata oſſa ex illo depoſito, repoſita fuerant in ſacrario & clauſa ſub clavi duplici. Inde ſtatim extructus fuit ſub terra ad caput ſepulchri fornix quadratus ſeu concameratio, quæ diviſa quaſi cum artificio tabulæ duas efformabat ædiculas. Erant præparatæ duæ arcæ, una lignea in qua non fuit ſimilis & tanta exacta expreſſio, & in hac repoſita fuit terra, cùi commiſcebantur hucuſque oſſa ſubtilis Doctoris, mittendo eadem in ædiculam inferiorem ſubtus, alia plumbea longa quatuor palmis, alta duobus, & alijs duobus lata, cui immittebatur ex quercu accommodè alia cum operimento vitreo, & in hac reverenter fuerunt depoſita XV. ejuſdem menſis oſſa ſubtiliſſimi Doctoris

ctoris gratiſſimum ſpirantia odorem, & in explicabilem fragrantiam, reſpiciendo ſecundam ædiculam ſublevantem ſepulchrum, intus hujus arcæ fuit poſitum teſtimonium autenticum modernæ translationis, quod translatum ex latino idiomate in linguam communem [m] his verbis.

In Nomine Sanctiſſimæ & Individuæ Trinitatis Amen, Anno post Nativitatem Domini noſtri IESV Chriſti 1619. Pontificatus noſtri Dni Papæ Pauli V. anno 14. Invictiſſimi Imperatoris Mathiæ Primi Auſtriaci ſemper Auguſti anno 7. ſereniſſ: Ferdinandi Ducis Bavariæ Archiepiſcopi & Electoris Colonenſis, anno 8. inditione ſecunda. Cum prima die menſis Decembris in hanc Illuſtriſſimam civitatem Colon: paterno affectu, & zelo ductus Reverendiſſimus in Chriſto Pr. F. Iacobus Bagnacabal Ord: Min: Convent: Miniſter Generalis ad viſitandum & reformandum ejusdem Ord: Mini Convent: Divi Franciſci conventum veniſſet, cumque multa pia, ſalubria, & ſancta in actibus viſitationis inſtituiſſet, mandavit quoque ut ſepulchrū Fr: Ioan Duns Scoti dicti Ord. Min. Conv: Doctoris ſubtilis in medio Chori ſub campana ſitum & ancа lamina [qua ipſius Doctoris ſubtilis effigie illuſtrata eſt] coopertum, aperiretur ad videndum ibi. & quomodo oſſa omni veneratione digna requieſcerent. Die ergo 13. Menſis Ianuarij præſentibus & inſpectantibus Illuſtriſſ: ac Reverendiſſ: DD. Antonio Albergati Bonon: Epiſcopo Vigiliarum, ac Nuncio Apoſtolico per tractum Rhenanum cum poteſtate Legati à latere. Item Reverendiſſ: DD. Othone Gereon Epiſcopo Cyrenenſi. & Suffraganeo Colon: eodemmet etiam Reverendiſſ: Patre Iacobo Bagnacabal, Generali Ad-

modo

mod: Reveren: P. Ioanne Pelckingio Provinciali Ministro, & Gvardiano Coloniæ ac visitatore Generali. Admodum R. P. Matthæo Veglersi Provinciali S. Bonaventuræ. Admodum quoque Reveren: P. Ludovico de Castro Provinciali Leodiensi. RR. demum Patribus sacrosanctæ Theologiæ Doctoribus Gerhardo Romero &c. supradictum sepulchrum apertum est per vespillores sub evando lapidem jacentem ad caput sepulchri, cui inscriptum erat. Hic aperitur sepulchrum Ioan: Duns Scoti Doctoris subtilis, effosâ ergo aliquantulum terrâ, inventus est sarcophagus ex lapide vivo coopertus alio lapide. Et in eodem reperta sunt pleraque oßa supradicti Doctoris valdè rubea. Sed quoniam hoc modo parum decenter condita & servata putabantur, eò: quòd ad caput ipsius sepulchri in lapide impolito requiescerent; Hinc præfatus Reverendißimus Pater Generalis præcepit, ut evacuatâ ex sepulchro terrâ. opus concameratum, sub ipso lapide construeretur, ut supra memorata ossa honestiùs ac decentiùs pro tanti Doctoris dignitate collocari possent. Confecta est ergo arca plumbea, cui ossa arcula lignea inclusa piè sunt imposita, ac postmodum in sepulchro concamerato reverenter collocata. Sargophagus quoque ligneus præparatus est, in quo terra recondita est, quæ in antedicto sarcophago lapideo oßibus intermixta jacuerat: idemq; in sepulchro apud ossa collocatus aßistente & spectante cum supradictis Patribus P. Iacobo Bagnacabal. Ministro Generali, admirabili cum affectu, zelo, ac pietate pro decore, ac illustratione: honore, ac gloria Doctoris subtilißimi, atque religionis seraphicæ. In quorum omnium fidem ego Frater Gerhardus Romerus Sacræ Theologiæ Doctor, Notarius ad hæc à Reverendißimo

P. Generali specialiter deputatus, præsens hoc instrumentum (salvâ semper copiâ ulterioris dilatationis) confeci; vocatis ad illud ijsdem testibus Admodùm R. P. Vberto Iunckmano, Patre Provincia, & RR. Patribus Patre Vvinando Stomellio, & Patre Ioanne Molmanno Tremoniensi. Actum Coloniæ in Conventus nostro D. Francisci M. DC. XIX. die mensis ut supra.

Fr: Iacobus Bagnacaballensis Min. Gte Generalis. Ita est, Ego Fr: Gerhardus Romerus Sacrosanctæ Theologiæ humilis Doctor, tanquam Notarius, ut supra attestor.

Ego Fr: Ioannes Felix de Brinia Ord: Min: Con: S. Francisci secundus Secretarius, fidem facio & testor prædicta fuisse hæc scripta à Patre Magistro Gerbardo Romero de mandato Reverendiss. in veritatis testimonium. Die 15. Ianuarij 1619. in Conventu S. Francisci.

Locus ✠ Sigilli

IN operculo arcæ plumbeæ (n) à parte intus fuit extensa charta membranea & fuit operta quadam materia perlucida cui linguâ latinâ fuit inscriptum sic.

Hic jacent ossa Fratris Ioannis Duns Scoti subtilis Doctoris pijssimi veneratoris ac defensoris Immaculatæ Conceptionis Mariæ Virginis qui fuit exhumatus & in eo loco, separatâ terrâ, quâ replebatur, ejectâ, repositus, ad mandatum Reverendissimi Patris Fratris Iacobi Bagnacaballensis Ord: Min: Conv: Ministri Generalis, anno Dñi 1619 15. Ianu: A parte extra fuerunt scripta in eodem operculo hæc sequentia verba:

Reverendissimus Pr: Frater Iacobus Bagnacabal-

lensis Artium & S. Theologiæ Doctor, nec non Universi Ordinis Min: Conventualium Minister Generalis anno 1619 dùm hunc conventum visitat Fratris Ioannis Duns Scoti Doctoris subtilis meritò nominati, intemeratæ Conceptionis Virginis Mariæ pissimi cultoris & acerrimi propugnatoris: ossa, quæ terræ immixta in diem illum usque jacuerant, effossa humo, in loculum concameratum, stratumque ejusdem Reverendissimi jussu constructum, plumbeæ arcæ inclusa intulit. die 15. Ianuarij.

Finitâ cum omni claritate narratione rerum clauditur arca plumbea [o] & ne aperiatur manet sigillata in quatuor lateribus sigillo Religionis Minorum Conventualium, quam sequente Reverendissimo Pr: Generali auctore istius egregiæ functionis, cum toto conventu & plurimis hominibus tam doctrina quàm nobilitate præditis: convenientibus ad magnificandam famam ipsius, & ad videndas reliquias magni Doctoris, fuit lata à duobus Provicialibus Matthæo Ferchio, & Ludovico de Castro à sacrario ad sepulchrum, & super asserem in medio sepulchri posita est. Nec mirum, si defensor Immaculatæ Conceptionis hoc tempore gloriosè exilivit, quoniam paulò ante scilicet anno 1617. 12. septembris Paulus V. Sanctæ recordationis decretum edidit, quo sententia Scoti est illustrata, opposita verò ne in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs actibus assereretur est pressa, modoq; plurimorum Doctorum laboribus ejusdem vita, mores, doctrina, tùm apologijs, tùm historijs illustrantur, Scoticum quoque placitum coruscat;

Nam Sanctiss: Dominus noster Gregorius XV hoc anno 1622 die 24 Maij sanxit ne opposita sententia Divam Virginem peccato pollutam asserens, possit in sermonibus, aut scriptis etiam privatis affirmari; atque ut juxta Scoticæ devotionis nomenclaturam, omnes Ecclesiastici, seculares aut regulares in officijs, sacrificijs publicis, ac privatis sub Conceptionis intemeratæ titulo Deum Opt: Max: & Dei parentem Collaudent: quo & singulare ejus dogma, & ipse subtilis Doctor illustrantur.

a. *Prima translatio funeris Scoti ex Matth: Ferch: in Vita Scoti c. 8. n. 29. & uVal: in Vita Scot c. 13. n. 53.*

b. *Milman chron. Colonien. sub an 1308.*

c. *Ferch cit: quem sequitur VVading.*

d. *Milman cit: & sepultus est apud Minoritas in choro sub campana prout declarat superscriptio ad ejus sepulchrum.*

e. *Chron. Colonienses. Milm: excusæ sunt an 1499. ut testatur Ferch: cit: unde non multò post Decr: Sixt: IV. elaboratas esse, necesse est.*

f. Trithem: *in præfat: chron: Hirsuag: ait: ex histor: Coloniensium Gotfridi monachi S. Pantaleonis plura deprompsisse.*

g. *Videatur infra.*

h. *Secunda translatio funeris Scot: ex publico, & authentico instrumento mox transcribendo, ejus meminit Andreas Tevet in lib: de Vitis & imaginibus Virorum illustrium in Ioann: Scoto:*

i. *Transcriptum chirograph: autentic: hujus translatio ex Ferch cit: num 30.*

k *Descriptio sepulchri Scot: ex Matth: Ferch: oculari teste, quem transcribunt VVading: & Brizeg: 22. num 5.*

l. Ter-

l *Tertia Scoti funeris translatio ex Ferch: cit: num 33. qui ipsi interfuit, quem transcribunt Wading: & Briz: cit:*

m *Transcriptum chirograph: publici. & authentici hujus translationis ex Ferch cit.*

n *Prosequitur enarratio translat: ex eodem Ferch cit: n. 34.*

o *Reliquiarum Venerat Scoti honorifica Collocatio ex eodem Ferch cit.*

CAPVT VIII.

In quo describitur examen signorum mirabilium, quæ facta fuerant in translatione ossium, Doctoris subtilis.

MIrabilia signa, quæ in reliquijs Fratris Ioannis Duns Scoti elapsis duobus & tribus seculis post fata ejus visa fuêre toti mundo, sicut præcedenti significavimus capite non permittunt pietati ut sine ponderatione & earum reflexione transmittantur, nec malitiæ ut transcurantur sine examine. Ducentis annis post obitum subtilis Doctoris [a] cùm fuerint ossa sine ulla pompa & honore conservata in lapidea urna, obducta atque cooperta humo prioris sepulturæ, fuerunt adinventa integra odorem spirantia, rubicunda, & in juncturis alba, madido ad instar lactis circumfusa liquore, & postea plusquàm trecentis annis reperta multò intensiùs rubra: ut superius innuimus. Movit ad venerationem miraculum, quod tempore fabricati sepulchri in quo collo-

canda erant cum majori decentia ossa subtilis Doctoris; evenerat. Superiores enim prælati primò eadem posuêre in altari majori, secundò in sacrario, illamq; terram, quâ obducta erant ossa cum summa reverentia & honore ibidem conservârunt, [b] præsentibus duobus Episcopus cum maximo concursu nobilitatis & populi Coloniensis eisdem assistentibus. Sed quis unquam crederet eadem signa, quæ moverunt homines magnæ existimationis ad venerationem tam honorificam, excitasse etiam æmulationem ad infamem calumniam? quis existimaret fuisse ibi Catholicum, à quo criminaretur hoc prodigium? & tamen in rei veritate inventus est. Non miror, siquidem vespa sumit venenum à flore, à quo apis accipit dulcedinem, & ex inde provenit, quia non accedit ad florem nisi ut eundem proprio pungat aculeo. Nicolaus Iansenius [c] ad obscurandam subtilis Doctoris gloriæ famam ausus est scribere illum rubrum colorem qui post tot secula apparuit in ossibus, fuisse signum mortis ejusdem violentæ, dat testimonium dicens: quendam medicum id narrasse (non specificando tamen ejusdem nomen) ex quo auctorisat calumniam: sed vide contrarium! Episcopus Dunensis [d] proponi curavit hanc propositionem pricipalioribus mundi medicinæ Doctoribus; *Vtrùm à colore rubro accenso in ossibus unius defuncti conservato plusquàm trecentis annis post mortem ipsius, possit colligi via artis medicinalis, quo in genere mortis sua finiverit vitam? & specialiter si fuerit mortuus suffocatus, suspensus aut si alio genere mortis violenter fatis cesserit?* Omnes eandem resolvêre scriptis; Doctor Duarte Baes Catholici Monarchæ Hispaniarum [e] medicus, Paulus Emilius, Fo-

rillus

rillus medicus aulæ Regis Christianissimi Galliarum, Dionisius Guarrini Doctor medicinæ Parisijs, Gaspar Praguer medicus legalis & ordinarius Serenissimi Comitis Pressionensis, Gervasius Doctor medicinæ Parisiensis, Magister Corbese chirurgus regalis, omnes convenêre quantum attinet colorem ossium, nullo modo ratione naturali ab ipso posse deveniri ad genus mortis; & affirmari eundem esse indicium violentæ mortis, imò multi asseruerunt hoc esse ineptum mendacium, somnium febricitantium, conjecturam extra rationem, quod convincitur evidentiâ ossium maximè suspensorum, & aliorum qui violentâ decedunt morte, qualium color est uniformis, & illorum ossium quorum subiecta in omni quiete naturali denascuntur. Alij verò supradictorum medicorum, attribuunt illum colorem rubrum incensum causæ supernaturali, & inter ipsos Doctor Duarte Vaez [f] quòd si fuisset quæstio ossium alicujus hominis illustris pietate, non sine ratione attribui posset talis *color* miraculo, quia in vita S. Cathaldi Apostoli Tarentinorum (g) narratur per miraculum inventas fuisse ejus sacras reliquias rubras, aliquot seculis post felicem obitum. Itaque clarum est, quòd si fuisset declaratum Doctori Duarte subiectum quæstionis esse Joannem Scotum magnum, & illustrem pietate, ut in hac historia visum est, judicaret absolutè tale signum esse miraculo plenum, confirmat hoc arbitrium & judicium factum in universitate Arcillensi, ubi reperta fuêre ossa venerabilis servi Dei Francisci de Tores cum simili colore, cujus visitantes in conventu S. Didaci Arcillensis (h) reliquias Apostolici judices specialiter deputati à sede Apostolica ad formandum processum plenarium ratione

one beatificationis & canonizationis, aperto ſepulchro invenerunt ejuſdem oſſa ardenter rubra & ſic uti Doctores medicinæ Collegij Arcillenſis peritiſſimi, cæterique prudentes teſtimonio viſitationis judicârunt illum colorem accenſum (reflexi ſuper alia opera Sanctitatis, particulariter ſupra ardentem zelum, quo plenus hic fervidus concionator procuravit vitijs refrigeratos, virtutibus accendere) valere pro ſigno evidenti & digno omni exceptione ſanctitatis V. ſervi Dei. Igitur conſideratis ſimiliter exercitijs perfectionis (i) quibus ſubtilis Doctor toto vitæ ſuæ tempore incumbebat, ponderato ardentiſſimo fervore, quo ſemper defendebat Mariæ Matris Dei originalem innocentiam, viſo ferventiſſimo zelo, quo accenſus impugnavit hæreſim Begardorum uſque ad cauſandam ſibimet ipſi mortem, ob fervorem ejuſdem diſputationis, contra hos, aut aduerſarios originalis innocentiæ factæ, inventa ejuſdem oſſa ardenter rubra elapſis jam tribus ſeculis poſt obitum ipſius, eſſe ſignum evidens & firmum teſtimonium ſanctitatis, quo ipſum voluit patefacere cælum.

Et quid dicet æmulatio ad alia ſigna apparentia in ejus oſſibus duobus elapſis ſeculis poſt felicem exitum? lactei liquoris ex ijſdem profluentis? odoremq; ſpirantis? ignorat quid reſponſura eſt hoc miraculo, ego illud cognoſco, eveniſſe ob majorem gloriam Mariani ſubtilis Doctoris. In Bulla canonizationis S. Thomæ Aquinatis (k) inter ſigna, quibus omnipotentia Dei manifeſtavit & patefecit inſignem ſanctitatem hujus magiſtri, narrat Joannes XXII ſummus Pontifex fragrantem odorem ſanctarum ejus reliquiarum his manifeſtando verbis: *iſtim fragrantia aliqua ex teſti-*

moniis

monijs narrant ſuavitatem ſentire poſt ſpatium ſeptem annorum, & alia poſt ſpatium quatuordecim, quando ob diverſas cauſas variè ipſius intuebatur corpus. Certum eſt hunc odorem demonſtrare limpitudinem ſuæ carnis acceptatæ Deo, repræſentare ſuarum orationum odoramenta ad percipiendam clarè ipſius illuſtrem virtutum famam. Jgitur concedatur petenti facultas cum hoc teſtimonio irrefragabili eminentis ſanctimoniæ Angelici Doctoris, comparare bonum odorem Mariano ſubtiliſſimo Doctori. Fragrantia reliquiarum S. Thomæ Aquinatis ſecundùm judicium capitis Eccleſiæ, fuit ſignum mirificum ejus puritatis, elevationis ſpiritûs, claritatis famæ, aliarumque virtutum. Itaq; cùm fuerit Doctor ſubtilis Scotus ſic purus carne, ut (l) nuncuparetur caſtimoniæ jubar, ſic fervens oratione (m) ut exiſtimaretur homo extaticus; ſic illuſtris famâ (n) ut toto orbe proclamaretur, ſic virtute eminens (o) ut exiſtimaretur unum hyperbole perfectionis, jam applicatur ei præfatum teſtimonium maxime dùm adeſt in ejus reliquijs tam intenſa fragrantia. In reliquijs D. Thomæ ſenſu percepta fuit fragrantia ſolùm quatuordecem annis poſt ejus obitum, attamen ſufficiens erat ad ejuſdem canonizationem, ac venerationem, nec reperiebatur talis, qui teneret oppoſitum. At fragrantia ſubtilis Doctoris fuit ſenſu percepta, pluſquàm ducentis annis poſt ejus fata, nonne eſt ſufficiens ad tuendam ejus bonitatem? (quamvis non ad æqualem cum Doctore Angelico ſanctitatem) & cohibendum æmulorum zelum? maneant ſaltem cineres intacti ejuſdem ſepulchri? eſt enim animoſum ulciſci injuriam non tamen temerarium. Prodigium illius candidi & fragrantis liquoris, qui ab oſſibus

rubicun,

rubicundis Mariani Doctoris stillabat per juncturas (p) prout observavit Andreas Tevet (q) fuit notum & visum anno Domini 1509. tunc quando cum majori ardore controvertebatur, [r] mysterium Immaculatæ Conceptionis, imò prædicto tempore videtur divinâ dispositione Scotus è sepulchro egressus fuisse ad assistendum defensoribus mysterij, prosequendo inceptum pijssimis insertum pectoribus, affigendo tenaciter & repræsentando ossibus impressa adinstar strenui capitanei mirifica militaria signa, candoris fragrantis in campo rubro. Adduco hic ad gloriam subtilis Doctoris, quod eruditus Felix Cantellorius [s] in sua praxi canonizationis Sanctorum inter signa sanctitatis ponit, nimirum stillare sicca & arida ossa liquorem odoriferum. Lac quod manabat ex juncturis pulpis detractis ejusdem Doctoris candor fuisse traditur, eò: quòd in vita sua innocentissimi gerebat infantis speciem. Sed ut ex omni parte maneat convicta æmulatio, audiatur opinio celeberrimi physici Hispani Antonij Ponce S. Crucis [t] Prothomedici Generalis Hispaniarum, & aulæ Regis Catholicæ Philippi III. & IV. in prima Cathedra Universitatis Vagliadolidensis & Abbatis de Carruvias signorum mirabilium, quæ visa fiêre in reliquijs Doctoris subtilis, in suo libro prælectionum Vallisoletanarum supra hipocratem sic dicitis;

Quando pervenimus ad punctum istud statim obviam venit V. Scotus prodigium Philosophorum & Theologorum, celebris non tantùm sanctitate sed etiam subtilitate scripturæ, cujus memoria in benedictionibus est, quia post tot annorum decursus cùm fuerit ejus corpus sepultum absque

uta,

utili aliqua diligentia ad conservationem ejusdem, sed solùm (sicut alia corpora sepeliuntur more communi) positum in visceribus terræ, ubi omnia cadavera vulgari corruptione putrescere solent; ad ultimum tamen fuerunt reperta ossa rubicunda uti rosa ejusdem magnum spirantia odorem, & in suis juniturис madefacta liquore lacteo & hoc inauditum miraculum visum post annos ducentos ejusdem mortis confirmatum multorum gravium authorum testimonijs fuit remissum non sine admiratione omnium, nostræ Censuræ post judicia universitatis Hispaniarum, & nos consideratis bene omnibus circumstautijs affirmavimus & nostram dedimus sententiam autenticam cum nostro Sigillo, illa signa reperta in ossibus Subtilissimi Doctoris Scoti, esse à causa Divina & supernaturali, id est à Deo qui voluit non solùm illustrare animam tam celebris hominis: sed & ossa sancti tabernaculi & judicavimus (quod ad huc & nunc tenemus ut certum) eundem animam reddisse Deo, sublatum extasi, & fuisse sic accensum divini amoris incendio, ut & ipsa ejusdem ossa in Deo vivo lætarentur, & se vestirent colore roseo unione æterni splendoris.

Hucusque doctissimus Abbas. Hæc ergo est sententia medici non individui vagi, aut ficti, sed nominatissimi & celeberrimi per omnem Hispaniam non vocalis, sed cum examine maturo scripta in libro, non occulto: sed exposito, in mundi

lu-

lucem, qui frequenter legitur in cujscunque ma. nibus. Ab hac depositione convicta invidiosa calumnia manet, & in sempiterni silentij carcere assumit terminum.

a *Ex chrirogr: authentico transcripto in praecedenti Capitulo.*

b *Constat ex eodem Capitulo praecedenti.*

c *Nicolaus Iansen. in Apolg: pro Bzovio.*

d *Hugo Magnesius in Apologia contra Ianseniim praefixa Reportatis Scoti editionis Coloniensis c. ult: pag: 64.*

e *Extant censiones medicorum in Apolog: cit: Magnesij pag: 76.*

f *Doctor Duarte Baez apud Hug: Magnes cit:*

g *Refert etiam Baronius in notis ad martyrol Rom: ad diem 9. Maij*

h *Ex testimonio authentico R. P. Fratris Gaspari dela Fuente, tunc Guardiani Complutensis apud Brizeg: in Vita Scoti S. 22. n. 21.*

i *De his latè supra toto 1. lib: & 2.*

k *Bulla Canonisationis S. Thomae Aquin: in Bullar. Cherubini quae est undecima Ioann: XXII.*

l *De quo supra lib: 2. c. 7.*

m *libro 2. c. 4.*

n *Ant: Andrea in calce Commentar. in 12. lib: metaphisica.*

o *Epitaph: Scoti ibi.* Nulli virtute secundus.

p *Supra lib: 2. c. 5.*

q *Andr: Tevet de Vitis & Imaginibus Virorum illustrium in Io: Scoto.*

r *Surius in chron. anno 1509. chroni Citizense ad eundem annum Trich: in chron Spanhem.*

s *Felix Cantellorius in praxi de Canoniz. Sanctorum c. 14. num 20.*

t *Anton: Ponce de Sancta Cruce lib: Praelectionum Valis. in lib: Hipocratis Co: de morbo sacro*

ejceus

excusum Matriti anno 1631 cap. 21. propè finem.

CAPVT IX.

In quo describuntur epitaphia adornantia, sepulturam Doctoris subtilis.

Cum fuerint epitaphia scripturæ publicæ antiquitatis de finalibus eventibus vitæ testimonia immutabilia, de particularibus ejusdem morbis & finaliter posthumæ famæ, non est prætermittenda memoria illorum in hoc opere, ob majorem approbationem authenticam innocentiæ subtilis Doctoris. Jtaque in lapide (a) ob honorem ejusdem posito supra primam sepulturam in ingressu sacrarij prope ad altare Regum immediatè fuit incisum versu leonino epitaphium, cujus copia translata à lapide, ob memoriam novi sepulchri statim post obitum subtilis Scoti, servata est cum relatione in libro antiquo manuscripto posito in Biblioteca Conventûs S. Francisci Coloniæ.

Primum Scoti epitaphium.

Clauditur hic rivus, fons Ecclesiæ, via, vivus.
Doctor justitiæ, studij flos, arca sophiæ.
Ingenia scandens, scriptura abdita pandens.
In teneris annis fuit, ergo momento Ioannis.
Hunc Deus ornatum, fac cælitus esse beatum
Pro patre translato modulemur pectorè grato.
Dux fuit hic Cleri claustri lux, & tuba veri.

Jn prima translatione facta ejusdem Doctoris ossium & cinerum [b] paucis annis post felicem obitum ad medium chorum, in lapide tegente

urnam

urnam, in qua fuerunt deposita, incisum erat di-
ctum primum epitaphium, additis adhuc quatuor
alijs versibus ob notitiam hujus translationis, &
sunt hi sequentes.

Additio ad primum Scoti epitaphium.

Hic lector Scotus subtilis, sit bene notus,
Doctor humi stratus, hac subque Nola tumulatus;
Pro quo orate, Christi veniam flagitate,
Dicentesque piè, tu summe Deus, miserere.

A capite sepulturæ [c] pendebant duæ tabu-
læ, cum totidem epigrammatibus, inculti licet &
inordinati styli, tamen æstimabilis, ob veneran-
dam antiquitatem, represenṫatam, & propter cla-
ras expressas notitias, ut dicunt Villotus [d] ac
Rodulphus: succedente autem antiquitate consu-
mente tabulas, ne ablatis illis auferatur notitia,
fuerunt translata ad aliam tabulam, quæ hucus-
que conservatur in Biblioteca Conventûs Coloni-
ensis, quorum sequitur series.

Primum epigramma.

Parisius plora, mæstis incede lacernis,
Hìc perit in toto, quod volat, orbe, decus.
O sorbona tuis humiles compone Cathedras,
Cultus ab ingenijs fons sacer artis abest.
Straminis in vico placidi certaminis ordo
Cesspitat, heu belli definit esse caput.
Pondere suppremi validos componite luctus
Doctiloqui, pulset tristia corda pavor.
Hunc, posito vultu lato, deflete togati,
Discipulis labor hic omnibus unus erit!

Secundum epigramma.

Doctor

Doctor subtilis solvens sua lustra Ioannes
Scotus, in obiectis ultima verba dedit.
Huic humilis casto Francisci cordula renes
Strinxit, erat sapiens, presbyter officio.
Fervebat studio, nulli virtute secundus,
Quod didicit totum, mox alios docuit.
Concepta est Virgo primi sine labe parentis
Hic tulit: hic heresi prælia dira dedit.
Inde genus merati tantum sibi Papa refundens
Doctus subtilis dicitur, inde dedit.
Quatuor in scriptis, quæ sunt Divina, probavit:
Hinc reliquis vates lumine plus viguit.
Qin & sancta mihi, quæ digna problemata liquit,
Ingeniis nostris fertiliora valent.
Artibus egit opem tutò, nunc ille modernos
Prosequitur pandens, quæ via sit veterum.
Tempora post Christi propria dulcedine letum
Venit atrox, raptim carcere composito.
Dogmata, qui quondam retulit non infimus orbi,
Exiguus cunctis nunc silet exanimis.
Qui ratione stetit non victus semper Achilles,
Cæno sordidior vincitur ille fimo.
Horrida jam sarcos trahitur sub lite vorandà
Hunc subeant vermes, proch! nova præda venit.
Ante gradus medios, Nola nunc ubi pendet ab alto
Hic chorus in terris ossa tenet tumulo.
Turba futura canet bona, quæ congessit in unum,
Singula quæ docuit, scripta relicta manent.
Flebile qui busti præsens epigramma tueris,
Hanc animam societ, posce Deum superũ.

Anno poſtmodum 1509. fabricatum fuit illud celebre ſepulchrum æreum ſupra deſcriptum & in ejuſdem lamina [e] ad pedes tumuli fuit inciſum ſequens epitaphium cum majori claritate & conformitate ſtyli moderni.

Ante oculos ſaxum Doctorem deprimit ingens,
Cujus ad interitum ſacra minerva gemit.
Siſte gradum, lector, fulvo dabis oſcula ſaxo:
Corpus Ioannis hac tenet vrna Scoti.
Anno Milleno ter CCC. cùmque adderet octo,
Poſtremum clauſit leto agitante diem

Ultimatè tandem [f] in honorifica translatione reliquiarum Doctoris ſubtilis Scoti factâ anno 1619. Reverendiſſimus Pater Jacobus Bagnacabalenſis Miniſter Generalis Minorum Conventualium dedicavit Doctori ſubtili iſtud pulchrum diſtichon

Scotus, ut ingenio volitat ſub athera vivens,
Sic moriens Scotus cælica regna petit.

Hæc ſunt epitaphia illuſtrantia ſepulchrum noſtri Doctoris ſubtilis Scoti; unde prodijt fama, quam reliquit in morte ſua, piſſimæ vitæ ac eminentis virtutis decor, ſeveræ obſervantiæ regula, admirabilis ſcientiæ jubar, zeli Catholici fervor, ſuarum diſpitutionem atque triumphorum corona. Ego tamen hoc caput volo concludere illo, quod ad ejus laudem ſcripſit Thomas Dempſterus Legiſta & famoſus literis in Univerſitate Bononienſi, epitaphio:

Scotia habet cunas, famam orbis, funera Rhenus,
Cælum animam, hic magni ſpirat Imago Viri.

a Ex codice antiq: manuſcripto exiſtente in Bibliot:

bliot: Francisc: Coloniensi inter litt: G. & H. in 3. pluteo ex quo epitaph: transcripsit Ferch: cit: prius tamen transcripserat Henric: Villot: in suis Athenis Francisc: & Petrus Rodulphus 3. p. histor: seraph: in lo: Scoto & ex his scriptor Vit: Scoti.

b *Ex eodem codice ant: manuscripto apud Ferch: citi num: 29. Rodulphus & alij.*

c *Ex auctore cit.*

d *Henricus Villot & Petr: Rodulphus cit: transcripserunt epigrammata ex primis tabulis Matth: Ferchij ex tabula nunc existente in Bibliot: Francisc: Colon: ut ipse dicit loc: cit num: 32.*

e *Transcripsit praesens epitaph: ex ipsa lamina sepulchri Scoti Ferch: cit.*

f *Ferch: lib: 1. Apolog: num: 28.*

CAPVT X.

In quo describitur fama sanctitatis & miraculorum subtilis Doctoris Scoti in vita & post mortem.

QVamvis semper orbi Christiano B. M. Virgo succurrat, præcipuè tamen dum sine peccati labe concepta commendatur, defenditur, sese beneficentiùs devinctam conspicit: & quasi beneficium non modicum mutuata, protinus de remuneratione pertractat. Habemus namque in hoc debitricem Mariam; idcirco, *obviat mater* sic honorificata, occurrit, celeri subvenit gressu. Scitè satis inquit Seneca; *lib: 4. de benefic: in in fine. Qui festinat reddere, non animum habet grati hominis, sed debitoris.* Immunitatem Virginis Mariæ ex corde celebrantibus, defendentibus,

propugnantibus, ne dum gratam, sed debitricem & remuneratricem se exhibet eadem sacertima mater. Joannes Dunsius Scotus Doctor subtilis, cultor, fautor, Immaculatæ Virginis Mariæ, ac acerrimus propugnator, extunc benedictione gratiosissima celebratur: ex quo originalem ejus innocentiam statuit promovere, dum enim ad disputationis locum processerit, & coram obvia Beatæ Virginis statua marmorea breviter oraverit, *dignare me laudare te, Virgo Sacrata,* ejusque opem expostulârit; simulacrum inclinato capite significavit supernum ei non defuturum auxilium. Communis ita fert populi Parisiensis traditio, ipsaque rem confirmat usque iu hodiernum diem capitis inclinatione, [a] eoque miraculo Doctori subtili in vim gratitudinis, & remunerationis pollicita est victoriam, consequenter victor evasit. Unum in cunctis sufficiat proponere exemplum in victoria relata â subtili Doctore apud Parisiensem Academiam [b] *Cùm in Universitate Parisiensi Immunitatem Virginis præservationemque Mariæ decmisset, Scotus ab ipsa facultate vocatus, ut coram sapientissimis Doctoribus suæ sententiæ rationem redderet, ducenta argumenta sibi objecta omnia memoria tenuit, & singulis tanta verborum & sententiarum ubertate satisfecit, ut omnes ad suam sententiam facilè traheret, & victor ab omnibus proclamaretur, exinde victoris nomen retulit. Hinc postea Academia Parisiensis decrevit, ne opposita sententia legeretur publicè in scholis, ac ullus gradum vel lauream Doctoris obtineret, nisi prius jurejurando promisisset, acerrimè à se piam opinionem de Immaculata Deipara Conceptione fore defendendam.* Huc usque doctissimus Joannes Antonius de Velazques. [c] sed perge, quòd si ab illa die, & victoria exortum est in universitatibus nomen victoria

ctoris, vel mos in Academijs victoriandi Doctores invaluit: omnis victoria scholasticorum erit virtualis protestatio, pro Immaculatæ Conceptionis gratia, vel præservationis gloria, atque in clamore illo tacitè jurant in verba magistri piam opinionem cum eodem defendendam, & amplectendam. Sed ne à victoria divertamur, qualiter victor Scotus in congressu literario evasit, an arguentis, an sustentatis munus exercens? ducentis argumentis sibi obiectis singulis uberrimè satisfaciens, non nisi clypeum levavit, neutiquam romphæam deduxit, quasi hoc facto seraphicæ religionis institutum confirmaret, seu edoceret, quod nullatenus in defensione Mariæ immunis à labe Adæ, aliquem offendere satagebat, ut patet ex attestatione authoritatis. *Haud mirum fuerit, si ingenium Doctoris subtilis appellati, modestia & charitate præditum, altissimos sensus eruere poterit ad veritatem indagandam. Nunquam enim suam sententiam profert in aliorum injuriam, vel depressionem; qui si quorum aut errores convellit aut opiniones excutit, tam id modestè, & adeò plerumque suppresso nomine facit, ut Christiano pectori hæsisse à Domino sapientiam* (certè integram mentem) *conjici possit.* Si credere fas est, Antonio Possevino pio & solerti Soc: Jesu doctissimo Theologo & chronologo Patri. [d] Nova pro Virgine bella per Doctorem subtilem videmus suscepta, in quibus non telis & romphæis, sed calamis, non armis, & pugnis: sed scriptis, & rationibus: non martialibus machinis, sed doctis voluminibus decertatur. Unde quot scripta pro Virginis gloria Doctoris subtilis edita sunt in lucem, quot prælia sine ferro in Academijs, cathedris, atque exedris absoluta, tot pro illius immunitate, egregios Ec-

clesiæ milites, sub Marianis vexillis diceres dimicasse.

Pater Jldephonsus Briceno *tomo* 1. *in* 1. *libr: senteat proem* : seu prolusione 12. ad controversias Theologicas immediatè ante num· 44 disputat. Cur scholæ Franciscanorum præfectus sit Scotus omissis Alensi & Bonaventurâ? [e] qui ad meliorem vitam transivit tunc ordinem gubernante Reverendo Patre Fratre Gundislao de Vallebona seu Balbona sanctitate & zelo observantiæ non inferiori. Cùm autem dictus Minister Generalis acerrimus fuerit Marianæ Conceptionis propugnator, suique ministeriatûs tempore ultimam horam clausisset Scotus, posthumam sanctiatis famam relinquens præclarissimam; advertendo nullum esse inter sodalitij seraphici primarios magistros, qui pro viribus hoc mysterium non defensaret, non procaci pertinacia, sed innixus fundamentis, quibus solidata mansit sententia à subtili præceptore, mortuo tanto antesignano duce, ne usquam virilissimus deficeret clypeus, de communi religionis consensu in universis fortalitium erexit pro uno defuncto, ut in cunctis, & in uno quoque viveret, qui celeberrimam restauravit sententiam. Ex quo sequitur paucis annis à morte Scoti eum electum scholæ Franciscanæ præfectum, ideo omissâ Alensi & Bonaventuræ scholâ, tota Franciscana Religio Seraphica elegit Scotum in Doctorem Ducem, & Corypheum scholæ suæ, quia iste Conceptionem Immaculatam fundavit, & virilius pro ejus integritate ac indemnitate pugnavit. Unde ad augendam ejus posthumam sanctitatis, honestatis, decoris, honoris, & doctrinæ famam, in disputationibus publicis observatus Romæ (si fides datur doctissimo Pignatellio)

tellio (f) hic præcedentiæ ordo: si inter invitatos ad arguendum aliquis sit prælatus, hic ratione dignitatis est primus argumentator, secundus regularis Thomista, tertius regularis Scotista, vel alterius religionis aut secularis. Si verò prælatus nullus arguat, serventur privilegia concessa à summis Pontificibus præsertim Thomistis & Scotistis repræsentantibus propriam scholam. Unde primus arguens est regularis Thomista, secundus regularis Scotista, tertius ad libitum, nisi fortè, tam prælatus, quàm Thomista & Scotista velit resumere tertium argumentum, quod reputatur specialis honor. Doctores autem seculares etiam actu legentes cùm non repræsentent propriam scholam cedere debent Thomistis & Scotistis. Sed, (ut verùm fatear) parum fuisset Scoto, quòd triumphales de suis æmulis per sublime ac subtile ingenij sui acumen obtinuisset palmas, & victor evasisset; nisi etiam omnium virtutum; famæ, sactitatis, pietatis in vita, Coryphæum egisset. Parum est Doctori subtili sibi obiecta, memoriâ retinere ducenta argumenta, & ejs singulis tanta verborum & sententiarum ubertate, facundiâ satisfacere, arduosq; difficultatis solvere nodos nisi etiam in vim gratitudinis centuplum devotionis ab opulentissima remunctatrice pijssima Maria Immaculatè concepta acciperet fructum, juxta illud effatum. *Qui Mariæ conceptionem jubilando celebrant ejus salubri oratione fructum centuplum suæ deuctionis accipiant.* Siquidem Maria ultra acceptum obsequij centuplum reddere solet. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt* Qua de cuasa sicut quemlibet assiduè per Sanctas meditationes, lectiones, orationes, maximè horas nocturnas, diurnasve tùm oblationem sacrificiorū

Deo conjunctum assererem, sic subtillem Doctorem, qui huic studio se devotum indicat *in* 4. *d.* 8. *q.* 1. Floruêre licet in animo & corpore Dunsij plurimæ imo universæ virtutes, tametsi (ut in omnibus ferè optimis ac præstantissimus proceribus, sic & in eo) quædam venustius promicuerint. Fidei catholicæ & Apost: Rom: Ioannes Scotus, tanquam columnæ & firmamento veritatis immobiliter innixus permansit si legas ejus *q.* 2. *Prologi* §. *de* 7. & 4. *d*, 6. *q.* 1. §. *ad quæstionem* & sexcentos ejus doctrinæ locos, Ideo admirandum in modum satagebat mysteria divinitùs tradita meditari, vestigare, tueri, illustrare, ac roborare: quibus ad bilem motus Io. Balæus apostata schismatis Anglicani sequax, plurima in Doctorem subtilem evomuit maledicta. [g]. Magna lux Scoticæ fidei, quæ non modo Christi fideles illustrat, sed & perfidas hæreticorum noctuas veritatis inimicas, æternum eliminat & absterret. Sed quid unum hæreticum commemoro? omnes Angliæ hæretici in cunctos scholasticos, ut in unum Scotum, in unum, ut in omnes debacchati sunt ut supra diximus. Ignita charitate flagrâsse Ioannem Duns: Antonius Possevinus pius & solers supra adnotavit. Ex hac charitate illa devotio fluit, quam Guilelmus Vorilon strenuus scholasticæ Theologiæ miles *in* 1. *dist*: *ultima* in gratiarum actione de Scoto profitetur, quæ longè clarius innotescit ex libro Doctoris subtilis de primo principio, in quo ad Deum veri ac boni fontem invocationibus jaculatorijs anhelantem, amorisq; æstuantem flammâ cujusvis perspicax animus experietur. Rarum ideoque carum narrant plures Doctores, inæstimabilis amoris IESU Sacramentum: nempe nocte Salvatorem

no-

noſtrum in ſpecie parvuli Ioannis Dunſij aſpectui, oculis, amplexibusq; oblatum eſſe, ſicut ſe Deiparæ obtulit attrectandum. [h] Hiſce Chriſtianis virtutibus, quaſi ſtellis rutilans, addidit ſacrorum votorum obſervantiam, quibus ſe, ſuamque animam, corpus, opes: nimirum obedientiâ, caſtitate, paupertate perpetim obſtrinxit; In his plurima facere, pauciſſima loqui debuit: Ea quippe humilitas eſt, omnes acquirere, nullas in ſè virtutes agnoſcere. Mirandum eſt, quàm parca de ſe modeſtiſſimus vir ſcripſerit, ſed quas ille tecuit innocentiæ, ac probitatis laudes, nos ab hoc humili ſilentio deprehendemus, ut olim Pythagoras ex Aulo Gellio *lib: 1. noct: attic*: à pede non à capite corporis Herculei proceritatem indagavit: ita ſacer ſponſus animæ dilectæ non â capite, ſed à pedibus mirabilibus mirabilem totius corporis pulchritudinem concluſit: ac decorem: ſiquidem inchoat dictione admirativa laudes. *Quam pulchri ſunt greſſus tui!* A ſumma humilitate feliciter exundat obedientia. Inſigne illud ſpecimen ab Admodum R. P. Magiſtro Ioſepho de Tertijs Bergomen. Viro integerrimo [quo Doctore Logicæ tyrocinium feci] tanquam à majoribus traditum accepi, quod fere *in 1. ſen: tent d. Ult: q. 1.* Gvilelmus Vorilon edifferit. Regens in Pariſiorum ſcholis lectionem Ioannes noſter abſolverat, cùm ej datæ ſunt literæ à Reverendiſſimo Patre Generali mandantes, ut Lutentiâ proficiſceretur Coloniam, ex Regente lector, continuò iter arripuit, & à diſcipulis comitibus interrogatus, quonam pergeret? curvè prius fratres in Conventum ſalutatum non iret? Dignam reſpondit Doctore ſubtili ſententiam Pater Generalis Coloniam ire jubet, non

in Conventum ad ſalutandos fratres ; imitatus ea in re B. Ægidium Patriarchæ pauperum Franciſci ſocium tertium.
Paupertatis præterea inſignis cultor fuiſſe ſcribitur; habitu vili, nudis pedibus inceſſiſe, ut pauperem Chriſtum pauper ſequatur: [c] unde Ioannes Major loquens de Alexandro Alenſe, Scoto. & Richardo à Media villa ſic ait: *Conſtat quòd in itinere, ubi non habebant cænobia amore Dei, victum, hoſpitium, & tranſitum per oceanum à Britannia in Gallias, & è contra petebant, in grande meritum ſibi, & aliorum ædificationem: Quod viri ſummo Pontificatu digni, digito demonſtrati ob eminentes ſuas virtutes, ſic eleemoſynas non veriti ſunt petere.* Caſtitas quaſi proprius theſaurus celatur, neque enim in actu externo, ſed in actûs negatione conſiſtit cælibatus: Quamobrem acta Scoti de candidiſſima hac virtute referri non poſſunt, tametſi caſtiſſimus appareat ex ijs quæ ſcripſit, *in 4. d. 37. &. & de 42. q. 1. N.* Igitur ad ſummū præclarus fuit innocentiâ probitate ſingularis. Innocentia malum propellere, probitate armatus bonum aſſerere ſtuduit, quibus perfectæ juſtitiæ ſumma concluditur, cæleſti Poeta concinente.
Pſalm 33. Diverte à malo & fac bonum.
Innocens Scotus firmiſſimè ſibi perſvaſerat *in 4. diſt. 5. q. 1. & 2* non creaturam offendi, ſed creatorem offendere præ omnibus evitandum fore quapropter ad culpæ horrorem teterrimum profligandum omninò nihil optandum, eſſe quàm pænas ſempiternas gehennæ. Præſtantiſſimum dogma charitatis excellentiſſimæ eſt velle potiùs non eſſe, quàm offenſo Deo ſupereſſe. Hac virtute Dunſius potuit, non modo annum, ſed an-
nos

nos multos, Dèi gratiâ juvante mortalem culpam prævertere, quod *in 3. dist: 13. quæst: 2, car: 91, col: 1.* in Scoto non inscitè Petrus Tataretus observavit: ut minus mirum sit, eum homines ad mortem pro veritate, & virtute generosè oppetendam cohortatum esse, qui pro ijsdem servandis non mortali dumtaxat corpore, verùm etiam animâ immortali (si possibile foret) mori, imò etiam in nihilum resolvi, paratus esset. Cæterum de Scoti virtute dispersa dicta in unum quasi sertum coruscantibus gemmis contextum collegit Matth: doctissimus noster Ferchius, dum Apologiæ librum *2. num: 43.* scriberet, quæ in hunc librum transferre mihi placuit. Laudat *Antonius Possevinus* in Scoto eximiam modestiam, charitatem, animi integritatem. *Gulielmus Eysengrenius* fidei Catholicæ professionem, exercitationemq; in divina lege. *Abbas Trithemius* studiosam cælestium scripturarum eruditionem. *Petrus Tataretus* contemptum vitæ. *Chronicum Franciscanum*; paupertatis opulentiam. *Guilelmus Vorilon*: obedientiæ magnam propensionem, *Pisanus* educationem in divino cultu & religiosis sanctionibus: *Epigrammatarius penes Tossinianum*, cælibatûs puritatem, denique *Gonsalvus* scripsit Joannem Scotum vitâ laudabilem; *Philippus à Sessa* morte venerabilem; *Antonius Andreas* memoria benedictum. Omnes agnoscunt ejus in Deiparam pietatem, in Christum & hunc crucifixum, affectum, quem fatetur *in 1. dist: 16. q. 1.* Ex legitimo thoro natum *vide in 4. d. 25. q. 2.* Item integra valetudine usum, præsertim ab Epilepsia liberum, quam cùm improperet Mahometo *in 1. dist: 45. q. 2.* B. non est verisimile ipsum fuisse perpessum, ut errantes quidam censent. Primùm

quidem

quidem Catholicus & Apostolicus fide fuit, mox religiosus & Franciscanus evasit: nam Franciscus Gonzaga Generalis Minorum Observantium *in lib: de orig: seraph relig: in Scotiam pag: 848.* Franciscanam Religionem ait in Scotiam penetrasse anno salutis 1224. atque ad annum 1400. quatuordecim conventus habuisse: anno demum 1447. Jacobo 1. Rege Franciscanos observantes primum conventum Edimburgi in regia Scotiæ obtinuisse. Quo fit, Joannem Duns, qui circa 1300. vitam traduxerit, ex Minor: Conv: familia prodijsse. Ita Matth: Ferch: *cap: 7. in Vita Scoti n. 5. pag: 9.* demum sacer & sacerdos; sicut author tabellæ de Scoti sepulchro pendentis cecinit.

Huic humilis casto Francisci cordula renes
Strinxit, erat sapiens, presbyter officio.

Actis ergo virtutum gloriosé perfunctus Doctor subtilis pie vivens, pietatis præclarissimum Reverendissimi Patris Generalis à Beato Francisco in Minorum religione XV. promeritus est testimonium, in epistola ad Gvardianum Parisiensem, quam legit Petrus Rodulph: Tossian: Episcop: Senogalliæ, cujus nunc fragmentum appono. *Dilectum in Christo Patrem Ioannem Scotum, de cujus vita laudabili scientia excellenti, ingenioq; subtilissimo, alijsque conditionibus suis partem experientia longa, partim fama, quæ ubiq; divulgata est informatus sum.* Quam cæpit vitam eandem prosecutus est ad metam usque (sic piè censeo) donec perseveranti fideliter redderet Christus coronam vitæ. Fama sanctitatis, quam subtilissimus Pater Frater Joannes Duns Scotus post fata reliquit, non solùm colligitur ab epitaphijs [i] ejusdem sepulchri superiùs relatis: à scriptoribus coætaneis uti Bartholomæus de Pisis [k] in libro conformitatum eundem con-

numerat

numerat inter homines Provinciæ Coloniensis, in spe & opinione sanctitatis decedentes. Antonius Andræas [l] affirmat ejus famam & memoriam esse in benedictione: Dermitius Scotus Hibernensis. [m] appellat exemplum perfectæ religionis, & commemorat honores, quos habuit in sua morte: sed deducitur adhuc ex omnibus antiquis annalibus seraphicæ religionis, pertractantibus ejus vitam & mortem, conservatis cum summa veneratione Coloniæ, ubi honorificè fuit sepultum ejusdem corpus juxta scripta in actis. Sic Marianus Florentinus [n] Episcopus Portuensis, Marcus Ulisiponensis, [o] & Philippus Sosa [p] in Franciscanis annalibus referunt.

Quam benè fuit fundata in ordine Minorum opinio sanctitatis Scoti illo primo seculo, immediatè post felicem ejus obitum, probatur quodam immutabili & irrefragalili antiquitatis testimonio adducto à Matthæo Sossa, [q] in vita subtilis Doctoris, impressa ab initio primi tomi supra suos libros sententiarum anno Domini 1629: cujus verba adduco pro testimonio sic dicentis: *argumentum sanctitatis Scoti clarius aliis est pictura unius tabulæ, ubi ejus imago depingebatur cum titulo sanctitatis, in choro nostri conventus S. Francisci exstructo ante trecentos annos, cujus antiquissima permanebant sedes de supra adinstar coronæ ornata, imaginibus omnium Sanctorum & beatorum Ordinis usque ad illud seculum & ætatem vitâ florentium, ac miraculis in Ecclesia Dei, in singulis autem harum sedium fuerat sanctus quidam, aut beatus depictus, cum inscriptione proprii nominis, in quarum una fuit imago Scoti cum simili titulo antiquorum characterum*: Beatus Scotus. *Et hanc imaginem ego Frater Matthæus Sossa*

jure

juro per Sanctißimum signum Sanctæ Crucis & protestor verbis sacerdotalibus me ipsam vidisse proprijs oculis, & legisse in illa multoties dictum titulum non solùm in choro quando conservabur à prima sui antiquitate, sed etiam postquam à renovatione sui huc primum est translatus, in cella sui sapientißimi Magistri Francisci de Herrera purè scribentis supra Scotum. Quantæ auctoritatis sunt scripturæ antiquæ hoc probat textus *in capite cùm causam, de probationibus*, loquendo de scriptura in columna aut lapide *capite sano 29. q. 2.* ubi Sossa citat alios testes & cap: cum causam verbo: per libros antiquos, & adhuc docent Iansenius, Decius omnesque alij Doctores *in lib. 11 si certum petatur*, Itaqua si illo tempore antiqui venerebantur Scotum uti beatum ipsumque connumerabant inter Sanctos Ordines cum titulo beati, quam ergo ob causam invidiosi hujus seculi se resoluunt ad infamandum Scotum, pro beato ab antiquò existimatum & proclamatum. Hucusque Matthæus Sossa locutus est ad augendam fidem majorem sui magistri. Si tamen non sufficeret ad exornandum ejusdem gloriæ statum una solùm imago, adducuntur aliæ ex partibus vicinioribus Florentiæ & in Conventu Minorum de Observantia, ac etiam in Conventu Minorum Conventualium, ubi est Sanctum inquisitionis tribunal, [r] reperitur una imago Scoti depicta cum aureola & radijs insignijs beatorum. Et cùm fuerint conservatæ hæ picturæ, post decretum Urbani prohibentis depingi tali modo illos, qui non sunt beatificati, evidenter & clarè videtur decretum invenisse Florentinos in possessione antiquissima pingendi imaginem Doctoris subtilis cum his insignijs beatitudinis.

Nec est testimonium minus efficax hujus antiqui

qui *conceptûs*, cultûs, quem homines docti in terris subtilissimo exhibebant Scoto. Gilbertus Brunus [s] Cistercienſis, Abbas Dulcicordienſis affirmant Scotienses Dunfrisij eundem venerari pro sancto, & celebrare ejusdem festivitatem cum officio Ecclesiastico. De Jacobo Bargio Theologo Concilij Tridentini refertur. (t] eundem omni die facere Ecclesiasticam Commemorationem Confessoris non Pontificis, sic invocando ejus intercessionem ante Divinam majestatem. Matthæus Sossa affirmat in multis Provincijs à septemtrione eundem coli uti beatum. [u] Arturus Monasterienſis in martyrologio Franciscano [x] ponit ejusdem memoriam Octavâ Novembris. his verbis: *Coloniæ B Scoti ob eminens ingenij acumen vocati Doctor subtilis, qui ornatus, pauperpate, sanctitate vitæ, pervenit ad suorum dierum metam.*

Non sunt tamen solùm Franciscani illi qui venerantur Scotum titulo sanctitatis. Erardus Vinchein. [y] Carthusianus absolute denominat sanctum. Eratepolius (z] adscribit sanctis. Thomas Dempster [a] ipsum numerat in Cathalogo sanctorum. Egrdius Bucherius [b] Soc: JESU eidem tribuit titulum Beati. Fraciscus Bivarius [c] eundem appelat magnum ob ejus merita in regno cælorum. Dominus Anton: Ponce Sanctæ Crucis [d] Abbas, confitetur non esse minus illustrem sanctitate, quàm subtilitate scripturæ. Georgius Conæus [e] vocat celebrem innocentiâ vitæ & morum. Baldinus Junius [f] ipsi attribuit te: um proverb: *beati qui custodiunt vias meas, beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostij mei*: de prædicando beatitudinem Scoti eò: quòd invigilaverit quotidie ob defensionem purissimæ Mariæ custo-

custodiendo limina ipsius primi ad vitam ingressus ut esset immunis à transitu venenosi serpentis. Michael Oyer Augustinianus hunc ponit titulum in oratione encomiastica [g] sanctitatis vitæ & Divinæ sapientiæ! Ioannis Duns Scoti Doctoris Mariani ac subtilis, inflectitq; ipsius metam recogitando quantùm sanctè vixerit & mortuus est. Inter elogia quæ celebrant ejusdem sanctitatem. unum est illud [h) *in veritate multos judico fuisse inscriptos Cathalogo sanctorum, tamen difficiliter invenietur, qui monstraverit in vita sua æqualia sanctitatis signa*; Et plus in ferius dicit: *certè si sepositâ parum à sinistro affectu nube voluissent ipsi contrarij admirari Scotum, cum attentiore intellectûs visione, invenirent, qui vixerit totâ suâ vitâ non uti homo, sed uti unus Angelus.*

Hucusque narratis non prætendo etiam per umbram animare, ut Scoto cultus aliquis Ecclesiasticus detur; nec ut depingatur ejusdem imago cum aureola aut radijs sanctitatis, insignijs aut ei attribuatur titulus sancti aut beati, imò potius reflecto me semper supra sententiam Lucæ Wadingi viri doctissimi & Chronologi seraphi Religionis disertissimi [i] qui judicat in hac materia procedere cum magna maturitate, reflexione animi, operari cum prudentia, & incumbere juditio S. Romanæ Ecclesiæ observando *ad literam* ejusdem decreta sine experimento rei temerariæ in negotio intra omnia alia gravissimo: sed solùm prætendo promulgare famam sanctitatis, quam sua morte semper possidebat Doctor subtilis & conceptûs; quem homines docti & pij fecerunt de ejus sancta vita, eminentibus virtutibus, ac felicissima morte, qui sic magnus & illustris extitit: ut ipsos obligaret ad promovenda præclara, testimonia.

Ad

Ad confirmandum tam ſublimem conceptum nec deeſt probatio miraculorum, quibus majeſtas Divina poſt obitum ſervorum ſuorum ſolet teſtari eorum gloriam. Multa operatus [k] Deus ob merita Ioannis Scoti, quibus permotus excellentiſſimus princeps Dominus Franciſcus Cajetanus, Dux de Salmone ſingulariſſimus devotus erga Doctorem ſubtilem, ſolicitabat ejuſdem Canonicationem [l] ut refert Matthæus ſoſſa, ſed hæc veritas ſine gravi authoritate ſtatui non poteſt. Hic adducendum cenſeo Patrem Lucam Wadingum [m] (cujus veritas, exactio, & diligentia in hiſtorijs, ſunt tam celebres quàm ejus nomen celebre eſt) ſic dicentem. *Ego in veritate cognovi his temporibus reperiri multos nimis in varijs partibus præcipuè in regno Neapolis (ubi ſcripſi longiùs & fuſius ejus vitam, quam hic transtuli) qui cum magna devotione & confidentia invocant nomen ſubtiliſſimi Doctoris Scoti, & non abſque fructu; cum narrant ſe experiri ejus auxilium in varijs neceſſitatibus & ægritudinibus. Vidi multa teſtimonia authentica authoritatem habentia à ſubſcriptionibus & ſigillis Notariorum, in quibus multi homines diverſorum ſtatuum & ætatis confitentur ſe recepiſſe dona ſanctitatis cæleſtia, & alias gratias ob merita & invocationem Doctoris ſubtilis Scoti. Teſtantur eundem liberaſſe multos à varijs infirmatibus, alios à periculis & ſpecialiter mulieres parturientes. Affirmant etiam juramento facto cum ſolemnitate legis in litibus gravioribus & controverſijs oppo-*

feli-

sitionibus longioribus propitinm fuisse. Vicit ipse felicissimè litem, quam ad innocentiam virginis assumpsit defendendam devotionis causâ & sic non est mirum alijs in honestis prætensionibus eundem succurre advocatum. Multi illorum exauditi ad invocationem subtilis Doctoris manifestant suam gratitudinem certis donis oblatis in signum prodigij tabulas, & laminas magnas argenteas, offerendo, quas meis palpavi manibus, & hæ conservantur ut suo oportuno tempore in lucem prodeant. Longè latèque spargitur modò subtilis Doctoris gloria & præcipuè cum Divino consilio transfertur in illud tempus, in quo aliqui tentârunt ponere insidias ejus famæ & obscurare celebrare nomen atque doctrinam. Quid enim cum illo, quem Rex Regum honorare desiderat? eò minori contentoone animi eundem calumnia opprimit, quò majori solicitudine reassumit Deus patrocinum tuendi ejus honorem. Verè illud obsequium quod fecit Matri Dei, privari non potuit condigno præmio, imo uno eodem tempore privilegium Mariæ Virginis defensum à Scoto, & honor ejusdem miraculosè, sparsum suum gloriosum recipiunt augmentum. Honoravit Matrem Dei, & est ab ipsa honoratus, in vim mutuæ ac reciprocæ correspondentiæ. Hucusque discursum facit Wadingus. Sperò quod crescente devotione erga Doctorem Marianum, crescent etiam miracula, præcipuè ob defensionem justam oppositionum: atque litium, ob quam concessit ei Deus specialem gratiam.

a *Ioannes Bonifacius Bagatta Veronensis in suo opere de admirandis orbis christiani Cler: Reg: Theat: Wading: Matth: Ferch de Vita Scoti cap 5. p. 24*

b *Thomas Francez Conc: 1. sub tit: Clypeus Franciscanus pro Immaculata Concept: & pro subtili Doctore Ioanne Scoto.*

c *Ioannes Antonius Velasquez loco sup* cit: apud Thomam Francez: Pelbart: lib: 1, art: 3. Salazar ibidem.

d *Antonius Possevinus Soc: Iesu in sacro apparatu.*

e *Pater Ildephonsus Briceno, tom 1. in lib: sentent: proem seu prolusione ad controversias Theologicas proius 12.*

f *Pignatell: tom: 4. consult: 12. num: 81. p. 52. num 81,*

g *Andreas Thevet: in Scoti Vita, Steph: Broelmen in suis hist: schedijs.*

h *Philip: de Sossa in chronicis Minorum lib: 31. parte 2. cap: 7. Ioannes à Pola in prim: senten: Paulus Berti Augustin: in Vita Scoti ante quatuor sententiarum libros Venet: impressa 1617. Gregorius Ruis in epistola ante commentar: in quatuor sentent: Scoti: Anton: Gucharus Episcop: Acernen: in lucidario Virg: parte 2. Christophorus Morenus de puritate Virginis cap: 4. §. ultimo.*

i *Supr: in hoc lib: c. praeceden.*

k *Bartholom: Riam: lib: 1. conf: 11. fructu 11. agens de Prov: Colon.*

l *Ant: Andrea ad calcem comment: in 12. lib. metaph.*

m *Dermicius Scotus Hibernensis in epitaph: Scoti de quo Alphonsus Bryz & Ioan: Pont: in suo Scoto Hybern. restituto.*

n *Marian: Florent: lib: 3, sua histor: c, 15.*

o *Marcus Vlispon: in chron: Franc: 2. p. lib: 7. cap: 3.*

p *Philip: Sossa in chronic Franc: p. 2. lib: 3. c. 7.*

q *Matthaeus Sossa in Vita Scoti praefixa suo primo tomo in 1. sent: §. 4. de sanctitate & miraculis Scot.*

r *Refert post decretum se vidisse Vrbani VII. Alphons: Briseg: in Vita Scoti §. 10. num: 10.*

s *Gilbertus Brunus in sua hist: Ecclesiast: & ex eo Thom: Dempsterus in Apolog: Scotorum.*

t *Refert Wading: tom: 3. Annal: ad annum 1308. num: 43.*

u *Matth: Sossa in Vita Scot: §. 4. cit.*

x *Martyrol: Franc: 8. Nov: & in comment: §. 10. ait: Scotum cum magna sanctitatis opinione Coloniae ob dormisse in Domino.*

y *Erard: Vinhein, in sacrario Agrippinae*

z *Petrus Cratepolius lib: de S. Germ.*

a *Thom: Dempster in Apolog: Scotorum.*

b *Egid: Bucherius in chronic: ad 2. p. hist: de gest: Pontificum cùm Leodiensium ad annum 1308.*

c *Franc: Bivarius in censione quaest: Scot in lib: de anima*

d *Anton Ponce sancta Crucis in Praelectionibus Vallisolet: cit.*

e *Georgius Conaeus tractatu de duplici statu Relig: apud Scotos lib: 2. ad annum 1300. in Rob: Brusio Rege Scotiae*

f *Balduin: Iunius in chron: morali p. 4. ad annum 1308.*

g *Oyer orat: encom.*

h *Idem folio 13.*

i *Wading in Vita Scoti cap 14. num: 63.*

k *Idem Wading: cit.*

l *Matth: Sossa in Vita Scot; §. 4:*

99

m *Wading: tom: 3, Annal: ad an: 1308. n. 48.*

CAPVT XI.

In quo describuntur revelationes gloriæ Doctoris subtilis Mariani.

INter media, quibus providentia Divina declaravit rectam vitam & felicem mortem subtilissimi defensoris originalis innocentiæ Angelorum Reginæ, tenent primatum [a] revelationes particulares, quas à sua gloria contulit personis sanctitate & spiritu devotionis probatis, ex quibus etiam huic operi volo coronam imponere. Sunt illæ celebres, quas mediante S. Gabriele Archangelo habebat Beatus Amadæus Lusitanus homo prodigiosæ austeritatis, & longevæ vitæ, contentas in suo libro intitulato *nova Apocalipsis*, & manuscripto altero usitatissimo ad expositiones, ab eodem composito. Is levatus à terra semel magnam vidit majestatis Divinæ eminentiam, cui omnes legiones spirituum, animæque beatorum in glorioso assistebant circulo, visâque tantâ prodigij excellentiâ, de corona assistentium, Gabriel Archangelus revelavit ei mysteria, ac dictavit, ejusque servorum gloriam, quæ singula à suo dictatore accepta, specialiter in proprio libro connotavit, octo raptibus extaticis confirmata. In quorum uno, instreundo eum Paranymphus secreta SS. Sacramenti, dixit ei: *intelligat de ipso secundum modum quem scripsit unus Doctor tui ordinis quali est sanctitate plenus? cùm fuerit primus, qui gladium sumpsit pro Conceptione Immaculata?*

lata? & tunc in illa gloriosa Beatorum corona, quasi digito monstraverit ei Fratrem Joannem Duns Scotum defensorem puritatis originalis Mariæ. Jn alia exstasi loquens Archangelus de mysterio SS Trinitatis ostendit ei, in illa felici familia S. Augustinum, S. Thomam de Aquino & Scotum, facta illi tanta narratione: hos duos accepisse id quidquid scripsêre circa hoc mysterium, principaliter illum Beatum. Jn eadem exstasi tractans Angelus de Eucharistia monstravit illi in Beatorum ordine subtilem Doctorem Scotum coronatum beatitudinis diademate, & circum tempora ornatum aureolâ Doctorali, cujus gloriam discursivè explicans sententiosè ait: *noster amicus qui à Regina est nimis amatus*, eò: *quia publicè eam defenderit.*

Sed quia contra hunc librum opposuerunt aliqui ex æmulis immanem invectivam, notando multas propositiones censuratas horribiliter, expedit, ut prius veritatem ejusdem scripturæ inquiramus ad convincendos æmulos, hac in parte humanitati injurios. Quod si bene nostri Annales fateantur, multæ copiæ hujus libri remanent in parte vitiosæ, attamen Lucas Wadingus [b] & Petrus de Alva, per easdem copias ab illo productas summâ evidentiâ convincunt propositiones ab his æmulis censuratas, aut esse suppositas, aut fictas in sensu illorum: & probant cum claritate singula veritati consonantia in libro Amadæi, atque hac ratione ab eisdem censuratas, quòd non sint conformes doctrinis eorum scholæ, bene tamen sunt conformes Catholicissimorum Doctorum, sicuti etiam Jllustrissimus Brisenius demonstrat. [c] Jtaque ut cognoscatur auctoritas inclusa in hoc libro à virtuosis hominibus, obser-

vanda

vanda est approbatio illi data. Generalitèr tenet approbationem Eminentissimi Francisci Quignonis Generalis Franciscanorum, postea Cardinalis S. Ecclesiæ, [d] qui cum æstimatione magna ex Italia portavit unam ejus copiam in Hispaniam: tenet eandem ab Eminentissimo Alphonso Manrique Cardinali, Archiepiscopo di Siviglia, & Generali Inquisitore Hispaniarum: [e] qui curavit eundem librum examinare à Theologis maximæ virtutis & notæ, nihil tamen invenit, quod sit censurâ dignum. Tenet eandem à S. Petro de Alcantara, [f] qui in una copia conservata in Collegio Bonaventuræ Barcellonæ eandem confirmavit suo notatam nomine cum subscriptione manûs propriæ. Tenet à suo coætaneo [g] Antonio Ortiz homine sanctitate & virtute præstantissimo [h] prout affirmat S. Petrus de Alcantara. Tenet etiam a Paulo Morisio, [i] qui fatetur prædictum librum legisse cum magna sua spirituali consolatione. Et finaliter ipsam tenet Didacus Nissenus [k] & D. Ant. de Leone, qui legendo attentissime illos raptus impressos in Bibliotheca Virginea affirmat: nullam esse in ipsis materiam, quæ non spiret sapientiæ odorem & gratiam Spiritûs Sancti. Jn particulari postmodum allegant reverenter ejus revelationes, [l] Jllustrissimus Dominus Franciscus Sossa Generalis Minorum Conventualium postea Episcopus de Osma: Dominus Joannes Seranus Episcopus de Accerra in Regno Neapolitano, Petrus Canisius: Petrus Galatinus: Ægidius Præsentationis: Franciscus Vivarius, Antonius Daza: Wadingus & alij multi. Multi etiam transtulerunt plura & impresserunt cum magna æstimatione in suis libris fragmenta hujus novi libri intitulati *Apocalipsis* [m] Doctor

ctor Hieronymus de Hormachea Guerrerus: Sᵗᵃ Ecclesia de Sivigiia in sua informatione ad Sedem Apostolicam pro Immaculata Conceptione Virginis. Doctissimus P. Eusebius Nieremberg:, eruditus, Hippolitus Marratius: Frater Petrus de Alua & Astorga in sua Biblioteca Virginea. Ultimatè revelationes gloriæ repertæ in hoc libro sunt approbatæ & recognitæ per legitimas declarationes B. Amadæi à patribus [n] Ludovico Manganello, Matthæo Ferchio, Dermicio Thadæo, Luca Wadingo, ab Episcopis Hugone, Magnesio, Alphonso Brigen, & maximè omnium ab eloquentissimo Michäële Oyero, [o] qui postquam has revelationes attulerit sic exclamat. O *Augustissima Regina hominum & Angelorum, nonne explevit usque ad summum cum insignijs sanctitatis gradum, ille qui defendit in refutatione maculæ originalis? nonne coronatur præmio immortalitatis constantia & candor vitæ illius, qui in omni cursu suo, cum integritate tibi servivit, te honoravit tanta firmitate & te amavit tali fervore? nonne est adornata coronâ gloriæ sapientia illius, qui sine dubio à te fuit magister factus? nonne gaudet privilegio eminentia, titulis illustribus, qui passus est ob defendendam tui causam tot in vita molestias, & in morte tot calumnias! Verè ego scio, & hoc omnibus manifesto.* quite inveniet inveniet vitam & hauriet salutem à Domino *Verè ego scio & verbis liberis id pronuncio,* qui te elucidat vitam æternam habebit. *Verè ego scio, & in præsentia omnium confirmo, quòd ille qui tuam profundissimam humilitatem sequitur, tantùm à Deo existimatam (sicuti adamussim quæsivit imitari eandem discipulus venerator ac amicus tuus) in fine habebit te, & gratiam tuam pro præmio æterno.*

Hucus-

Hucuſque Oyerus, cum quo remanet qualificata non ſolùm perſona, verum etiam & ſcripta Amadæi.

Eſt adhuc quædam revelatio moderna & recentior. Floruit elapſis annis multis in Conventu S. Claræ civitatis de Burgos in Hiſpania [p] V. Mater Joanna Roderica bene probatæ perfectionis, miraculoſum exemplum in ſua vita omnium ſtatuum muliebrium, Virgo caſta, maritata obſequioſa, vidua patiens, religioſa exemplaris. Martyr in juventutis flore ſub aſpera ſui ipſius mortificatione, martyr in matrimonio ſub crudelitatibus ſui ſponſi, martyr in ſtatu viduitatis ſub ſagittis amoris divini, qui dedit ei ſubire dolores paſſionis. Hæc Venerabilis ſponſa Chriſti in revelationibus ſuæ vitæ [q] quas ſcripſit obedientiæ voto ſtricta, refert inter alios favores, ipſi oblatos à Domino, unum fuiſſe, ſcilicet quòd deſcendit cum S. P. N. in purgatorium die feſto Portiunculæ cauſâ educendi animas, quas illi Deus conceſſerat liberandas retulitq; illud quòd in viſione imaginaria videbat, dicens deſcendiſſe ſeraphicum Patrem cum quodam ſigno aut vexillo, cujus inſignia erant, ex una parte Paſſionis Chriſti Remdemptoris noſtri, ex altera imago Conceptionis Immaculatæ B. V. Mariæ, & veniſſe ad functionem hanc aſſociatum ſubtiliſſimo Scoto defenſori originalis innocentiæ Matris Dei; qui ſapere plurima didicit, quòd elevatam viderit gloriam in ſocietate ſanctorum vi meritorum Patris ſui ac Patriarchæ Franciſci ſeraphici. Tenet viſio mirificam conſonantiam & concordantiam, dieſq; feſtus Portiunculæ dedicatus conſecrationi Eccleſiæ S. Mariæ Angelorum, quam reparavit S. Pater Franciſcus [r] in declarationem, quod

per manus filiorum suorum reparatura erat Mariæ puritas vivum templum Dei & tabernaculum SS. Trinitatis, & quod concessæ gratiæ omnes ex speciali respectu defendendi hujus mysterij, emanant hac die. Sed ut etiam non patiatur hæc revelatio injuriosam censuram, [s] quæ privilegio descendendi in purgatorium nostri Patris Francisci ad educendas animas contulit æmulationem aut ignorantiam in quodam communi libro, prævenienda est ipsius defensio. Quòd concedat Deus aliquibus sanctis hanc prærogativam non est extra activitatem ejus omnipotentiæ aut terminorum, nec est modus facilis cognoscendi per qualem doctrinam Ecclesiæ & Sanctorum Patrum, possit habere etiam apparentem oppositionem talis gratia? sed quòd elevaverit cum hoc privilegio Seraphicum Patriarcham, hoc probat una revelatio relata à V. Bartholomæo de Pisis [t] libro conformitatum, ab Episcopo de Porte [u] Marco Ulysip: & ab antiqua traditione totius Ordinis, ubi apparet in multis picturis hic descensus nostri Patris Seraphici in purgatorium expositis lumini totius orbis in ejusdem Conventibus. Quod si Deus concesserit talem gratiam alijs suis sanctis ut narrant scriptores integritate fidei pleni, quare eandem non poterat concedere Francisco Seraphico? Narrat S. Gregorius Turonensis [x] inclitum protomartyrem S. Laurentium educere unam animam omni die veneris ex purgatorio. S. Antonius Archiepiscopus Florentiæ refert [y] esse visam unam animam Fratris Minoris transeuntem per purgatorium educentemque duas alias ex illis pænis suorum pænitentium & portantem easdem ad gloriam secum. Scribit Pater Leander Dominicanus [z] per merita Alberti

Magni

Magni exijsse sex millia animarum de purgatorio. Surius refert [a] Beatam Coletam scandentem cælum multas sequi animas per ejus merita de pænis purgatorij libertas. Dat gloriosam idem Surius relationem [b] Ludvinam adhuc viventem fuisse portatam ad locum temporalium tormentorum, & liberasse à pænis gravissimis animam cujusdam sacerdotis. Ergo illud quod conceditur multis & attribuitur, cadet in dubium de solo Francisco. Fateor sincerè cum doctissimo [c] Luca Wadingo me non posse cognoscere, qua viâ ingredi potuerit æmulatio censurandi hoc privilegium nostri Patriarchæ Sanctissimi. Itaque posito firmiter ad erectionem ædificiorum fundamento, ponitur etiam & fundatum firmissimum revelationis hujus spectantis ad gloriam subtilis Doctoris Scoti. Et hæc de Crisi Apologetica historica & morali Doctoris subtilis Scoti scribere sufficiant, ad laudem & gloriam Dei Omnipotentis, Beatissimæque Virginis Mariæ Immaculatæ Conceptæ, S. P. N. Francisci, omniumque Patronorum Ordinis Minorum, ad honorandam, condecorandamq; famam posthumam Theologi ac Doctoris Mariani, [d) & ad utilitatem animarum In quo Ecclesiæ sanctæ Romanæ censuræ libentissimè, & alijs meis operibus, tanquam verus ejus filius, me submitto.

a *Revelationes referunt Ludov: Mangavell: Ferch, Dermici Thad. Wading: Brizeg: Oyer: infr: cit:*

b Wading: *in Annal tomo 7. ad ann: 1489. à num 50. Petrus de Alva in sua Bibl Virg: t. 1. à fol:* 661.

c *Briz: in Vita Scoti S. 11 à num 44 latè.*

d *Testatur B. Petrus de Alcant: apud Brizeum cit: n. 555.*

e In eadem attestat. S. Petri de Alcan:

f Ad lucij Briz: cit: n. 154. authen testim at-testationum S. Petri de Alcant:

g Refert idem Sanctus ibidem.

h Gonz in chron 3. p. in Provinc: S. Gabrielis Convent: Xerestr

i Paul morif: ex Iesut de orig: Relig: foli 314.

k Apud Petrum de Alva in Bibl: Virgin: tom: . fol: 661.

l Francisc: fossa in opusc: tract: 3. folio 120. Ioan serran: de lib: 2. c. 12. n. 21. Pet. Canis apud Passevin: in apparatu sac: in Amadao. Petrus Galat in Apocalipsi Ægidius de presen: libi 2. de Conc: q. 4. artic: 7. §. 4. n. 62. & plures alij hoc loco citati

m Hieronym. Hormach in Cant. Prologom 2. fo. 199. Ecclesia Hespalensis in infor: ad sanctissim: pro Immaculata Virginis Concept: anno 1615. Euseb: Nieremb: de orig: sacr: scriptur: lib: 2. cap: 14. & lib 11. c. 9.

n Lud: Manganel in vita Scoti prafixa 1. Tom: ejus in Cant: apud 1. sent: Ferchi Thad: Wading: & alij

o Michael Oyerus orat: Encom: pro Scoto fol: 30. in fine.

p Ex libro vita ipsius venerab: Matris Ioanna Roderica manuscripto per R. P. F. Ioannem Bapt: de Loyola Minorita & ex alijs instrumentis autent. Archivij Conventus S. Francisci Burgens obijt 1650.

q Extant in processu originali, & ipsius venerab: matris manu exarata servantur in Archivio Franc: Burgensi.

r Vide supra lib: 3 c. 10.

s Nicol: Eymericus in suo Direct Inquisit. p. 2. q. 11. in fine, & ex eo Bzovius ad an. 1372. n. 30.

t Bartol. Pisanus lib: confor: p. 29. conform: 3.

u *Marc: Vlysipp: in chron 2. p. lib 4. c. 29.*
x *S. Gregor: Turonensis serm: de laudibus S. Laurentij*
y *S. Antoninus tit: 24. cap. 91. §. 11.*
z *Leand: Alberti in Vita Alberti Magni.*
a *Surius 6. Martij in Vit Beatæ Coletæ:*
b *Surius 14. Aprilis in Vita Lidem: Virg: p. 3. c. 2.*
c Wading: *Annal: t. 4. ad ann: 1371. n. 28.*
d *Mich: Oyr Aug: orat: encom fol: 8. 1. dicens Doctor Marianus uno ore prædicatur.*

Menda (sic) *Emenda*

in eat	*pag:* 3.	ineat
religiosum Seraphicæi	13	Seraphicum
despotica	15.	dispotica
scripturaram	16.	scripturarum.
pedimus	18.	pedibus
Seriphino	19.	Seraphino.
demon	*ibid:*	dæmon.
anonimus	49.	anonymus.
adde	*ibid:*	Magistrum, versu 27.
effosa	65.	effossa.
junitoris	75.	juncturis
Claviditur	77.	Clauditur
Corypheum	84.	Coryphæum.
remunctatrice	85.	remuneratrice.
præstantissimus	86.	præstantissimis
tecuit	87.	tacuit
Lutentiâ	*ibid.*	Lutetiâ
conservabur	93.	conservabatur.

Men;

Menda (*sic*) *Emenda*

Canonicatione	*pag.* 95.	Canonisationem
mnultos	*ibid:*	multos.
propitinm	96.	propitium
pstrocimum	*ibid.*	patrocinium
æmuilis	100.	æmulis
examinare	101.	examinari.

PRACTICA SEPTIMA.

De Sacramento Ordinis,

In qua de personis inhabilibus Sacramenti Ordinis agitur.

Omissis pluribus Irregularitatis speciebus, quæ nostrum institutum & materiam subjectam excedunt, ne in alienam messem mittamus falcem; placuit nobis, eam studio irregularitatis assumere speciem, quæ vel causâ mortis, vel accelerationis mortis, atque ex variis morbis, symptomatibusve contrahitur, quibus affecti fideles, sine periculo Ecclesiasticas functiones, maximè sacros Ordines obire nequeunt: & quia hæc irregularitas ex duplici oriri potest titulo aut defectu nempè animæ vel corporis, ideò sic.

§. I.

De inhabilitate ex irregularitate contracta ob defectum animæ.

DVBIVM I. An insani & amentes sint capaces & habiles ad suscipiendos Ordines? R. Negativè. Hi enim omninò carent usu rationis, eò vel maximè prout sunt perpetuò insani & amentes, qui sunt irregulares, & inhabiles ad sacros Ordines suscipiendos, atque exequendos, non solùm durante tempore amentiæ, sed etiam postquam convaluerint, & hoc ratione scandali, & periculi novi lapsûs, in amentiam prout habetur ex Canon: *Maritum* Can. Clerici, & Can communiter D. 33. ideoq; prædicti amentes, furiosi & insani non possunt sacris Ordinibus initiari etiam postquam convaluerint, sine dispensatione summi Pontificis, cui constare debet per testes de sanitate mentis recuperata, etiamsi omninò liberati essent ab amentia; non enim Episcopus cum hujusmodi dispensare potest quò ad ordines suscipiendos. Ita Majolus, Suarez, Filliuc & Bonac: cum pluribus alijs [a]

Quid si fuerint furiosi & amentes ad tempus solùm, & non in perpetuum? R. etiam tales sunt irregulares, nam quando quis incidit in amentiā semper remanet irregularis, quò ad Ordinis receptionem, eò, quia semel passus hujusmodi ægritudinem rarò præsumitur perfectè sanus absque periculo reincidendi, ideòque requiritur dispensatio summi Pontificis, quod intelligitur de veris amentibus ex læsione organorum, non autem de ijs qui ex vehementi febri delirium aliquando sunt passi nam hujusmodi non sunt irregulares ideòque cessante tali ægritudine, possunt licitè ad Ordines promoveri & in ordinibus susceptis administrare, absque alia dispensatione. Ita

Gesual-

Gesualdus de Bononijs Panormit Capuc: *p.* 2. *Th ol: Moral: tract: 21 Ca. 1. n. 13. & 14.*

Quid si ante amentiam ordinati fuerint, & in amentiam inciderint, & deindè convaluerint, quid agendum cum ejusmodi amentibus? ℞. Si transacto tempore unius anni, in quo nullum signum amentiæ ampliùs ostenderint, poterit Episcopus cum illis dispensare, seu potiùs declarare cessasse jam impedimentum amentiæ, quoniam differentia est inter ordinandos, & ordinatos. Si enim loquimur de ordinibus susceptis ante amentiam Episcopus poterit cum ordinatis dispensare, transacto anno ab amentia, habita prius sufficienti ratione, à viris fide dignis, quod mediante illo anno nullum signum amentiæ ostendissent. Tunc enim poterit Episcopus consentire & declarare sublatum esse impedimentum, circa usum ordinum antea susceptorum, prout colligitur ex Cap: communiter D. 33 & dicunt Coninch: Bonac: Navar, Suarez, Filliuc, & Reinald: [b]

a Majolus *lib: 1. de Irregularit: cap: 14.* Suárez *disp: 51. num: 5.* Bonac: *disp: 7. quæst: 2. num. 23*

b. Coninch: *disp: 20. num: 107.* Bonac: *de censur: disp: 7. p. 2. quæst: 2. n. 23.*

DUB: 2. *An Energumeni, seu Arrepticij sint habiles personæ ad suscipiendos Ordines?* Per Energumenos, seu Arreptitios, intellige eos qui aliquando à dæmone fuerunt vexati: ℞. *Negativé.* Tales enim sunt & sunt irregulares: isti enim si nondum in sacris essent ordinati non possunt in posterum promoveri ad sacros Ordines suscipiendos sine summi Ponti-

ficis dispensatione, eò, quod hujusmodi, qui semel fuerunt incorporati à dæmone dicuntur & sunt irregulares, de qua irregularitate solus Papa dispensat prout habetur ex sacris Canonibus. Can: *Maritum* Can: *Communiter* & Can: *Clerici D.* 33. Quod etiam intelligitur de illis, qui se dæmoniacos simulaverunt prout dicitur ex 6. Synodo Gen: Constantinopol: Can: 7. Ita Sayr, Tolet, Bonac: Filliuc, Navar, [a] Et quamvis liberati fuerint ab hac vexatione dæmonum, adhuc non possunt promoveri ad sacros ordines sine summi Pontificis dispensatione eo quod tales, qui semel fuerunt incorporati à dæmone faciliter in eandem vexationem iterùm incidere possunt: ideoque ratione periculi, & propter indecentiam non permittuntur in posterum ampliùs sacris Ordinibus initiari sine Pontificis dispensatione. Clerici autem, qui antea fuerint legitimè ordinati & postea [DEO ita permittente] effecti fuissent energumeni, si deinde liberati fuerint à tali vexatione poterit Episcopus cum eis dispensare, ut in susceptis Ordinibus ministrent, elapso anno à tali liberatione, tunc enim Episcopus non propriè dicitur dispensare in irregularitate, sed potiùs declarare, non adesse ampliùs tale impedimentum, prout dictum est supra. Dixi hæc intelligenda esse etiam de illis, qui se dæmoniacos simulaverunt, qui quamvis verè non essent vexati à dæmone, quia tamen voluntariè & malitiosè tales esse se ostenderunt in pœnam talis criminis, & vitiosæ fraudis ad tollendum aliorum scandalum, & pro reverentia sacrorum ordinum, effecti sunt irregulares ideòq; ad sacros ordines

non sunt ampliùs promovendi, nisi obtenta sit prius Pontificis dispensatio: prout determinatum fuit in sexta synodo Constantinopolitana *Can: 6.*

a. Sayr. *lib: de Censur lib 6. cap. 9. n.* 14. Bonac *de censur: disp: 7. p. 2. qu: 2. num:* 24 Navar: *Cap: 27. num. 283.*

DUB: 3. *An laborantes morbo lunali seu caduco vel ut cum medicis loquar comitiali vel epileptico sint habiles & capaces persona ad suscipiendos Ordines?* ℞. *Negativè.* Tales enim sunt irregulares, & non possunt ampliùs ad Ordines sacros promoueri, quamvis actu postea non ampliùs tali morbo crucientur, nam sæpè sæpius contingere solet, ut talis morbus iterum redeat, ideòque ratione periculi sine dispensatione summi Pontificis ampliùs ordinari non possunt: prout communiter Doctores statim citandi. Si autem jam promoti essent ante morbum, abstineri debent à celebratione, præsertim quando talis morbus in terram eos proijcere solet, & spumam in ore efficere, quòd si levior sit, & judicio medicorum liberi totaliter appareant, restitui possent ad ordines ministrandos, dùm habeant aliquem assistentem in actu celebrationis Missæ, prout habetur ex Canon: *Communiter D. 33.* & Can: *In tuis literis* & Can: nuper 7. q. 2. Ita Syluestr: Nauar: Sayr: Suarez, Filliuc: (a)

a Syluestr: *Verb: Corp: vitiat: quæst: 8.* Nauar: *cap. 17 n. 283,* Suarez *disp: 51. sect. 1. n. 6.*

DUB: 4. *An omnino stolidi, & ignorantes ordinandi sunt?* ℞. *Negativè,* nam hujusmodi illiterati habentur tanquam irregulares: prout dicitur in Canon: *Illiteratos D. 33.* ubi sermo est de illis, qui Grammaticam & latinam lin-

guam nesciunt, prout ibi explicat Glossa & colligitur *ex cap: ultimo de temp: ordinandi in 6.* prout communiter dicunt Doctores statim citandi in sequenti numero. Imò dico, talem inhabilitatem & irregularitatem illiteratorum non solùm institutam esse de jure Ecclesiastico, sed etiam esse de jure Divino naturali: ratio enim dictat, non esse admittendos ad ordines eos, qui munus illud exercere nesciunt: ideoque nec summus Pontifex licitè dispensare potest, ut omnino illiterati ordinentur, & si aliquando essent ordinati suspendendi sunt, ut in sacris ordinibus non ministrent, nisi priùs Grammaticam sufficienter discant. Ita Maiolus Azor: & complures alij (a) Insuper addo irregularitatem, qua quis ignorat necessaria ad usum ordinis, non solùm inducere inhabilitatem ad ordines suscipiendos, sed etiam ad usum susceptorum, sive tales ordines recepti fuissent bona fide, sive mala; & ratio hujus est, quia scientia sufficiens in Clerico requiritur, non propter receptionem ordinum, sed propter usum illorum, ne videlicet ordines sacros cum errore ignorantiæ administrent contra debitam divinorum reverentiam. Concedimus tamen hanc inhabilitatem sive irregularitatem ignorantiæ tolli posse per oppositam scientiam: nam quando irregularitas inducta fuit pro tali tempore, quo causa durat, causa illius irregularitatis, cessante causa cessat effectus. Quód etiam dicendum est de defectu ætatis convenientis ad sacros ordines suscipiendos, juxta determinationem Trident: Concil: quæ cessat postquam Clericus ad ætatem convenientem jam fit pervenctus, prout dicunt Suarez *disp: 51. sect: 1. n. 11.* Filliuc: *d. tract: 9. c. 7. n. 192. cum alijs supra citatis.* Sed

Quares Quæ scientia requiratur ad ordines legitimè suscipiendos secundum Canones? R. illa quæ declaratur in Concil: Trident: *sess: 23. cap: 4. de reformat:* ubi dicitur. Ad primam tonsuram requiri, quòd initiandus, sit primò confirmatus, & peruentus sit ad septimum annum suæ ætatis, & ut calleat rudimenta fidei, sciatq; aliqualiter legere & scribere. Ad minores Ordines ut intelligant latinam linguam ordinandi, & quod de gradu in gradum, in eis vitæ meritum, & doctrina major accrescat, & quod majoris scientiæ spes majoribus ordinibus dignos ostendat. Ad subdiaconatum verò & Diaconatum *in cap:* 13. requiri, ut quis sit instru ctus in literis, & ijs quæ ad exercendum ordinem pertinent *in cap:* 14. In ordine ad Presbyteros exigit, ut isti idonei sint ad docendum populum ea, quæ necessaria sunt ad salutem & administranda sacramenta. De scientia verò necessaria in Episcopo, nihil aliud dicit *in sess:* 7. *cap. 1. de reformat* quàm, quòd in dicto cap. *Cum in cunctis statuitur* in sess: verò 22. cap: 2. addit ut Episcopus tali scientiâ polleat, ut necessitati sui muneris possit satisfacere, proinde requiritur, ut ordinandus Episcopus sit Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia saltem morali, aut in jure Canonico, vel saltem ut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus asseratur ad alios docendos: & si sit regularis tale testimonium habeat à suis superioribus. Ex his.

Collige 1. Illiteraturam seu defectum scientiæ irregularitatem, & quidem propriam inducere, ex eo liquet, quia eodem modo ponitur à Gelasio Papa in illo textu ac irregularitas ex defectu in-

tegritatis corporis, ut colligitur etiam *ex cap. Illiteratus dist:* 35. Siquidem ut ibi dicitur: literis carens, sacris non potest esse aptus officijs, non solùm quò ad receptionem ordinis, verùm etiam quò ad usum eiusdem jam recepti, quia hæc est natura irregularitatis, utrumque impedire, tametsi bona fide & sine culpa quis ordinetur, siquidem hæc irregularitas non incurritur propter culpam, sed ob defectum scientiæ, ut dictum est supra. Cæterum hæc irregularitas duobus modis tollitur, primò per ablationem ipsius ignorantiæ, quæ est totalis & adæquata causa ipsius irregularitatis, siquidem hoc quod est precisè ignorantem aliquando fuisse, non constituit hominem perpetuò irregularem, adeo, ut accedente sufficienti scientia, nôn requiratur alia dispensatio. Secundò etiam durante ipsa ignorantia potest tolli per dispensationem, quæ à solo Papa petenda est, cùm enim hujusmodi dispensatio non sit contra ius naturale & Divinum, potest à Papa concedi. Non tamen potest Pontifex dispensare cum illiterato ad usum ordinis suscepti, si caret scientiâ ex natura rei, requisita ad debitum illius usum, siquidem quod quis munere sine scientia necessaria ad debitum illius usum utitur, est intrinsecè malum, & contra jus naturæ, in quo non potest Papa dispensare. Posset tamen dispensare, quò ad scientiam requisitam ex solo jure Ecclesiastico, quia Pontifex potest supra jus Ecclesiasticum.

Collige 2. Pro coronide ultra scientiam, etiam probitas vitæ ac morũ requiritur, & quidem notoria seu probata testimonijs sufficientibus Parochi, vel aliorũ fide dignorũ. Et si quis dimittatur, aut ordinetur ab alieno Episcopo testimonium

um de vita & moribus ab Episcopo proprio habere debet, unà cum dimissorijs. Quin etiam si quis à sede Apostolica privilegium obtinerit, ut à quolibet Episcopo Catholico ordinari possit, & si tunc dimissorijs proprij Episcopi non indigeat, indiget tamen ejusdem Episcopi proprij literis testimonialibus de vita & moribus, ut ex Concil: Trid: *sess: 23. cap 8* notant Henriquez & Barbosa. Regularibus tamen testimonium probitatis dari solet à suis superioribus, idque sufficere constat ex praxi Ecclesiæ: & insinuat declaratio Cardinalium *apud Gallo: mard: ad cit cap: Tridentini.*

Collige 3. Jn Regularibus non requiri tantam scientiam quanta requiritur in Clericis sæcularibus. Et ratio est, quia sæculares ordinantur, in ordine ad functiones Ecclesiasticas concernentes curam animarum saltem indirectè, & ideo debent habere scientiam sufficientem in ordine ad ipsas. At religiosi ordinantur solùm in ordine ad celebrationem, unde sufficit si sciant quæ necessaria sunt pro celebranda Missa. Quod si applicentur alijs functionibus concernentibus curam animarum ut est concionari, audire confessiones, indigent nova approbatione, & proinde ij solùm applicantur, qui idonei sunt. Ex quo fit, quod si aliquis sæcularis ordinaretur in eum finem ut ex sua devotione celebraret, & non ut in aliquo se applicaret curæ animarum; neque etiam quò ád ipsum esset necessaria tanta scientia, quanta est necessaria in alijs, sed sufficeret si esset idoneus ad celebrandum & proinde sufficeret scientia eorum quæ pro celebratione necessaria sunt. Jta Sylvester & alij.

a. Maiolus *lib* 1. *de Irregul: cap: 32 n.* 15. Azor *tom: 2. l* 6. *cap: 6. q:* 4. Suarez. *disp:* 51. *sect: 1. n.* 11.

DUBIUM 5. *An ignari & inhabiles in aliquo casu ordinandi?* Aliquos dicere quod propter penuriam aliorum, possunt non tam idonei ordinari: sed respondetur negativè quòd nunquam ignari aut aliàs inhabiles sunt promovendi, neque propter penuriam aliorum. Archid: *in d. c. si qui* nam sanctius est ordinare paucos bonos, quam multos malos *c. Tales dist:* 28. *& d. c. pen: de ætat: & quatitat.* Quia Episcopi sub peccato mortali tenentur promovendos instruere *c. d. penult:* Et Episcopus ordinans illiteratos, est suspensus per annum à collatione Ordinum, *c. Nullus de tempore ord: in* 6 Tum quia ordinatio metienda est iisdem regulis proportionaliter, quibus metiri solet electio, unde sicuti nunquam licet eligere indignum, cum hoc sit intrinsecè malum, ut communiter docent cum D. Thom: quodlib 6. art: 9. ita nec unquam licebit assumere ad ordines indignos. Quia tamen indignitas ex diverso capite provenire potest: Ideo Resp: 2. cum distinctione ex Pasqualigo in Controvers: inter Episcop: & Regul: ordinat: [b] Nam vel est totalis inhabilitas ad exercendum ordinem, & sic facit, quod ex nulla necessitate ordinari possit, quia est incapax exercitij Ordinis. vel provenit ex turpitudine morum, si sit tanta ut non obstante ministrorum paucitate scandalo futura sit, & non adit spes emendationis, impedit omnino ordinationem: vel denique provenit ex aliquo impedimento canonico, tunc tolli potest

per

per dispensationem, atque adeo hujusmodi indigni promoveri poterunt ad ordines, stante necessitate Ecclesiæ cum hæc sit sufficiens ratio dispensandi. Quando tamen penuria esset notabilis possent ordinari minus habiles, si meliores non adessent qui ordinarentur. Tunc enim qui assumerentur, essent digniores ex illis, qui possent assumi, nec obligatio assumendi digniores ad aliud obligat quàm ad respectivè digniores, respectu eorum qui assumi possunt. Unde *in cap. nimis gravè de prabend.* reprehenduntur illi, qui cum possint assumere idoneos, assumunt indignos, & proinde obligatio promovendi digniores, est juxta possibilitatem.

a. Sylvester verbo *Clericus 2. num: 1.* Rodriquez *tom: 1. quæst Regul: 24 art: 7. vers Tertio incurritur.* Peirin: *tom: 1. de privileg: ad constit: 16. Leonis X. § 13. num: 25.*

b. Pasqualig: *in controvers: inter Episcop: & Regul: de Regular: Ordini quæst: 39. num: 362. & 363. & 364.*

§. II.

De inhabilitate, ex irregularitate contracta, ob defectum corporis.

Cum in præcedenti capitulo dictum sit de illis irregularitatibus subjecti seu Personæ prouenientibus ex parte animæ, dicendum superest de illis, quæ procedere possunt ex parte corporis, sive totius compositi ipsius subjecti ordinati vel ordinandi, licet hujusmodi defectus sæpe confundan-

fundan-

fundantur: non enim tales defectus considerantur respectu animæ vel corporis, ad invicem separati, sed ut faciunt unum compositum, constans ex anima & corpore, distinctionis tamen gratiâ, tales defectus, quibus mediantibus personæ fiunt irregulares, vel inhabiles ad ordines à Doctoribus specialiter, & distincti considerantur & explicantur.

DUB: 1. *An feminæ ratione sexus, sint irregulares?* Censent aliqui esse irregulares: verum sexus femineus propriè loquendo non includit irregularitatem, sed potiùs incapacitatem eam incurrendi; siquidem femina ita est incapax ordinis, ut si ei conferatur, sit ipso facto nullus, ut communiter docent Theologi. Tùm quia feminæ sunt incapaces omninò charecteris ordinis, & quidem de jure Divino, nam femina propter imperfectionem sexûs non potest personam Christi repræsentare. Vnde id quod aliqui Hæretici dicunt de Ioanna Anglicana, quod fuerit ad summum Pontificatum evecta & habita pro Ioanne XXII. falsissimum est, & inventum hæreticorum, ut ostendit Baronius tom. 1. anno Christi 853. n. 86. & alij communiter. Major de Hermaphroditis occurrit difficultas, & se insinuat in ordine.

DUB: 2. *An hermaphroditæ sint irregulares tam ad ordines suscipiendos, quàm ad exequendos?* ℟. Adhibita tamen distinctione, conveniunt Doctores, quod si persona aliqua utrumque sexum æque participet, vel magis inclinet in sexum femineum, non solùm sit irregularis verum incapax characteris ordinis, ut rectè docet Soto: *q. 1. a:* 3. Nauar: *cap: 27. n. 203.* ratio est, quia tum talis persona non est absolutè & simpliciter

vir,

vir, quia uel magis inclinat in femineum, vel æque in utrumque sexum, proinde neutram absolutè recipit denominationem. Quod si dicas Juris peritos in eo casu dare tali Hermaphrodito optionem cui malit sexui inservire, ut refert & ostendit Tyraquellus de jure primogenitorum *q. 17. cap: 1 n. 15.* respondetur hoc admitti, à lege quò ad Civiles, & externas actiones; non ita quò ad capacitatem ad ordines, quia hæc non dependet ex usu unius vel alterius sexûs, neque ex voluntate habentis utrumque, sed ex naturali conditione personæ supposita institutione, qua credimus pro viris seu masculis duntaxat fuisse à Christo hoc Sacramentum institutum. Sin autem talis persona magis inclinaret in sexum virilem, tunc esset quidem capax characteris ordinis, eo quia simpliciter censeretur vir juxta legem. Quæritur *ff. de stat. hom: & 1* Repetunt *ff. de testibus §6 cap: si testis vers Hermaphr: 4. q 3.* ob indecentiam tamen, & monstruositatem esset irregularis in omnium sententia, & fundatur *in cap. 1. 37. dist.* ubi generatim declarantur irregulares, qui corpore sunt vitiati, ideòque sine dispensatione Papæ ordinari licite non possunt. Ita Henriquez, Nauarr Graff. & alij plures.

Quid si contingat, ut quis pro femina reputata, sed postea processu temporis virilia, quæ sub femineis latebant pudendis foris prodeant, prout aliquando accidisse refert Plinius: *lib: 7. Histor: cap: 4.* teste Suarez *disp: 52 sect: 2. num: 2* & Filliuc: *tom: 1. tract: 19. cap, 6. num: 152.* refert Anno Domini 1619. Romæ quandam supplicationem sacræ Pænitentiariæ fuisse præsentatam, in qua petebatur dispensa-

ſpenſatio circa votum caſtitatis factum in monaſterio à quadam perſona, ubi poſt profeſſionem factam tanquam femina: deindè die quodam cum maximè conata eſſet, ut quoddam pondus elevaret è terra, exierunt illi extra vas femineum membra virilia genitalia, cujus cauſa talis Monacha ſtatim rejecta fuit è monaſteriò, ideòque petebat diſpenſationem quò ad caſtitatis votum emiſſum, ut licite tanquàm vir poſſit matrimonium contrahere. Qui quidem caſus ſucceſſit Panormi. Reſponſumq; fuiſſe ipſo jure nullam fuiſſe profeſſionem: quia talis perſona tanquam femina promiſit votum clauſuræ & caſtitatis ut tanquam Monacha in Monaſterio feminarum eſſet victura: cum ergò denuò effecta fuiſſet vir, profeſſio facta non habet ampliùs vigorem: nam profeſſio facta ſemper intelligitur ſecundùm intentionem voventis. Ita Navar, Henriquez, Bonac: Unde ad caſum propoſitum R. quòd ſi talis perſona taliter effecta ſit maſculus, adeò ut tantùm habeat membra virilia, ſicuti cæteri homines, tunc nullo modo dici poterit irregularis, non enim habet utrumque ſexum [ut ſupponitur] ſed tantum virilem, ideòque capax eſt characteris Ordinis recipiendi, neque indigebit diſpenſatione, niſi aliud impedimentum Canonicum habeat, & licet antea exiſtimata eſſet talis perſona pro femina, & modò extra ordinario modo effecta ſit maſculus, nihil facit ad rem, quò ad irregularitatem, quia talis irregularitas in jure non eſt expreſſa, prout dicunt Suarez *diſp:* 31. *ſect:* 3 *num:* 2: Filliuc: *d. tract* 19 *c.* 6. *num.* 162, & Bonac: *diſt:* 7. *qu:* 2. *p.* 2. *n.*

18

13. Ratio autem hujus afferri est, quia iste talis non est amplius hermaphrodita, ut supponitur, nec femina, sed vir, ideòque est ordinis sacramenti capax: Si verò uterque sexus remaneat, quo ad genitalia tunc esset verè hermophrodita, & propter monstruositatem naturæ esset irregularis prout supra explicacatum est.

Si tamen inquiras, quid dicendum sit, si forte accidat, quòd postquam Hermaphroditus, in quo prævalebat sexus virilis fuit ordinatus postea decursu temporis prævaleat sexus femineus, quod aliquando accidisse fertur? R. Cum doctissimo. P. Antonio à spiritu Sancto Episc: Angolen: ex Ord. Carmelit: assumpto *disp: 4. de sacram: Ordinis sect. 1.* manere sacerdotem, & posse validè consecrare nàm character sacerdotalis. solùm requirebat in fieri sexum virilem, non verò in conservari, nàm semel in anima productus, non potest deleri. Jta & bene Dicastilt: *disp: 1. num: 229.*

DUB. 3. *An monstruosi sint irregulares, & qui nam dicantur monstruosi?* R. quatuor personarum genera possunt reduci ad monstruosos: quorum primum est illorum habentium plura membra contra ordinem naturæ, ut si quis haberet duo capita, quatuor oculos, vel quatuor manus, aut vultum ita distortum fœtidum, aut deformem, ita ut intuentes provocaret ad risum, aut horrorem, tunc enim hujusmodi essent irregulares, & non possent licitè ad ordines promoveri, neque in ordinibus susceptis propter deformitatem notabiliter apparentem ministrare contra reverentiam sacris Ordinibus debitam, prout habetur ex sacris Ca-

noni-

nonibus. *Can: qui in aliquo D. 5. & c. Ult: de corpor. Vitiat. & Cap. 2. de Clerico agrotante* Et communiter docent omnes Doctores.

Secundum genus est illorum, qui licet debita membra habeant quò ad numerum, est tamen inter ea maxima disparitas, & quando talis disparitas notabilem deformitatem inducat, tanquam irregulares sunt existimandi. Ut si quis haberet crura seu tibias nimis distortas, adeò ut inducat derisum aut horrorem, non possent hujusmodi ad ordines suscipiendos admitti, neque si essent ordinati permitti debet ut in susceptis Ordinibus administrent, cujus judicium talis deformitatis committitur judicio prudentis Episcopi, prout dicunt Majolus, Vivaldus, Sayrus, & alij (a)

Monstruosi tertij generis dicuntur illi, qui propter excessum debitæ quantitatis, aut defectum, admirationem notabilem pariunt intuentibus, quales sunt gigantes, staturâ magna, aut pigmei parvæ staturæ: qui tunc irregulares sunt existimandi quando in eis talis esset deformitas, ut futuri videantur occasio ludibrij, & admirationis apud cæteros, si hujusmodi in sacris altaribus ministrarent cujus deformitas remittitur judicanda à judicio prudentis Episcopi, an ita videtur futurum, nec ne! hujusmodi autem homines inter similes non existimantur deformes: inter cæteros autem dispares, standum est judicio prælati illius loci. Jta Doctores.

Monstruosi quarti generis possunt esse nimis gibbosi, sed communiter hujusmodi non sunt omninò irregulares, nisi quando talis gibbositas

esset

esset conjuncta cum nimia deformitate, vel debilitate, ut accidere potest, quando gibbosus nequit se erigere, aut stare erecto capite: vel talis sit deformitas & monstruositas, quæ generet scandalum vel periculum scandali imminentis, vel excitet in populo risum, & aliqualem contemptum, talis enim deformitas reddit hominem irregularem. Jd verò quantum dedeceat, probavit eventus, quo quidam Episcopus quendam Didacum, quem alij Pigmæum, alij balænam vocitabant, ob sui corporis deformitatem, tum quia statura pusillus, tùm quia ex utraque parte mirum in modum gibbosus est, ad omnes sacros, etiam Presbyteratûs ordines promovit. Cæterum priscis illis temporibus non modò Episcopus abstinebat à tali promotione quam non faciebat, nisi de consensu plurium Episcoporum, sed etiam ipse summus Pontifex tam grave negotium non uni tantùm Episcopo committebat, sed literæ licet dispensationis hujusmodi uni dirigebantur, puta Archiepiscopo aderant tamen in illis inserta verba, videlicet de consilio Suffraganeorum suorum ut *in c. 2. de corp: vit:* ubi Glos in verb: *cum Consilio*, dicit quod isti Suffraganei delegati censentur ita, ut sine istorum consilio Episcopus, seu Archiepiscopus nihil disponere debeat, aliàs non valeret cap. *cum in veteri de elect:* Jta Pirrhus, Corradu. Dispens: Apostolicarum *lib: 3. cap. 6. n. 18* Quod idem dicendum de illo, qui habet ventrem ita præturgidum, & nimis pinguem, ita ut deformitatem notabilem faciat in corpore taliter vitiato; tunc hujusmodi non essent ordinandi in sacris, & quando talis esset defor-

mitas, prohibendi sunt etiam, nè in susceptis Ordinibus, ministrent juxta determinationem prudentis Episcopi, prout dicunt Molina, Majolus, Ugolinus, Bonacina [b]

a, Majolus *lib: 1. de irregul: c. 13. n. 2.* Vivaldus *in Candel: tra: de irregul: n. 131.* Sayrus *lib; 6. cap: 8. num. 1.*

b, Molina *tom: 4. de iust: tr: 3. D. 70. num: 8* Ugol: *cap. 50. num. 6.* Bonac: *disp: 7 quæst: 2. p. 2. num: 9.*

DUBIUM 4. *An omninò cæcus, sit irregularis?* R. *affirmativè*, etiam si habeat oculos claros, & integros, etiamsi post sacerdotium in cæcitatem inciderit. Ita communiter DD. Ex dispensatione tamen Papæ sic cæcus potest celebrare secretè assistente ei alio sacerdote, vel illo experto, supposito quòd habeat memoriam perfectam omnium Canonum. Ita Henriquez *lib: 14. cap. 8. num: 2. lit: M.* & cum alijs Pellizar *tract: 7. cap: 5. num: 57.* Et idem dicendum de monoculo, hoc est habente unum tantum oculum. Ita habetur *in Cap: si Evangelia dist: 55.* & cum multis Diana *p. 5. tract: 6. resolut: 22.* Non tamen est irregularis, qui habens utrumq; oculũ caret visu oculi dextri; ita communiter Doctores. Nec etiam qui caret visu oculi sinistri, si habeat visum in oculo dextro. Henriquez *lib: 14. cap: 8.* Tolet. *lib: 1. cap: 63. num. 8.* Suarez *disp. 51. num: 16.* Si autem careat oculo Canonis, ita ut non possit legere Canonem Missæ, nisi conversa facie ad populum cum irreverentia manifesta actûs celebrandi; tunc communiter permitti non debet, ut talis sacerdos celebret nisi in aliquo casu dispensatus fuerit, à Prælato accomodato Missali: ita ut commodè sine

inde-

indecore cum dextro oculo profpicere poffet ea quæ legenda funt. Jta Sayrus, Henriquez, Tolet: & plures alij [a] Nec etiam eft irregularis qui nubem habet in oculo, fi non fit nimis deformis Bonac: *qu: 2 de irregul: p. 8. num: 3.* Nec qui oculos lacrymantes continuò habet, vel fine palpebris. Nec qui unum oculum habet grandiorem altero. Nec qui oculos diftortos aut difpares habet, nifi aliàs hi defectus notabilem horrorem caufent, Henriquez *lib: 14. cap: 8. num: 2.*

a. Sayrus *lib: 6. cap. 8. num: 8.* Henriquez *d. lib: 14. cap: 8* Navar: *cap: 27. n. 199.* Tolet: *lib: 1 cap: 63. reg 1. circa medium &c* Filliuc. *cum alijs supra citi*

DUBIUM 5. *An furdus omnino & totaliter fit irregularis?* R. *affirmativè* Secús dicendum eft de furdaftre. Ita cum alijs Diana *p. 5. tract 6. resol: 22* Pelliz *tract: 1. Cap. 5. n. 59.* Si tamèn quis poft facerdotium factus fuerit omninò furdus, poteft fubmiffa voce dicere, & fine Miniftro celebrare. Non tamen eft admittendus ad Miffam folennem, nifi ei affiftant Miniftri, qui eum moneant de tempore, quo debeat canere & tacere. Fr. Chryftoph à S. Joseph: *Verb: Cens: de irregul: dub: 7. num: 4.* contra Bonac: & alios.

Poterit etiam baptizare, ægros ungere, prædicare non tamèn Confefiones audire Bonac: *quæst: 2, p. 2. n. 7.*

Quid fi careat auriculis. R. talem effe etiam irregularem nifi fortè defectum poffit capillis capitis cooperire. Ita cum alijs Diana *p. 4. tract: 2 resol: 73.* Pal: *disp: 6, p. 11. n. 3.* Excipe ni quis in pænam culpæ in judicio auri-

culâ fuerit privatus, nàm tunc laborat irregularitate infamiæ. Ità Vivald: *n. 159.* Contra Henriquez *lib: 14. cap. 8. n. 3. Dixi*, secus dicendum de surdastre, nàm talis non est totaliter surdus, undè non potest dici irregularis; cùm omninò non sit privatus potentiâ auditivâ: ideòque potest ad Ordines admitti, & celebrare ad judicium Episcopi, dum modò non sit occasio ludibrij, & risûs circumstantium, quando aurium vitium sacerdotis esset insigne, & contra debitam reverentiam sacri muneris, adeò ut eadem inconvenientià faciliter evitari non possent, tunc existimandus est tanquám omninò surdus, & non debet permitti, ut sic celebret saltèm in publico: ità Comitolus *in Moral: respons lib: 6. qu: 56. n. 4.* Sayr. *lib: 6. cap. 8. n. 17.* Bonac: & Filliuc:

DUB: 6. *An destitutum sensu odoratûs sit inhabilis ad suscipiendos Ordines?* R. *Negativè*, Nàm talis non videtur esse irregularis, dummodò habeat membrum nasi integrum in facie, sive verum, sive artificiosè effectum, nàm ad ordines exercendos parum refert potentia olfactiva, quare illi qui morbo pituitæ, qui vulgo dicitur (catarro) ratione cujus non possunt sentire odores, non impediuntur ab actu celebrandi, & in hoc nulla est controvesia. Est autem irregularis qui habet nasum nimis magnum, vel nimis parvum, vel nimis distortum propter deformitatem. Ita Vivaldus *n. 199.* & alij communiter. Et idem dicendum est de habente cicatrices, in facie nimis deformes; Filliuc: *tract: 19. cap. 6. quæst: 5. dist: n. 171.* Non sunt tamen irregulares, etiam apud nos Æthiopes. Ita Diana *p. 4. tract: resol: 84.* & cum Bonac & alijs Pelliz; *tract: 7. c. 5. n. 55.*

DUB: 7. *An omninò mutus sit inhabilis ad Ordines.* R. *affirmativè.* Ita omnes DD. Si tamèn hic defectus alicui adveniat post ordinationem, in casu necessitatis, poterit administrare Eucharistiam, ab alio præconsecratam, Ita cum Bonac: Pelliz: *tract: 7. cap. 5. n. 61,* Balbi verò, seu blæsi non sunt irregulares, nisi aliàs notabilem habeant deformitatem in loquendo. Et idèm dicendum est de illo, cui pars linguæ amputata fuit, si aliàs loquela non promoveat ad risum & detestationem. Tolet: *lib: 1. cap. 63. n.* 4. Est tamen irregularis, qui labia corrosa, seu abscissa penitus habet; quia magnum hoc causat horrorem. Henriq: *lib: 14. cap. 8. n. 3.* Et idem dicendum de eo qui habet os valdè distortum, quia hoc etiam causat risum & horrorem, secùs si defectus sit parvus. Henriqu: *lib: 14. Cap 8. n* 2. Filliuc: *tract: 19. cap. 6 quæst: 5 dict: 4 n. 171.* Non est tamen irregularis carens omninò dentibus, hoc enim non affert notabilem deformitatem, dùm modò tamen posset verba proferre. Si autem non posset verba necessaria proferre integrè, vel careret linguâ vel labijs, tunc certissimum est hujusmodi celebrare non posse, cùm hæc sint de essentia celebrantis, prout dicunt Henriquez *d. lib. 14. cap. 8. n.* 2. Bonac: de Censur: *disp: 7. p. 2. 9. 2. n. 6. & plures alij.*

DUB: 8. *An abstemij qui nullo modo vinum sumere possunt, nec retinere absque periculo vomitûs, sint habiles ad Ordines?* R. *Negativè* Nam respectu sacerdotij sunt irregulares, vel potiùs inhabiles ad Missam celebrandam · & ratio est, quia species vini consecrati necessariò sumendæ sunt per potum ab ipso celebrante ideòque nisi

assuescant, ad saltem parum vini potandum, non posset cum talibus dispensari, ad alios autem Ordines Irregulares non sunt, ut docet Glos: *in Can: Apost: ipsi 2. quast: 7.* Sylvester V. *irregularitas 9. 2.* Maiol: *lib: 1. de irregul: cap. 25.* Bonac: *d. sp: 9. 2. p 2. n. 26.*

DUB: 9. *An morbus Gallicus reddat hominem irregularem.* ℞. *affirmativè,* Ita Maiol: de irregular: *lib 2 cap.* 19. Favet etiam Homobonus *p. 2. tract: 11 pag: 371. col. 1.* ubi dicit: gallico morbo laborantes, & venerea hac peste infectos, si foris appareat; & horrorem, & scandalum gignat irregulares esse, & hæc verba Maiolus subiungit. Ferunt hunc morbum quasi contagione libros, vestes, ac vasa contactu inficere. Undè repellendus est ex consortio hominum, qui illo laborat: nàm sicut mulier reddere debitum non tenetur, inquit, ob contagionis periculum, interveniente Medicorum consilio, & ob eandem causam non tenetur cohabitare viro; certè eadam ratione, si idem periculum infectionis ex contagione immineat, ad Ordines admitti non debet. Quæ omnia ad Episcopi, & Physicorum arbitrium referenda sunt. Contingit enim aliquando hunc morbum tam graviter in homines grassari, ut eos interimat, cujusmodi fertur de Marco Antonio Sabellico, qui cùm nimiùm vaga venere uteretur hoc correptus morbo interijt. Iovius *Eulogi* 38. hæc ille.

DUB: 10. *An morbus gallicus ex una tantùm causa irregularitatem inducat?* ℞. *negativè* Morbus enim gallicus habet non unam sed multiplicem causam irregularitatis, nempe quandoque impedimentum liberi usûs corporis; turpi-

tudinem

tudinem, cotagium, & difficultatem curationis, & scandalum Sed quia is morbus habet multos gradus neque videtur posse habere locum in uno, quæ habeat locum in alio, idcircò non promiscuè quæ dicentur intelligenda, de quocunque morbo gallico sed de eo tantum, qui notabilem de se significationem præbere potest: unde neque si quis levi Gonorrhæâ laboraverit, aut ulcusculâ, quæ citò curari possent, in pudendis passus fuerit, aut de præsenti patiatur, aut levi bubone, ac de facili curabili afficiatur, dummodò scandalum absit, illico Irregularitati erit subijciendus. Maiolus qui profitetur se ante omnes alios, de morbo gallico in ordine ad Irregularitatem pertractasse, ut dicit *lib: 2. cap. 14. n. 1.* duas morbi gallici species constituit, & utramque quidem gravissimam; nam unam dicit ex sententia medicorum esse horribilem valde propter vlcera per corpus diffusa; & propter extrinsecam deformitatem adjectis acerbis doloribus; alteram vero habere majorem cruciatum internum cum articulorum inflatione, membrorum, ac neruorum attractione, decoloratione vultûs, & cutis sine ullo extrinseco ulcere, & utramque magnam similitudinem cum lepra habere asseverat. Medici aliter hanc rem enucleare satagunt, dicendo, Morbum gallicum duplicis speciei esse (sequendo ejusdem Maioli distinctionem) & unum potiùs per extrinseca signa, alium per intrinseca magis innotescere Sed multò magis ad rem nostram faciet si distinctiùs procedamus. Nam si morbum gallicum in species distinguere velimus, prout ad negotium medicum magis pertinere videtur, aliter esse distinguendum. Sed

dicamus nunc, quod respectu irregularitatis inducendæ per morbum gallicum, tripliciter veniat, dividendus nempe in illum, qui levis ac mitis est, solis parvis vlcusculis circa pudenda, vel brevi Gonorrhæa, aut levi bubone concomitatus, nullis alijs apparentibus symptomatibus, nisi forte aliquali capillorum defluvio, & hæc erit prima species. *Secunda* species gravior est, quæ contumaci Gonorrhæa, & ulceribus pudendorum malignioribus, & bubonibus insignioribus de hinc etiam fædis maculis ac pustulis in toto corpore, & aliquando etiam in capite, & facie est insignis. *Tertia* denique species, quæ gravissima est, apostematibus, & contumacibus, magnisque ulceribus, & artuum doloribus, noctu maxime affligentibus & abscessibus, ac carie ipsorum ossium & narium ulceribus cacoethicis, & totali depilatione etiam ciliorum, & superciliorum est notabilis.

Ex hac igitur divisione patet manifestè in prima huius morbi specie minimam militare irregularitatis causam, si scandalum excipias, majorem in secunda: in tertia verò causas & numero plures, & efficatiores, & graviores militare, cùm in ea concurrant omnia impedimenta, quæ morbis irregularitatem inducentibus provenire possunt, nempè morbi difficultatem, contagium, deformitatem, sanitatis summum impedimentum, & scandalum, ut iam dictum est.

DUBIUM II. *An morbus gallicus nullam exterius de se significationem præbens, irregularitatem inducat?* ℞ *negativè.* Ratio est, quia certum est irregularitatem in hoc morbo induci ex ijs, quæ oculis subijciuntur, hæc enim

scan.

ſcandalum pariunt, & deformitatem afferunt, undè videndum ex quibusnam ſignis homines morbo gallico affici cognoſcamus, & quæ maximè apparentia ſint, & ex quibus vulgus, vel ipſum vulgus facilè ſibi perſvadet morbum gallicum eſſe præſentem, ſunt quæ ſequuntur. Capillorum defluvium, maximè verò eorum, qui cilijs, ſupercilijs, & barbæ inhærent Quod ſignum certiſſimum gallici morbi dicitur ab Amato Luſit: *cent: 4. curat: medicin: num: 4. & 14.* & inter Iuriſconſultos *à ſperello ex ipſo Amato decıſ: for Eccleſiaſt: par: 2. dec: 14. num: 25 de hinc.* Cruſtulæ, puſtula, & ulcuſcula in cute capitis, in facie, in collo, & in reliquo corpore, ac cum his fædus faciei, color, vel ejus rubor inſignis, oculorum offuſcatio, palati, faucium, & narium excedentia ulcera, raucedo perpetua, oris colluvies, ipſius capitis & aliorum membrorum gummata, palpebræ inferiores lividæ, ut in non nullis feminis menſtrua patientibus, ſciſſuræ, & rhagades in volis manuum, & pedum plantis, & alia nonnulla his non abſimilia. Quibus accedunt dolores artuum noctu maximè recurrentes, & moleſtantes, & alia quæ extra non apparent, de quibus idcircò nihil addo.

DUBIUM 12. *An exteriùs apparentia in morbo gallico ex diverſo capite inducere debent irregularitatem?* ℞. *Negativè* non enim ex uno capite omnia irregularitatem inducere certum eſt, nam aliqua ob deformitatem, alia ob impedimentum liberi uſûs corporis, & alia aliter faciunt hominem irregularem; nam ſi capillorum defluvium conſideremus, id quidem ex magna deformitate hominem faciet irregularem

larem, & ex magno scandalo, cùm vulgus gravissimum, & fæditissimum illum morbum illico dijudicet, in quo tale defluvium capillorum apparet, & forma faciei mirum in modum depravetur, maximè si cum capillis capitis etiam pili ciliorum, superciliorum, & barbæ decidant; undè tanti facit hanc turpitudinem Majol: *loc: cit: num: 4.* ut tales quasi publicos & manifestos criminosos, & infames ab ordinibus sacris, ut reliquos infames repellat. At verò neque ullum sanitati hujusmodi depilatio affert incommodum nec in veritate magnum morbum indicat, cùm inter signa quæ morbū gallicū leviorē esse demonstrant, sit defluvium capillorum Julian: Palmar: *de Lue Vener: cap: 4.* & cum eo Semert: *lib: 6. Pract: part: 4. cap 5.* & alij Contra fissuræ, & rhagades in volis manuum neque ex deformitate, neque ex incommodo, sanitatis irregularitati debere causam dare videntur, sed tantùm quia cùm morbum gravissimum denotent, scandalum afferunt: est enim tale signum ex potioribus, & minus fallibilibus denotantibus gravem morbum gallicum, ut omnes Doctores affirmant.

DUBIUM 13. *Morbus gallicus si celari facile possit, an inducere debeat irregularitatem* R. *negativè*, & id videretur à Canonistis indubitanter determinandum, morbum gallicum nempè qui celari possit, non inducere irregularitatem, non obstante quòd incurabilis sit, & contagiosus, nam videntur hæ duæ causæ insufficientes ad inducendam irregularitatem per se: nam de incurabilitate nihil consideratione dignum occurrit, ubi non associetur

alijs

alijs causis efficacioribus, & de contagio idem dicendum quando non est de facili communicabile, ut in lepra. Cessante ergò in morbo gallico, qui celari facilè potest scandalo & impedimento liberi usûs corporis, videtur salva semper Canonistarum doctiorum determinatione, illum non inducere irregularitatem. Et in tantum crederem esse verum, ut etiam si quis ex malignis ulceribus gallicis, cicatrices insignes in corpore [quæ tamen occultari vestimentis facilè possent] contraxisset, aut etiam penem totum deperdidisset, vel aliud quod cunque, quantumvis patens, ac indebile signum in corpore conservaret, non existimarem ex hoc irregularem fieri sed id Doctiores & peritiores me, determinent Canonistæ.

DUBIUM 14. *An raucedo perpetua ex morbo gallico contracta inducat irregularitatem?* Ratio dubitandi est, nam inter alia signa gravis morbi gallici conspicua reposuimus raucedinem perpetuam & immedicabilem, quæ quidem tantò majorem dubitationem faciet, si cum ea conjungantur de præsenti, vel aliàs conjuncta fuerint, gutturis, faucium, aut narium, aliarumque partium contiguarum maligna ulcuscula exedentia. De hac igitur raucedine, non tam liberè fortè pronuntiandum, quòd non sit sufficiens causa irregularitatis, cùm ut dictum est, morbum gallicum gravissimum denotet, & significationem de se præbeat maximam, ex qua scandalum emergere magnum, non est dubium.

Quares. Scabies quando inducit irregularitatem? R. scabies multa & iugis, cum sit similis & affinis lepræ, quæ non sine suspicione luxu-

luriæ

riæ hominem invadere solet, quia ex eadem causa plerùmque, qua lepra scilicet ex atra bili originem ducit ut scribit Hier Gabuccin: *de comiti: morb: lib. 2. fol: 33* & difficulter excutitur; quia liberum usum manuum impedit, & sacramenti contractionem, irregularem constituit, ita ut nec promoueri, nec in susceptis ordinibus ministrare permittat. ex Maiol: *lib 2. de irregul: cap: 21. n. 4.* & Henriquez *lib: 44. c. 8. §. 8.* quorum opinio est vera, quando nimiam secum deformitatem afferret, àlias impedimentum esset temporaneum, non autem irregularitas.

DUB: 15. *An sanguinis sputum præbere debeat causam irregularitatis? R. cum distinctione.* Sanguinis sputum à multis partibus prouenire potest, à capite scilicet, à gingiuis, à palato, à faucibus, à stomacho, à pectore, & partibus spiritalibus. Ad rem nostram illud tantum videtur in consideratione habendum, quòd ex pectoris & partium spiritalium vitio prouenit, licet quandocunque sputum quod cum molesta tussi, & cum impetu ab ore reijcitur, in consideratione habendum, circa ea quæ dicemus: nam potest & ab hepate, & à liene, & ex retentione consuetæ euacuationis per Hemorroides, vel per uterum factæ prouenire, in quibus omnibus casibus semper malum protenditur juxta Hipp: *sent: lib: 4. Aph 25.* Sanguis qualiscunque, si sursum feratur malum. Tamen non ejus periculi est sanguis ex capite, gingiuis, & oris partibus proveniens, neque idcirco videretur esse sufficiens irregularitatis causa, contra quam dicendum sit de sputo sanguinis, quod à pectore, aut etiam aliunde ab inferioribus per os fiat, quia semper minetur ulcus pulmonis ex vasorum apertione &

Phtisim

phrisim; quamobrem cùm ob præsentem morbum & sanitatis incommodum, tùm ob imminens periculum & scandalum in administratione sacrorum, videtur hoc symptoma sufficiens causa Irregularitatis, dùm modo tamen non absit dispositio ad hos subsequentes morbos, sed ex tussi perenni, difficultate respirandi, constitutione pectoris, & aliundè ea dispositio manifestam de se cognitionem præbet.

DUB: 16. *Renum dolores quam causam præbeant irregularitatis?* ℞. *cum distinctione.* Ratio est, nam dolores renum acutissimi sunt, & intollerabiles; ex quorum vehementia homo omninò corporis usu privatur, cumque sint ex morbis facilè recurrentibus: dubitari potest an qui illis obnoxij sunt, promoueri debeant nec ne ad ordines? cumque ex dolore capitis, qui magnus sit, & summopere hominem angat, video Canonistas judicare hominem irregularem, videtur mihi non minùs culpam posse dolorem renum, adhuc effectum ubi & magnus sit, & sæpè recurrat; nisi dicamus Canonistas judicasse dolorem capitis inducere irregularitatem, quando non solùm est gravissimus, sed etiam continuus, & nunquam desinit. Maiol *lib: 2. cap; 23.* non verò quando interdùm hominem dimittit liberum, licet postmodum recurrat, quamobrem idem dicendum fortè erit de dolore renum, quando hominem liberum relinquit, licet sæpè recurrat. Sed certè non nisi multopere culpandi videntur similes acuti ac graves dolores, etiamsi hominem liberum relinquant, ut sæpè recurrant,

DUB: 17. *An profluvium urinæ causet irregularitatem? Aduerte* Renum passionem quandam dari, in qua potulenta incocta redduntur,

unde

unde urina copiosissime redditur, & dicitur urinæ profluvium seu *Diabetes* idest polonice uryny cieczęnie, rarus sane affectus, sed considera-tione dignus in hoc negotio, quippe cum afferat secum alia symptomata molestissima, ut febriculam consumptiuam sui inextinguibilem, corporis extenuationem, tandemque mortem. Tametsi ægrotantes per aliquod tempus lecto se non contineant, nisi ingrauescente morbo, sed certe ex eo in administratione sacrorum ob necessitatem reddendi urinam, aliquod scandalum & indecentia imminet; quamobrem ad Canonistas pertinebit determinare; an ab administratione & à promotione etiam, si non sint promoti, repelli debeant. Differt autem incontinentia urinæ à prædicto affectu, vel urinæ profluvio; *Diabete* dicto; in hac enim, hoc est in urinæ incontinentia, urina non multa redditur, sed redditur inuoluntarie, & contineri ad libitum non potest, ita ut ægri seipsos conjungant, in illo verò redditur urina copiosissima, sed cum consueto sensu, nec præter voluntatem urinæ incontinentia fieri solet in his, qui vesicæ calculo laborabant, sed ob urinæ acrimoniam, & fit cum sensu: imò cum tristi sensu; sed illa de qua loquimur, fit ob paralysim & resolutionem musculi sphincteris vesicæ urinariæ os claudentis, & ob eiusdem refrigerationem, ex qua deperditur sensus. Habet iste affectus dedecus multum, sed quod abscondi utcunque possit; appenditur enim vas tubum retortum habens, quod urinam excipit, in cujus os penis immittitur, & sic evitatur omnis turpitudo, quæ ex eo affectu emanare possit. Igitur utrum hæc turpitudo sit causa sufficiens irregularitatis, & utrum evitetur suf-

sicien-

ficienter ea turpitudo modo prædicto Canonistis determinandum relinquatur, majus multò incommodum habet urinæ incontinentia, quæ ex calculo vesicæ fit, ob dolorem enim & cruciatum in reddenda sæpe sæpius urina non facile potest vitium celari, ita neque facile evitari poterit irregularitas.

DUB: 18. *An tussis inducat irregularitatem?* R/. *Cum distinctione.* Si de levi tussi loquamur, hæc non inducit irregularitatem, de qua frustra verba facere instituamus; si de peculiari tussi sermonem instituere volumus, non facile videtur debere esse ab irregularitate immunis ob insigne impedimentum, & molestiam, quam affert, & periculum, quod minatur, & scandalum, quod excitari ex ejus vi inter ministrandum potest. Hæc tussis Thiriodes & ferina, & maligna dicitur, & est tussis molesta vehemens & frequens, quæ supprimi nequaquam potest, & minima quaque ex causa invalescit; nam & inter loquendum, & inter respirandum & inter bibendum promptissime excitatur, nec nisi difficulter quiescit ita ut homini nullum omninò tempus intermissionis concedat, quamobrem pessimos ac letales morbos excitat; proximius tamen ex ea imminet periculum rupturæ, venarum, pectoris, quæ ob violentiam, & indesinentem motum ipsius tussis disrumpuntur, & sanguinem effundunt, ex quo deinceps ulcus generatur: nam à sanguinis sputo puris sputum, à puris sputo tabes, & mors. Hippocra: *lib: 7 Aphorismi 15.* Ergò ex hac tussi fit, ut ægri aliquando ex improviso cum magno impetu sanguinem ab ore reijciant. Non unico igitur ex capite intrat in hoc casu irregularitas, sed ex multiplici nempe ex impedimento liberi usus

corpo-

corporis, ex imminente periculo majoris morbi, & imminente scandalo inter ministrandum.

DUB: 19 *An Syncope inducat irregularitatem, & quid de animi deliquio, & Lipothimia dicendum?* Quò ad primam partem, Aduerte; plures dari syncopis gradus, primus est, qui dicitur animi defectus, vel animi deliquium, secundus qui dicitur Lipothimia, vel Lipopsichia vel Aposichia Tertius qui dicitur proprie syncopis, qui est omnium gravissimus, minus gravis est Lipothimia, & adhuc minus animi deliquium. Vnde circa hunc affectum animaduertendum, quod syncopis omninò distat à vertigine, ab Apoplexia, & Epilepsia, & sunt tam differentes, ut sunt affectus diuersarum partium, & à diuersis causis prodeuntes, ita ut nullum symbolum habeant contra id quod ex Gabucino dicit Maiol: *lib. 2. de irreg cap: 16. num: 12 Versu ad Comitiales.* nam vertigo, Apoplexia, & Epilepsia sunt passiones cerebri, Syncopis est passio cordis; illi affectus ad partem animalem, hic ad vitalem spectant: unde differunt etiam in duratione, nam Syncopis de rarò reuertitur, & si reuertatur, hominem è medio tollit; affectus autem illi, præcipue verò vertigo, & Epilepsia facile aliquandò reuertuntur; & cum illis homo ad plures annos perdurare potest. Verum quidem est quosdam medicos, interquos est Mercatus, putasse Lypothymiam, quam secundum gradum Syncopis, fecimus esse affectum cerebri, & hoc pacto maxime cum vertigine & Apoplexia conuenire, sed recte hæc sententia convellitur ab alijs, & præcipue à Daniel Sennert *lib. 2. tract: pact: 4. cap. 6.* Recte tamen à Canonistis videtur decisum, quod patiens Syncopem, dum modo recurrat, &

& hominem frequenter, ac leviori ex causa adoriatur, irregularis sit, periculum enim est, ne tales inter ipsam sacrorum administrationem deficiant juxta Hyppocr: sententiam *lib: 2. Aphorism. 41.* Qui frequenter ac fortiter absque manifesta causa animo linquuntur, de repente moriuntur in qua sententia Hyppocrates de vera syncopi loqui videtur, cum illo verbo utatur, *fortiter*. Quid autem dicendum de animi deliquio, & Lipothymia, quæ erat secunda pars quæsiti? Paulus Zachias Romanus, totius status Ecclesiastici Protomedicus Generalis si turò Canonistæ de his determinare cupiunt, distinguit: nam animi deliquium si fuerit simplex, putat non tanti faciendum, ut ex ejus causa homo evadere debeat irregularis, quia facile discutitur, & hominem extra se non rapit, nec cadere cogit; sed modica frictione faciei, aut levi quocunque auxilio, cessat: non sic autem Lipothymia, quæ hominem parumper sensu & motu privat, concidere cogit, nisi ab alijs sustentetur, nec facile cessat, & quod magis considerabile est, si perseveret in veram syncopem convertitur.

DUB: 20. *An Phtisis morbus, faciat hominem irregularem?* Antequam respondeam; Aduerte Phtisis est ulcus pulmonis, ad quod consequitur hectica febris, habitualis morbus est cum jam est confirmatus, qui curationem non admittit, nec tamen facile curatur, etiamsi confirmatus non sit, & habet præterea conjunctum secum contagium, & quandoque tanta pravitate ac malignitate comitatur, ut halitu inficere possit. Sed nota non tantam energiam eius contagium habere, quantam sibi suadet Maiol *lib: 2. cap.* [illegible] quia non à quocunque subjecto in quod-

cunque

cunque, & quandocunque communicatur; qui enim ætate jam provecti sunt non tam facile inficiuntur, ut ille credit, immò neque alij quicunque, nisi habeant quandam à natura propensionem ad prædictum contagium contrahendum, quod non simplici halitu semel, atque iterum percepto contrahunt, sed longa ac multa reiteratione ac conuersatione cum persona infecta, ut de alijs quibuscunque contagijs ut plurimum usu venit. Sed quomodocunque res sese habeat. R. ad quæsitum *affirmatiue*. Ratio est, nam Phtisis vera etiam non confirmata, non unam habet causam sufficientem, ad inducendam irregularitatem, & ad faciendum consequenter hominem irregularem. Asthma molestissimus affectus est, ex quo animal libere respirare non potest, & est triplicis generis, unum quodque habet suum peculiare nomen, & illud certum est, quod cujuscunque generis sit hominem libero corporis usu privare solet, & quia morbus hic est ex facile recurrentibus, cum minima quandoque ex causa reuertatur, idcirco determinandum, an omnes ejus species, vel aliquæ tantùm, & quæ inducant irregularitatem: nam certum, est, omnes non esse pariter sufficientes ad eam inducendam, sed unam esse aliâ potiorem causam Itaque simplex anhelandi difficultas, seu gravis anhelitus, vel anhelatio in qua densus creberque fit spiritus appellatur Dyspnæa; si verò adhuc magis dēsa ac crebrior respiratio fiat, qualis eorū qui violento cursu de proximo sunt defatigati, nominatur *Asthma*, si vero tantopere respirandi difficultas crescat, ut homo non nisi recta cervice respirare possit, vocatur *Orthopnæa*: non est igitur dubium, quod in Dyspnæa, seu simplici anhelatione, &

næ, & difficultate respirandi minor militat Irregularitatis causa, si quæ militat, quàm in Asthmate, & minor etiam in Asthmate, quàm in Orthopnæa; unde ob id Dyspnæâ laborantes, non omninò forte erant repellēdi à promotione ad sacra, & ab eorum administratione, nisi forte in ipso paroxismo, ex quo tamen non majus imminet periculum, ex cujus violentia desistere cogantur ab ulteriori administratione; quod tamen in Asthmate & multò magis in Orthopnæâ timendum, in quibus aliquando tantá vrget respirandi necessitas, ut homines præ angustia animam agere videantur, & nisi succurratur, in syncopen quandoque, & in mortem ipsam impingant.

De his igitur si paroxismos frequentes habeant, & maxime si certis, ac determinatis temporibus recurrant, videndum, an repellendi omninò sint à promotione, nisi promoti fuerint, & si promoti sint, an prohibendi ab administratione sacrorum, ob rationabilem timorem incurrendi periculum supra commemoratum.

DUBIUM 21 *An Vomitus, & quibus in casibus faciant hominem irregularem?* ℞. *cum distinctione.* Vomitus quid sit, norunt omnes, sed diuersæ speciei est, respectu causarum eum excitantium & respectu materiarum quæ evomuntur. Canonistæ ut plurimum de eo loquuntur; qui fieri solet ex intemperie & languore ipsius ventriculi, sed non hic tantùm dare debet irregularitati causam, dum qui ex languore procedit irregularem facit, sed ille etiam, qui fie et ab aliquo humore calido, & acri, vel etiam altesius naturæ stomachum irritante, ac cogente ad ejus expulsionem, ac profectò quomodocunque

succedat, ut homo sæpe, ac levi quaque ex causâ, & indifferenter quocunque tempore etiam ieiuno stomacho vomitu proritetur, habebit urgentissimam irregularitatis causam: nam aliàs si quis non nisi ab assumpto cibo vomeret, vel certo tempore ut v. g. noctu non interdiu, vel stomacho pleno, non autem jejuno, certe non nisi injuria ab administratione, vel à promotione sacrorum repelleretur. Et quia diximus vomitum variari secundùm varietatem materiæ ejectæ, dicendum nunc cum distinctione, quod cuiuscunque materiæ vomitus fiat, nempe sanguinis, pituitæ, bilis, aut melancholiæ, serositatis vel puris, vel mixtæ & ætherogeneæ cujusque materiæ, dum modo frequens sit, & indifferenter qualicunque hora molestare consueverit irregularitatem inducet, sed maximè ille, qui iejuno stomacho fit, & minima ex causa, ac præcipue ex assumptione materiæ potulentæ, & ratio patet. Ita Canonistæ & Medici.

DUBIUM 22. *An podagra & chiragra faciunt hominem irregularem, & alij dolores articulares?* ℞. *affirmativè.* Ita Canonistæ, qui ex podagræ culpa dicunt hominem fieri irregularem. Maiol *lib. 2. cap:* 1. *num:* 1. quia impedit munera corporalia. Rota *in Bononiem: pecuniaria* 1650. *coram Othobono num:* 18. Idem habere locum in quocunque alio articulari dolore, dummodo ad eam acerbitatem deveniat ut notabili angustia ægrotantes præmat: tum quia in omnibus doloribus articularibus concurrunt multæ conditiones, quarum causâ irregularitas inducitur, nam & turpitudo intervenit ob tumores, ac distortiones, membrorum, ac impedimentum in libero corporis usu, & curationis difficultas, ne

dicam

dicam impossibilitas ut prosequitur Maiol *loc: cit*, Tum quia ut plurimum parit scandalum hujusmodi morbus quia hominem denotat maxime intemperantem, ita addit Paulus Zachias Romanus *in quæst: medico legal: lib: 8. quæst: 10. n. 3* Et licet verum sit illud quod Maiolus notat, nempe quod hoc non semper sit verum, quia hic morbus est hæreditarius, tamen hoc non tollit, quin uniuersalis hominum conceptus hoc sibi persuadeat, unde non ob hoc quod sit morbus hæreditarius, cessat idcirco scandalum. ℞. 2. cum Sayro *lib: 6. cap: 9. n. 4.* Canonista. Podagrâ vel Chiragrâ laborantes, quæ manuum aut pedum usum ita impediunt, ut nec sacramentum tractare, nec ad altare stare valeant, durantibus morbis istis, jure naturali impediti sunt, ad ordines sumendos vel exercendos, cessantibus autem his morbis cum nullum sit impedimentum nulla est irregularitas Sed quando cessabunt? cum de Podagra dicatur

Soluere nodosam nescit medicina podagram.

DUBIUM 23. *An tacti apoplexia vel paralisi sint inhabiles, ad suscipiendos Ordines?* ℞. Cum enim hujusmodi patiantur stupefactionem totius corporis, & privationem sensûs, & motûs talium membrorum, ubi adest talis morbus existimandi sunt etiam tanquam irregulares, eò quòd mediante tali morbo, inhabiles sunt ad sacrificium Missæ reuerenter celebrandum, prout colligitu ex Cap: vlt: de Clerico ægrotante: ita Suarez *disp: 51. sect: 2. num: 17.* Majolus *de irregular: cap: 18. & 19.* D. Thom: 3. *p. quæst: 28. art: ult:*

DUBIUM 24. *Quid dicendum de alijs membris pertinentibus ad sensum tactûs?* ℞. Quod ille qui utraque manu vel altera careat

in quibus potissime viget sensus tactûs, vel habeat manus omninò tremulentas, ita ut nullo modo Hostiam contrectare, vel tenere possit sine periculo labendi è manibus vel effundendi vinum Calicis in actu eleuationis; vel si aliquibus digitis manus careat illis præcipuè quibus species consecratæ sunt contrectandæ irregularis est, quo ad Missæ celebrationem. Undè qui caret digito pollicis vel indicis est irregularis Secus dicendum, si solùm careat parte digiti pollicis, vel indicis ob quam non impediretur celebratio. Zerola in praxi Episcopali *p. 1. Ver. irregularitas* Pollia *supr: num: 64.* Non tamen est irregularis, qui alio digito præter pollicem vel indicem caret, nisi aliàs afferet, deformitatem Bonac: *quæst: 2. de rirregularitate p. 2 num: 32.* Esset tamen irregularis, qui caret digitis dextræ quibus in Missa fit crucis signum Bonac: *ibidem num: 32.* Non tamen erit irregularis si duos digitos medios habeat conjunctos Sylvestr: *Verb: corp: Vitiati quæst: 3 num. 4.* Nec qui habet digitos in una, vel utraque manu, Bonac: *supr: num: 11.* Nec etiam ille cui deest ungula pollicis vel indicis. Henriquez *lib: 14. cap. 8. num: 1.* Est tamen irregularis qui habet manum aridam; Secùs si aliquos digitos stupidos habeat, ita ut non impediant elevationem & fractionem hostiæ. Liamas *prima parte Method: cap: 12. § 5. pag: 185.* Nec est irregularis qui habet sex digitos in manu, quoties digitus ille superfluus non impediat usum aliorum digitorum, si verò impediat esset irregularis, ut accedit quando index & pollex sub una communi ungue existunt, quia

tunc magna esset difficultas in Hostia conrrectanda, quando autem careret aliquo digito manûs remittitur ad Episcopi judicium, si talis defectus impedit actum celebrandi, vel propter impotentiam, vel propter deformitatem: Ita Henriquez *lib: 15. cap: 8. num: 3.* Sayr *lib: 6, cap: 8. num: 2* Ugolin: *de irregul: cap 48. § 1.* Bonac: *disp. 7. quaest. 2. p. 2. num: 11.*

DUBIUM 25. *An claudus sit inhabilis ad Ordines?* ℟. Claudum qui sine baculo ambulare non potest, esse irregularem. Et idem dicendum de eo, qui pede caret, ita ut non possit sine pede ligneo ambulare. Secùs si solum haberet crura distorta. Pelliz *tract. 7. cap. 5. num. 64.* Si verò stare posset per se & accedere ad altare, claudus licet difficulter pro actu celebrandi remittitur judicio Episcopi, qui consideratis circumstantijs, quandoque dispensare poterit. Jta Gesualdus de Bonon: Capuc: *Theol. Moral tract. 21. cap. 11. num. 36.* De Gibbosis quid dicendum? Si gibbositas sit nimis deformis ita ut gibbosus, nequeat se erigere, & recto capite stare tales sunt irregulares: secùs si possit recto capite stare. Bonac: *quaest 2. de irregular: p 2 num. 9.* Non est tamen irregularis qui absque sua culpa, perdidit omnes digitos pedum. Avila *p. 7. disp. 3. dub. 1.* Nec qui caret testiculis, sive quia in cunabulis sectus est, vel ob aliquam infirmitatem. Henriquez *lib. 14 cap. 8 num. 1.* Bonac: *quaest. 2. de irregul: p. 3. num. 31.* Quod verum est, etiamsi quis ob conservationem vocis sibi permiserit testiculos amputari, vel ipse seipsum castraverit. Palaus

diſp. 6. p. 2. num. 4. Pellizzar: *tract. 7. cap. 5. num. 64.* contra alios, quos ibi refert. Nec eſt neceſſe ut hi caſtrati ſecum teſticulos vel cineres eorum ſecum deferant, ut vulgus exiſtimat. Bonacina *quæſt. 2. p. 2. num. 31.* & alij communiter.

DUBIUM 26. *An ille qui ſibi amputavit ſuâ culpâ aliquod membrum quodcunque illud fuerit, etiam ſi fuerit occultum, & quod non impediat executionem Ordinum, ſit irregularis?* R. *affirmativè.* Ita habetur *in C. Maritum diſt. 33.* & cum Palao & alijs Pellizz. *tract. 7. cap. 5. num. 64.* Contra Henriquez, Navarum, Valentiam, & alios, quos ibi refert Pellizz: qui exiſtimant hanc irrugularitatem, non incurri ſi abſciſſio membri, & culpa ipſa notoria non fuerit, ſed ſententia noſtra probabilior eſt. Et idem dicendum eſt de eo, qui partem membri amputavit. Hæc autem abſciſſio debet fieri ab ipſo, vel permittente ipſo *ex cap. ſi quis abſciderit,* & ex c. *Qui ſe diſt: 55.* ex cap. *Significaſti de corpor. & vitiat:* Vndè irregularis non eſt Clericus, cui invento turpiter cum uxore amputavit virilia, bene tamen, qui ſibi ob ſervandam caſtitatem teſticulos amputavit. Bonac: *quæſt. 2. p. 2. num. 34.* Filliuc: *tract. 19. cap. 6. quæſt. 1. num. 160.* Non eſt tamen irregularis qui ob ægritudinem ſibimet virilia abſcindit, ſi alias non eſſet alius qui hoc ſibi æquè benè poſſet efficere: Vivald: *num: 170.* Nec qui cum ſex digitos in una manu habeat unum ſuperfluum abſcindit. Bonac: *quæſt: 2. p. 1. num: 11.* Nec qui ex iracundia dentes ſibi evulſit. Malletus *Malleatione 13. bractea 13.* in caſu tamen

men quo quis sibi membrum amputavit, & peccatum sit occultum, & si abscissio publica est, potest cum eo Episcopus in irregularitate dispensare per *caput Liceat* in Trident: dùm modo membrum non sit ex illis, quorum defectus Papæ reservatur. Ita cum Angelo Sylvestro, Avila, Henriquez & alijs, Palaus *disp: 6. part: 12. num: 6.*

DUBIUM 27. *An morbo lepra laborantes sint irregulares?* R. *cum distinctione* nam si levi leprâ laborent non fiunt irregulares, si gravi quæ horrorem, turpitudinem, incurabilitatem, contagium, & impedimentum liberi usûs corporis causet, quæ nominatur à medicis lepra confirmata & incurabilis, sine dubio tunc sunt irregulares Et nec ut inter ipsos leprosos celebrent, assumi possunt tales ad Ordines, poterunt tamen inter similes celebrare in casu quo superveniat talis infirmitas jam ordinatis Ita Bauni: *de censuris tract: 11: quæst: 57.* Villalobos *tract: 11. disp: 33. num. 9.* Ita & Canonistæ à quibus leprosi ab ordinum susceptione & executione arcentur, cap. de *Rectoribus* & cap: *Tua nos*, Ext: De Clerico ægrotante vel debilitato.

DUBIUM 28. *An morbo Epileptico vel Caduco laborantes fiant irregulares?* R. cum distinctione, si frequenter terræ alidantur à sacris Ordinibus arcendi sunt, in hoc sensu partem affirmativam tene; si verò hæc infirmitas accidat sacerdoti, prohibendus est à celebratione Missæ nec sacrum ministerium obire permittendus est, nisi annus integer ab ultimo epileptici morbi symptomate effluxerit, ut habetur Canone *Communiter dist: 33.*

&

& Canon: *In tuis causa 7. quæst:* 2. ex Alexandr. II. Rescripto ad Vivarensem Episcopum. Si autem alicui lis intentata fuerit de Epileptico casu, negetque se huic morbo esse obnoxium, diligenter inquirendum est. *Si aliquando, vel in domo, vel in processione, vel in alio quocunque loco probatur repente collapsus voces que dedisse confusas, & spumas ore iactasse.* Re autem dubiâ manente, triginta dierum spatio explorandus est Clericus, qui eo morbo affectus dicebatur; quo temporis elapso intervallo, permittendi sunt ipsi ordinum functiones, ipsaque Missæ celebratio, si eo morbo affectum fuisse minimè probetur. Sic respondet Gelasius Papa Can: *Nuper* Causa VII. *Quæst:* 1. Ex his.

Collige ex D. Thoma in 4. sentent: dist: 25: artic: 2. Quæstiuncula III. De his impedimentis- Respondet. Aliquis efficitur ineptus ad susceptionem Ordinis, vel propter impedimentum actus. Vel propter impedimentum claritatis personæ. Et ideo patientes defectum in membris impediuntur à susceptione Ordinis si sit talis defectus qui maculam notabilem inferat, per quem obscuretur personæ claritas (ut abscissio nasi) vel periculum in executione facere possit alias non impediuntur. Hæc autem integritas exigitur de necessitate præcepti, non de necessitate sacramenti Hæc D. Thomas.

Quæres. Qui nam possit in irregularitate ex defectu corporis dispensare? ℟. quod in, casibus in quibus ob vitium corporis irregularitas contracta est, solus Papa dispensare potest, Ita cum Navar, Suario, Sayro, Avila & alijs communiter Palaus *disp.* 6. *p.* 11 *n:* 6.

Ex

Ex privilegijs tamen Prælati Regulares possunt cum suis subditis in hac irregularitate ex defectu corporis dispensare, sive ut ad ordines promoveantur, sive ut in susceptis ministrent. Ita cum Laymano Palaus ibidem *num* 6 Pellizz *tom* 7. *cap*. 5. *num*. 68. Debent tamen hujusmodi defectus non esse nimis scandalosi, ut si absit pollex, vel sit caducus; nam in his nec etiam Pontifex solet dispensare Ita cum Layman notavit Lezana. 5. *part. in mari magno Minorum num*: 144. Candidus *tom* 2. *disquisit*: 24. *artic*. 61. *dub* 7. Possunt tamen Prælati Regulares dispensare cum subdito, qui carens pede ambulat cum pede ligneo ut celebret Ita cum Roderico, Villalobos, Diana, *p*. 4. *tract*: 2. *resol*: 73. Et cum subdito carente oculo sinistro. Ita Diana ibidem Peijrinis *tom*. 1. *Privilegiorum constitutione* 2. *dubij* 11. §. 29. *num* 118. Possunt etiam dispensare cum subdito habente manus tremulas ut celebret, saltem in occulto. Non possunt tamen totaliter cum cæco dispensare, ut celebret, nam hoc solum Pontifici summo reservatur. Ita cum alijs Avilla *part*. 7. *disp*. 3. *dub*. 3. *Conclus* 1. Potest etiam Pontifex dispensare si justa detur causa, ut sacerdos qui una vel ambabus manibus caret posset celebrare, per manum enim alterius posset elevare, & sumere, frangere. Henriquez *lib*. 14. *cap*. 8. *num*. 4.

§. III.

§ III.

De inhabilitate ad Ordines causâ moris. De Homicidio voluntario.

DUBIUM 1. *An homicidium voluntarium injustum directè inducat irregularitatem* R. *affirmativè*. Ita definitur *in cap. 1. de homicid:* & in Trident: *sess: 14. cap. 7. de reform:* Et idem dicendum est de mutilatione voluntaria directè, ut autem homicidium dicatur voluntarium directè, ita ut irregularitas ex eo proveniens, Papæ sit reservata, requiritur ut fiat ex proposito inito consilio, & per insidias, & de industria. Ita colligitur ex loco Trident: supra cit: In hoc enim distinguit Concil: Trident homicidium voluntarium à casuali, quòd voluntarium fit ex proposito, & industria, & per insidias, casuale verò non ex proposito, sed casu. Ita Turrianus, Vasquez, Barbosa & alij [a] Hinc fit quod si quis in rixa inquinata subito occidat aliquem, non est reus homicidij, voluntarij, sed tantùm casualis etiamsi ei constet expressam voluntatem occidendi habuisse, quia tale homicidium non fuit commissum per insidias, & de industria inito consilio, quod requiritur ad homicidium simpliciter voluntarium.

a. Turrianus *lib: 9. de censur: disp: 63. dub. 1.* Barboza *de potest Episc: p. 2. alleg: 39. num: 47 resol. 72.*

DUBIUM 2 *An mandans expressè homicidium, reus sit homicidij voluntarij?* R. *affirmativè*. Verè enim positivè influit in illud.

Ita

Jta communiter Doctores. *Dixi* mandans expressè, nam qui expressè non mandat, sed non contradicit aut impedit, cum possit volentes occidere, vel dedit causam rixæ, & postea ejus famuli, amici, vel consanguinei occiderunt aliquem in vindictam; si aliàs dans causam rixæ aliquod verbum non dixit, vel actionem fecit, cum qua influeret in occasionem, non incurrit irregularitatem. Jta cum Glossa, Covar, Vasquio, & alijs. Turrianus *lib 9 disp* 63 *dub: 3.* Secùs dicendum est, si quis aliquo modo coöperatus sit homicidio, ut si occisum impedivit nè se defenderet, vel eum percussit, vel occisorem defendit, illique animum præbuit saltem suâ præsentiâ, si sola præsentiâ animum occisoris auxit, ut semper præsumendum est. Secùs si præsentiâ non auxisset animum occisoris, ut occisor potentior armis, & viribus esset occiso, vel si quis tantùm partem vel amicum associavit ea tantùm intentione nè periclitaretur. Jta cum Henriquez, Avilla, Navar, Palaus: *disp 6. p 15. § 2. num. 6.* Esset etiam irregularis, si occisorem verbis instigaret dicens: v g. famulis vel filijs, domum nè redeatis, donec novi aliquid de vobis audiam, si aliàs illis verbis auditis filius vel famulus Petrum occidat. Henriquez *lib. 14. cap. 14. §. 2. &c.* Reinald: & alij communiter

DUB: 3. *Mandans percutere aliquem, si expresse dixit mandatario, ne illum occideret, si mandatarius occidit an mandans incurrit irregularitatem?* ℟. *negativè* Ratio; quia sic mandans, non est reus homicidij, nisi forte mandaret percutere letaliter; Ergò non est cur ei mors imputetur

putetur si tamen mandaret percutere letaliter; reus esset homicidij casualis; non tamen simpliciter voluntarij; siquidem mors non fuit directe intenta, & ex proposito. Ita Suariuz *disp: 45. sect: 4. n. 10.* Bonac. *disp: 7. q. 4. p. 8 n. 18. & alij.*

DUBIUM 4. *Si quis mandet alicui homicidium, si aliàs ille cui homicidium fieri mandatur, jam erat determinatus ad occidendum; an mandans, incurrit irregularitatem?* R. *negativè.* Nam cùm jam mandatarius esset determinatus ad occidendum, nihil mandatum in homicidium influit. Excipe, nisi mandatum fuisset causa homicidium accelerandi; & citiùs faciendi, quàm ab occisore determinatum erat, nam tunc etiam mandans, cùm sit causa propinqua accelerationis irregularitatem incurret. Ita cum alijs Sayrus *lib. 7. cap. 2. n. 11.*

DUBIUM 5. *Mandans occidere aliquem, si ante patratum delictum reuocet mandatum, & revocationem intimet mandatario, an incurrat irregularitatem, eò vel maximè si postea mandatarius, homicidium exequatur?* R. *negativè.* Ita communiter DD. Nam cùm mandatum reuocaverit, & reuocationem intimaverit, mandatum non potest esse causa homicidij. Non est tamen necesse, ut mandans moneat occidendum, ut caveat ut aliqui somniarunt, sed sufficit, quod revocet mandatum, & intimet revocationem mandatario. Ita Diana *p. 4. tract. 11. resolut: 14.* Sed quid si revocationem non potest intimare mandatario? R. Quod si fecit quantum potuit, ut revocatio intimaretur mandatario, & non potuit intimare, liber manet ab irregularitate. Ita Innocent: *in cap: Mulieres de sentent: Excommunicati.*

nic. Ratio est nostræ resolutionis, quia positâ reuocatione mandati tollitur contumatia, & dicta impossibilitate intimandi reuocationem mandati mandatario, tollitur obligatio intimandi: nemo enim ad impossibile obligatur, unde actio homicidij vel mutilationis respectu revocantis, materialis est. Hinc.

Quò ad praxim habes. Quòd si reuocationem mandati per nuntium misit mandatario, eò quòd absens esset, & ad illum accedere non poterat, si nuntius revocationem non intimavit, mandans non incurrit irregularitatem; quia jam fecit quantùm potuit, ut revocationem intimaret. Ita à fortiori Doctores nostræ sententiæ contra Lugonem. *de instit: tom: 1. disp: 19. n 25 & 26.* Idem dicendum est, si mandatarius revocationem mandati accipiens, illius oblitus hominem occidat; nam cum mandatum jam expiraverit, non potest in mortem influere. Ita Leander contra Lugonem loco supra cit: Et idem dicendum est, si mandans solùm mandavit occidere equum Petri, & mandatarius putans illum mandare, occidere Petrum, illum occidit; nam cum mandatum de occissione Petri non præcesserit, non potuit influere in illam. Ita Lugo *tom: 1. de iustitia disp: 19 sect: 1. n. 25. & 26.* Idem dicendum est si mandatarius, videns mandantem, pacem post mandatum, jam inijsse, cùm occidendo adhuc illum occidit; quia tunc mandatarius cognoscere debebat, mandatum tacite esse reuocatum. Ita cum communi Palaus *disp: 6. p. 15 §. 2. n 2.* Et idem dicendum, si mandatarius non statim, sed post duos vel tres annos homicidium commisit, nam ob temporis diuturnitatem expiravit mandatum. Unde mandatarius

rius videns, quòd in tanto tempore mandans, non procuravit executionem mandati, cognoscere poterat revocasse mandatum. Ita Henriquez. *lib: 14. cap: 16. num: 7.*

DUBIUM 6. *Mandans aliquem occidere, vel mutilare si forte mandatarius volens exequi mandatum occidatur, an mandans contrahat aliquam irregularitatem saltem ex homicidio casuali?* R. *negativè Ratio est.* Quia in jure non datur irregularitas imposita, nisi mandanti seu consulenti se vel alium occidere, sed mandans mandatario non mandavit se, sed alium occidere. Ergò licet illi mandaverit vel consuluerit, quod in evidenti mortis periculo poneretur, non ob id incurrit illam irregularitatem. Ita cum Vasquez Turrianus. *lib: 9. de Censuris disp: 63. dub: 4.* & alij plures. R. 2. & bene ex Verano Felice *disp: 5. quaest: de spectebus irregularitatis sect: 1. n. 12.* Quod si mandatarius occideretur ab alio quem intenderet interficere, tunc mandans etiam fieret irregularis, licet non irregularitate homicidij voluntarij, sed casualis, vel etiam voluntarij indirectè, argum: cap: *fin: de homicidio invol unt:* ratio est, quia tametsi mandans non intendat tunc mortem mandatarij, neque ad eam directè operetur, indirectè tamen influit, quatenus dando operam rei illicitae, debuerat cogitare, potuisse mandatarium ab alio occidi, praesertim cùm licitum sit, vim vi repellere, & ab injusto aggressore se defendere, etiam eum occidendo, quando non potest quis alio modo mortem evadere. Hinc, quando plures consilio communi aliquem aggrediantur in ordine, ad occidendum illum, omnes incurrunt hanc irregularitatem, tametsi unus tantùm occidat, & ratio

est,

est, quia omnes præbent auxilium, & moraliter influunt ad occisionem, vel sese animando, vel impediendo ne alter se defendere possit.

Quid si quis homicidium suo nomine factum, ratum habeat, an ex hoc capite irregularitatem incurrat? ℞. *negativè* Ita Dicastillus. *de justitia lib: 2. tract: 1. disp: 10. n. 191,* Pelliz *tract: 7. cap: 5. n. 277.* & alij communiter. Ratio est, quia ratihabitio, non influit in homicidium. Nec obstat, quòd qui approbat percussionem Clericorum incurrat excommunicationem: & qui violentiam in Cardinales factam approbat alijs pænis puniatur, ut habetur C *Cum quis de sent: excommunicat.* ℞. Namque hoc ideò esse, quia sic in illo textu deciditur, unde cùm casus noster nullibi sit decisus in jure, contrarium dicendum. Nec obstat quod ratihabitio mandato comparatur *reg: 10. de regulis juris in 6.* Nam hoc solùm intelligitur quò ad culpam; siquidem potest quis graviter peccare complacendo in homicidio facto, æque ac illud fecisset, non tamen quò ad irregularitatem, nam hæc tantùm incurritur ab eo, qui aliquo modo fuit causa homicidij. Hinc fit multò minus, incurrere irregularitatem, qui homicidium, suo nomine factum approbavit Ita Dicastel: & alij communiter apud Antonium à Spiritu Sancto Carmel: Episc: Angel.

An autem si quis ratum habeat homicidium, quod coram illo & suo nomine fit, incurrat irregularitatem? Majus est dubium. ℞. *affirmativè,* Eò vel maxime si signo aliquo externo manifestet sibi placere, quod tale homicidium fiat, nam tunc ad illud concurrit præbendo animum interfectori, at si solo actu interno homicidium approbat, non incurrit irregularitatem, quia ni-

hil influit in homicidium. Ita Diana *p 4. tract 2. resol: 9.* contra Suarium & Corneium *disp: 1. de irregul: dub 2. q 3 dicto: 3.* & aliòs. Ex his ob majorem declarationem horum, quò ad praxim.

Colligere juvat ex Verano Felice, *disp: 59 sect: 1. de spec: irregul: n. 18.* homicidium in quod aliquis consentit, posse esse duplex. Unum quod nullo pacto fiat in gratiam consentientis, alterum quod fiet in ejus gratiam, vel quia accidens putet præstare illi aliquod gratum, & hoc secundum homicidium, vel fit in præsentia consentientis, vel jn ejus absentia, & iste tantùm consentit homicidio jam facto, Certùm est eum qui consentit homicidio, coram se & gratiâ sui perpetrato esse verum homicidam voluntarium, ac contrahere hanc speciem irregularitatis, siquidem iste non solùm consentit per actum internum voluntatis, verùm etiam quodam modo moraliter operatur exterius ad homicidium, augendo voluntatem ipsius occidentis, ratione enim hujus incrementi causæ influit in ipsum homicidiũ Quod si homicidiũ non fiat gratiâ consentientis, nullam tunc iste incurrit irregularitatem, eò quia tunc talis consensus est tantùm homicidiũ mentale, nil exteriùs cooperans ad ipsum homicidiũ, re ipsâ vere secutũ. Sin autem aliquis consentiret homicidio ab alio facto suo nomine quod ipsemet, nec præcepisset nec consuluisset, tunc nec censeretur incurrere irregularitatem, quamvis per signa externa ratum haberet tale homicidium patratum; ita communiter cum Cauarrecu. *in Clem: si furiosus de homicidio cap: 7. § 1. num: 4* Ratio est illa generalis, quia irregularitas non incurritur nisi in casibus in jure

expres-

expressis, ut colligitur ex cap: *Is qui de sent: Excommunic: in 6* atqui ex nullo jure constat, per talem ratihabitionem incurri talem irregularitatem. *Si dicas*, ratihabitionem comprehendi sub mandato; hoc negatur, quia ratihabitio homicidij commissi non recipit tale homicidium, ut effectum ab illo causatum, sed præcisè ut objectum, in quo quis sibi complacet, consequenter non potest æquiparari mandato, cùm hoc sit causa moralis homicidij Tum, quia consentiens in homicidium jam factum non est causa homicidij, quando actu fit, siquidem fit ipso inscio. Neque est causa ejusdem postea quando ratum illud habet; quia ratihabitio est posterior, & supponit homicidium jam factum, consequenter non potest esse causa illius Tum quia si ratum habens homicidium suo nomine factum, esset iterum homicida, sequeretur quòd qui proprijs manibus commisit unum homicidium, quod postea ratum habet, incurreret novam irregularitatem, quia iterum occideret; etenim potiori ratione debet irregularitatem incurrere, qui habet ratum homicidium, proprijs manibus perpetratum, quàm ab alijs: hoc autem à nullo conceditur.

Si dicas cum Navarro in manuali, *cap. 27 num. 233* & alijs. ratihabitionem retrotrahi & comparari mandato; ex regula ratihabitio *de Reg. juris in 6.* Siquidem est ratihabitio comprobatio facti nomine nostro gesti *ex regul ratum de regul: juris in 6* proinde si mandans homicidium est irregularis, sequitur ratum habentem idem homicidium jam patratum incurrere irregularitatem: idque ex eo confirmari etiam potest, quia si quis ratam

tam habeat percussionem Clerici suo nomine factam incurrit excommunicationem perinde ac is, qui percutit, ut colligitur ex cap. cum quis *de sent: excommunicat in 6*. Ergo etiam sit irregularis ratum habens homicidium suo nomine factum. Quantùm ad illam regulam ut communiter docent, hæc deficit in duobus casibus. *Primò* quando ratum habens factum suo nomine, non poterat illud mandare, ut si tunc erat infans, vel amens, si enim acquisito postea usu rationis ratum habeat tale factum, tunc ratihabitio non comparatur mandato. *Secundò* quando requiritur speciale mandatum, vel est necessaria specialis expressio juris, tunc enim licet ex mandato irregularitas incurratur, non tamen ex ratihabitione, est enim discrimen, quia tunc mandans exprimitur in jure, non ita ratum habens. Quamobrem in præsenti ratihabitio comparatur tantùm & præcisè mandato quantùm ad culpam in foro DEI, perindè ac in eodem foro desiderium comparatur æquiparatur operi; non verò quantùm ad pænam irregularitatis, quia hæc non fuit in jure expressa. Hinc ad confirmationem negatur consequentia, quia illa excommunicatio contra percutientem Clericum, ut etiam illa ratihabitio ejusdem percussionis, à se factæ exprimitur in jure, fertur enim hujusmodi pæna ob injuriam, quæ irrogatur ipsi percusso, & Ordini Ecclesiastico, quæ in jure etiam irrogatur, eò ipso quòd habetur rata percussio, proprio nomine facta: proinde in prædictis juribus extenditur hæc pæna etiam ad ratum habentem. Juvat tamen observare ad incurrendam hanc

excom-

excommunicationem non sufficere solam interiorem ratihabitionem, seu approbationem aut complacentiam percussionis, sed ulteriùs requiri etiam ut talis ratihabitio signis manifestetur ac protestetur externis, quia Ecclesia non punit ob actus purè internos. Cæterum quò ad irregularitatem non valet hæc ratio in mandante & ratum habente, quia irregularitas, quæ incurritur ob voluntarium homicidium, exigit prævium actum occisionis culpabilis influentem aliquo modo in ipsum homicidium, qui tamen actus non requiritur in ratum habente, quia culpabilis ratihabitio, cùm supponitur se habere consecutivè ad homicidium non influit in illud, nec directè nec indirectè. Tum quia ratione subsequentis voluntatis, & ratihabitionis homicidium præcedens non efficitur voluntarium, per modum actûs, quod requirebatur ad irregularitatem inducendam, sed tantùm homicidium præcedens efficitur voluntarium per modum objecti voliti.

§. IV.

De consulente homicidium.

DUBIUM I. *An consulens homicidium incurrit irregularitatem?* R. *affirmativè.* Per hoc enim differt consulens, à mandante, quia ille rationibus persuadet homicidium, hic verò tantùm voluntate imperat. Idque colligitur ex cap. *Perniciose de pænit: dist.* 1. Ubi dans consilium occidendi alium dicitur homicida: liquet etiam ex pluribus alijs juribus, præsertim cap. *si quis viduam* cap. *ad dignum de homi-*

homicidio Cap 2. *de Clericis pugnant in duello*: Ratio etiam suadet, quia consulens in suo genere est vera & directa causa moralis talis effectus, non secus enim influit ac mandans: Ergo sicut mandans eò, quia moraliter influit in homicidium incurrit irregularitatem, ita etiam consulens, quod tamen est intelligendum cùm effectu secuto: quia si consilium recipiens, revera non moveretur ex tali consilio, sed ex alia ratione vel passione, tunc consulens non posset dici causa actu influens in tali homicidium, quod necessariò desideratur ad hanc incurrendam irregularitatem quæ non resultat, nisi sequatur effectus; & hic non est effectus consilij, nisi ex illo sequatur ut docent DD. cum Hostiensi in cap: *Ad audientiam de homicidio.*

Quid si consulens retractet consilium, & satagat suadere alter recedere ab affectu talis consilij, & id assequi possit minimè adeò, ut adhuc sequatur homicidium, an consulens ab irregularitate excusetur quamvis suum consilirectractaverit. ℞. *Negative* Ita & rectè Sayrus *lib: 5. cap. 3. n. 4.* Ratio est. Quia per intimatam revocationem consilij non tollitur efficienter efficacia consilij. Tùm quia proprius effectus consilij est docere intellectum, quo facto non videtur ultra pendere à voluntate illius, qui consilium dedit: licet ipse nolit, nec petat, ut talis effectus fiat, nihilominùs consilium de illo faciendo, integrum perseverat: & licet conetur contrarijs rationibus judicium intellectûs mutare, frequentèr tamen id non potest assequi, eò, quia qui consilium suscipit, difficulter dimouetur ab opinione semel con-
cepta

cepta. Neque est eadem ratio de mandante & consulente, quia respectu mandantis agitur res ipsius mandantis, siquidem mandans mandando, videtur mandatario vim & obligationem imponere, adeò ut totum quod mandatarius agit, in gratiam id præstet mandantis, quo fit ut ad tollendam hanc obligationem sufficiat revocatio mandati facta à mandante, & intimata mandatario, quia tunc, quidquid postea agatur non intelligitur, ampliùs agi virtute ipsius mandantis. Secùs res se habet in consulente, quia per consilium datum agitur res ipsius consulti, non verò consulentis. Siquidèm consilium cædit in favorem illius, cui datur, qua propter consulens instruit, ac munit per consilium voluntatem consulti; hæc autèm instructio non tollitur sufficienter per solam revocationem consulentis, quia non ampliùs dependet ab ejus voluntate. Quaproptèr consulens tenetur ulteriùs precibus etiam importunis consultū, monere, nè suū consiliū executioni mandet, quod si id non possit, ei firmitèr suadere, tenetur ulterius monere occidendum, ut sibi caveat suppresso nomine alterius; hisce omnibus adhibitis diligentijs liberatur ab incurrenda irregularitate, tametsi homicidium sequatur, quia tunc mors potius imputatur negligentiæ occisi.

Quodsi consilium non sit directè de homicidio committendo, sed tantùm indirectè, ut si quis dicat alteri; non eris meus amicus, donec satisfactionem sumpseris de tali injuria tibi illata, an in tali casu si homicidium sequatur, consulens incurrat irregularitatem? ℞. *affirmativè* Ratio est, quia instigavit ad tale homicidium, proinde præstitit suum influxum & in-

di-

directe fuit causa illius. Tum quia si tale consilium dictum fuit ex intentione homicidij incurritur irregularitas hujus speciei, hoc est homicidium voluntarium; quia quamvis inductio ista, in ratione signi tendat tantum indirectè in homicidium, eò quia verba, quibus intentio exprimitur non significent homicidium, expresse tamen in ratione medij directè tendunt ad homicidium, propter intentionem quâ talis exhortatio facta fuit: id enim sufficit, ut homicidium inde secutum dicatur directe volitum, sin verò tale consilium non fuit ex directa intentione homicidij, tunc incurritur alia minor irregularitas ex homicidio casuali, quia tunc tale homicidium est consulenti saltem indirecte volitum, quatenùs potuit ac debuit animaduertere. quod ex pernicioso illo consilio, potuit homicidium sequi. Quod si qui consilium suscepit, adhuc commissurus fuisset homicidium, consulens neque in isto casu excusatur ab ista irregularitate, si ratione consilij, aliquo modo excitavit in alio voluntatem occidendi, quia tunc consulens augendo voluntatem consulti, auget causam homicidij, in quod propterea influit moraliter, siquidem augendo voluntatem, auget etiam actum exteriorem procedentem à voluntate ut colligitur ex cap. sicut dignus ꝭ. *qui homicid.*

Quid si consulens dubitet, an homicidium fuerit secutum ratione sui consilij dati, nec ne, quid in hoc casu agere debeat, & an sit irregularis, nec ne? ℞. Tunc standum est dictis ipsius consulti si enim dicat se non fuisse motum per consilium, nec ad circumstantiam, nec substantiam homicidij, tunc consulens censetur immunis

nis ab irregularitate, eò, quia nullum præstitit influxum in tale homicidium; quod si non possit id ab eo sciri, tunc colligendum est, ex circumstantijs & conjecturis, & si omnibus pensatis appareat consilium non influxisse ad tale homicidium, consulens liberatur etiam ab irregularitate. Si autem omnibus examinatis, adhuc maneat dubium, an consilium fuerit aliquo modo causa homicidij, tunc consulens censetur irregularis. quia in dubijs tutior pars sit eligenda. Tùm quia in dubio præsumendum est, quòd alter non commisisset delictum, nisi instigatus consilio alterius ut colligitur *ex l. merito ff. Pro soc: apud Covarruvium S. n. 1.* Sin autem consulens intendat tantùm ut alius graviter puniatur, non verò occidatur, & interim consultus ita aggravet opus, ut inde mors sequatur, tunc consulens incurrit irregularitatem hujus speciei, si mortem intendebat. Quod si non intendebat ejus mortem, tantum incurrit minorem irregularitatem homicidij casualis.

DUBIUM 2. *An consulens homicidium sive mutilationem membrorum alicujus personæ faciendæ efficiatur irregularis simul cum homicida;* R. *distinguendo* Vel talis consulens fuit efficax, causa talis sceleris, mediante quo perpetratum est tanquã causa impulsiva & motiva tunc secuto effectu homicidij, sive mutilationis membrorum, uterque incidit in irregularitatem, eò quod in casu consulens fuit causa efficax sive inductiva ad opus perversum faciendum: agentes autem & consentientes pari pæna puniuntur. Dicitur autem consulens, qui rationibus suadet rem de qua consulitur, & non est necesse ut consulens sit causa principalis delicti, sed satis

est

est si suo consilio confirmet, vel augeat animum & voluntatem, consilium petentis, seu recipientis, ut existemetur cooperator ad malum *ex c. perniciose D. 1.* & Canon: *siquis viduam D 50.*

Sufficit autem quòd tale consilium detur indirecte; quia ad moralem influxum & motionem consilium indirectum eandem vim habet, sicut consilium directum: quare quando quis amicus vel Dominus dicat injuriam passo fac vindictam de inimico tuo illum occidendo, vel mutilando, vel petenti consilium, an in rixa secuta remanserit oneratus respondeat consulens remanere, quo consilio talis excitatur ad vindictam, tunc secuto homicidio, vel mutilatione talis consulens sive directe sive indirecte efficitur irregularis, prout habetur ex C *literis de excessibus Pralat* & explicat ibi Abbas *n. 3.* Covar *in Clement si furiosus de homicidio p. 2. §. 1. n. 3.* & plures alij.

Quando verò consulens non fuit causa efficax & impulsiva seu incitativa, ad tale scelus perpetrandum, eò quòd persona consulta, jam parata erat, & omnino intendebat facere tale delictum: tunc consentiens, sive consulens secuto effectu, non esset effectus irregularis, eò quod in casu non fuit causa efficax talis sceleris, quamvis à peccato mortali non esset immunis ratione consensûs. Ita Henriquez *lib: 14. c. 14. n. 3.* Suarez *disp: 44 sect: 3, n. 10.* Bonac: *disp: 7. quæst. 4 p. 8 n. 19.*

Quod si in casu talis consulens voluntatem occidendi augeat mediante suo consilio, ita ut consultus faciliùs, vel citiùs, vel crudeliùs excitetur ad suam perversam voluntatem exequen-

dam

dam, tunc secuto effectu homicidij, vel mutilationis membrorum factæ: talis consulens etiam irregularitatem incurreret, quamvis is, cui datum fuit consilium fuisset aliàs occisurus, quia iam erat determinatus ad occidendum. quia tamen talis consulens auxit voluntatem illius, & quasi excitavit ita Bonac: & alij.

§. V.
De auxiliantibus vel cooperantibus ad homicidium.

DUBIUM I. *An auxiliantes aut cooperantes ad injustam mortem vel mutilationem incurrant irregularitatem?* ℞. *affirmativè* Communiter id docent DD. qui id colligunt ex Cap: *sicut dignum § Illi de homicidio* ubi habetur: quod ab homicidij reatu immunes non sint, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt. Hoc idem colligitur ex Cap: *Significasti 2. eod: tit: ubi dicitur* studio, consilio,& mandato in ordine ad homicidium commitendum incurri irregularitatem; per illa enim verba comprehenduntur omnia cooperationum genera. Ratio etiam hoc idem suadet, quia is incurrit hanc irregularitatem homicidij voluntarij, qui est causa talis homicidij; atqui cooperans homicidio, est culpa ejusdem ut per se liquet, influit enim in homicidium: ergò incurrit irregularitatem. Debet tamen cooperans esse causa propinqua homicidij adeò ut verè cooperetur occisori vel saltem ita se habeat, ut sine ejus ope, & auxilio homicidium non commiteretur. ut notant Couarr: in Clement:

Clement: *Si furiosus cap: 1. p. 2. § 2. num: 2. de homicid:* Siquidem cooperator voluntarius debet effectum causare, proindè ex intentione homicidij voluntarij incurrit hanc irregularitatem, quam etiam contrahunt omnes, qui communi consensu se vicissim provacant, ac stimulant ad occidendum alium, tametsi unus solus sit, qui occidit, seu vulnus infligit letale, ut colligitur ex cap: *Si dignum*, ex cap *Significasti*. Hinc milites omnes in bello injusto, si contra hostes pugnent, & eorum aliquos occidant fiunt etiam irregulares, ratione homicidij voluntarij. Jd etiam docent communiter de ijs, qui arma subministrant, ut committatur homicidium injustum, & qui dant pecunias ad bellum injustum ineundum, vel provocant ad injustam pugnam, si in eadem aliquis decedat, quæ tamen omnia supponuntur fieri ex intentione ut homicidium sequatur alioquin si hoc non intenderetur, solùm contraheretur irregularitas homicidij casualis. Quòd si arma aut pecunias subministrent tantùm in genere, & ad omnes usus ut faciunt opifices, vel vendentes arma, quæ cudunt, nulla incurritur irregularitas. Cæterum omnes qui homicidio cooperantur, vel opem quoquo modo præbent, ut sunt qui accusant, testificantur & judicant injustè, incurrunt hanc irregularitatem, quia omnes suo modo cooperantur voluntariè ad homicidium injustum. Quinimò etiam occultans arma illius, qui occiditur, & quibus se defenderet incurrit irregularitatem; si id fiat animo ut occidatur: quia tunc est reus homicidij voluntarij: quòd si fieret id ex alia intentione esset tantum reus homi-

homicidij causalis. Quo pacto etiam non impedientes homicidium, quod ex injustitia impedire tenentur, si non impediunt eâ intentione, ut homicidium fiat, hoc secuto, hanc contrahunt irregularitatē homicidij voluntarij.

DUBIUM 2, *Quibus modis quis possit homicidio cooperari?* R. Tribus modis potest contingere, quod quis cooperetur homicidio. Primo, detinendo occidendum, aut mutilandum, ut occidatur vel mutiletur. & hoc modo, cooperantem certum est in currere irregularitatem. Secundo modo, quando plures invadunt aliquem ex consilio, & assensu præhabito, & in hoc etiam casu certum est, omnes cooperatores concurrere, & si unus occidat, vel multilet, quia omnes concurrunt adjuvando & se fovendo. Tertio modo, quando subita rixâ suborta, occiditur aliquis, vel mutilatur. In quo casu si plures ad rixam, absque consilio concurrunt si dubium sit à quo mors fuit inflicta tunc omnes censendi sunt irregulares ex cap *Significasti de homicid*: At si constet de occisore, ille solus est irregularis qui occidit vel mutilavit. Ita cum Hostiensi. Bonacina & alijs. Diana *p. tract*: 15. *Resolut*: 18. Et ratio nostræ resolutionis est, quia cum omnes illi absque consilio inter se inito irruerent in occisum, & alij alios juvarent suâ assistentiâ, illa cooperatio fuit tantùm materialis & non formalis, siquidem casu occidit, & non ex consilio. Et idem dicendum, si quis movens rixam injustam cum alio, videns amicos, vel filios concurrentes in sui auxilium, illos moneat, nè occidant, vel mutilent, nam si non obstante hac protestatione, aliquis ex occurrenti-

rentibus inimicum occidat, qui rixam movit non incurrit irregularitatem, sed tantùm ille qui occidit, quia qui rixam movit, non cooperatus est morti, cùm potiùs illam impedierit Ita Henriquez *lib: 14 cap. 13. num: 4.* Avila *p. 7. disp. 6. sect. 3 dub 5. concl: 1.* Bonac: *quæst: 4. p. 8. num. 24.* Secùs, dicendum est si quis associet alium, qui tendit ad occidendum inimicum, & si tantum evaginato gladio ei assistat ad ei succurendum, nè ab alio occidatur; nam præsentia illius maximè ejus animum auget. Henriquez *lib. 14: num 2: lit y.*

DUBIUM 3. *Quid si plures plura vulnera infligant, quorum singula non sufficiunt ad mortem, bene tamen omnes simul secutâ morte, an incurrent omnes irregularitatem?* ℞. *affirmativè.* Ita communiter Bonacin: *Disp: 7. q. 4. p. 8. n. 30.* Fr: Chrystophor: à S. Ioseph: *sub n. 18.* Ratio est, quia omnes reuerà fuere causæ partiales illius mortis. Aliter dicendum est si quis etiam animo occidendi latroni leue vulnus infligit, & postea alij non vocati, neque invitati à primo percussore accurrentes, illum letaliter percusserunt. Nam tunc postremò percutientes letaliter incurrunt irregularitatem: non primus; nam primum vulnus non influit in mortem. Ita Bonacina *disp: 7. q. 4. p. 8. n. 32.* contra Suarium. Idem dicendum est, si unus alium letaliter percutiat, & alij postea advenientes non vocati illum etiam letaliter percutiant, ex quo vulnere mors accelerata fuit. Nam tunc solùm postremo ferientes incurrunt irregularitatem; nam ipsi fuere causa proxima mortis. Ita cum Bonac. & alijs: Fr: Chrystophorus à S. Joseph.

supra

supra n. 19 contra Couarr: & alios. Excipe si mors non fuit accelerata ex posteriori vulnere, sed post multum tempus sequuta, nam tunc ab vtroque vulnere censetur causata. Excipe secundo si vulnus secundum fuit leve, & mors ex illo non fuit accelerata, nam tunc secundò feriens non manet irregularis, secus si vulnus secundum, & si leue mortem acceleravit, eo, quòd super vulnus letale inflictum fuit, quod judicio chirurgorum relinquitur, nam tunc tam qui vulnus letale, quàm qui leue intulêre, omnes manent irregulares Ita Suarius *disp: 4. sect: 3. n.* 9 & alij contra Henriquez *lib: 14. n. 2. & Sayrum lib. 7. cap. 4. n. 15.* Qui putant solùm primum letaliter percutientem incurrere irregularitem.

DUBIUM 4 *An si qui vulneravit aliquem letaliter, sed post vulnus corruit domus, & vulneratum interemit, maneat irregularis ille, qui antea vulnus letale illi impegerat?* ℞. *negativè.* Nam in hoc euentu mors non fuit secuta ex vulnere, sed ex ruina domûs. Molina *tract. 3. disp. 35. membr. 7 n. 4.* Bonac. *q. 4. p. 8 n* 33. Secus dicendum, si quis levi vulnere aliquem percussit, & percussus in saxum, vel flumen incidens interijt; nam ictus & si levis fuit causa lapsus in flumen, & causa proxima mortis. Majol *lib. 4. cap. 48 n. 6.* Et idem dicendum de eo, qui vulneravit alium leviter, sed tamen causa fuit, ne fugeret percussus, & sic non fugiendo facilius occisus est à supervenientibus. Tunc enim ille primò licet levitèr vulnerans manebit irregularis Syluester verbo *homicidium 3. q. 7* sed hoc ultimum intelligendum est casu, quo primo leviter vulnerans aliquomodo influat in mortem, quam superuenientes intulêre,

Sed

Sed quid, si quis dubitet, an vulnere graui, seu levi à se illato vulneratus interijt? R. debere se reputare irregularem. Ita expressum est in c. *Ad audientiam de homicid*: ubi deducitur in dubio facti homicidij quis censendus est irregularis. Secus in dubio juris Ita Ægidus *disp* 18. *dub*: 2. n 25. Sanchez *lib*: 2. *de matrim*; *disp*: 41. *n*. 9. & alij communiter.

Sed quid si vulnus alicui illatum leue fuit, in curia tamen medicorum vulneratus obijt? R. non esse vulnerantem habendum ut irregularem: quia leviter vulneravit nullo modo in mortem proxime influit. Ita cum multis Paluus *disp* 6 *p*. 15. *S*. 5 *n*. 5. Et idem dicendum, si vulnus fuit graue, culpâ tamen sua, vel medici obijt uulneratus. Ita Leander *tract*: *de irregulariter disp*. 7. *q*. 77. Ratio est quia mors non ex vulnere sed ex incuria medicorum, vel malo regimine infirmi processit. Et idem dicendum est, si postquam infirmus ex vulnere non letali convaluit, superuenit alius morbus, & vulneratus obijt Nam tunc vulnus non fuit causa mortis, sed morbus ex alijs accidentibus superveniens. Ita communiter DD. In his tamen casibus, & similibus, consulendus est medicus; nam si morbus supervenit ratione vulneris, vel quia non erat chirurgus qui vulneratum curaret, vel quia supervenit febris, quæ vulneratum interfecit, non obstante diligenti curatione medicorum, tunc judicandus est irregularis, qui vulnus impegit, & si leue fuisset. Ita Avila *p*. 7. *disp*; 6. *dub*: 5. *conclus*: 2. & alij communiter.

DUB: 5, *An autem vendens vel præbens arma alicui, quem suspicatur ea emere, aut petere ad injustam occisionem Petri, sit irregularis secu-*

tae oc-

ta occisione? ℞. *negativè* Si talia arma absque intentione perpetrandi homicidium præbeat; nam tunc valde remotè concurrit ad homicidium: alioquin, qui vendunt res, quibus mali possunt abuti, quoties suspectio daretur, posse illis male vti, deberent abstinere à venditione, quod nemò dixit. Ita Hurtado *de irregul: difficul: 8. in fine.* Gibalinus *cap. 4. qu: 1. consect. 10.* Qui addunt ad summum, prædictum præbentem arma peccare peccato scandali passivi, & contra justitiam secundariò, & ideo non manere obligatum ad restitutionem damni. Excipe nisi quis petat arma in conflictu rixæ; nam tunc præbens illa, si aliqua causa eum non excuset, verè concurrit ad homicidium injustum secutum, re enim vera telo armauit homocidam & consequenter cooperatus est homicidio, & injustæ cædi. Gibal: *supra versu crediderim.*

Sed quid si quis tradat Petro arma ad occidendum Franciscum, Petrus verò illum armis alijs occidat? ℞. talem non incurrere irregularitatem, nisi fortè arma præstita, aliquomodo Petrum animosiorem reddiderint ad occidendum Franciscum, ut si secum ea ferret ad hoc, ut in defectu suorum illis uteretur: nam tunc præbens arma, verè concurrit ad homicidium, & si alijs armis fuisset patratum. Ita Bonac: *q 4. de irregularite p. 8. n. 6* Gibalinus *cap 4. de irregularite quæst. 1. consect. 10.* Sed quid si præbuit arma Francisco ad occidendum Paulum, Franciscus verò occidit Antonium? ℞. non manere irregularem dantem arma Francisco; nisi in casu, quo sciret Paulum, Antonio, & alijs socijs stipatum incedere contra Franciscum: nam periculum ne quem alium occideret, quàm Pau-

lum, cavere debuit. Gibalinus. *supra.*

DUBIUM 6. *An accomodans alicui arma, ut ensem, sclopum, pugionem, aliaque instrumenta offensiua; quibus instrumentis deinde quis fuisset occisus: an ille qui dicta arma contulit effectus, sit irregularis?* ℟. distinguendo (ut supra jam clare dictum est) vel enim talis habebat scientiam sive notitiam, vel saltem suspicionem de voluntate peruersa, illius cui talia instrumenta accomodavit, tunc secuto effectu mortis sive mutilationis non excusabitur ab irregularitate, tanquàm auxiliator, & cooperans ad tale scelus perpetrandum: mediante suà accomodatione armorum sine quibus talis effectus non fuisset secutus: qui enim causam damni dat damnum dedisse videtur; ut patet *ex regul: juris in* 6. Quando verò talis accomodatio armorum fuit facta simpliciter, absque notitia & suspicione delicti perpetrandi, tunc talis esset excusatus à peccato, & per consequens ab irregularitate: eò, quòd ubi non adest malitia, non potest esse culpa, cum accomodatio armorum sit indifferens, nam deservire poterat, ad defendendum, & non ad offendendum. Ita molina *d. tom: 4. disp: 34. membr: 6. n. 8.* Suarez *disp: 44. sect: 3. n. 31.*

§. VI.

De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione causâ defensionis propriæ vitæ vel alienæ injusto ab aggreßore.

DUB:

DUBIUM I *An occidendo invasorem injustum cum moderamine inculpatæ tutelæ, incurrit irregularitatem?* R. *Negativè.* Ita communiter DD. Tunc autem datur moderamen inculpatæ tutelæ, quando invasus aliter vel absque periculo non potest se indemnem defendere ab invasore injusto, vel fugiendo, vel clamando absque dedecore, vel aggressorem mutilando; nam si aliquo ex his modis potest mortem evadere occidens aggressorem, non illum occidit cum debito moderamine, ac per consequens incurrit irregularitatem. Excipe nisi intendens tantùm mutilare vel ferire fortè occideret. Ita Henriquez *lib. 15. c. 10. n. 3.* Gibal: *cap: 4. de irregularit: quæst. 3. cons: 2. dist; 3.* Graff: Barb *in cap: significasti, & 2. de homicid: n. 18.* Certum ergo est, eum qui moderamine inculpatæ tutelæ occidit, vel mutilat aggressorem ut propriam defendat vitam cum non possit eam alio modo tueri non fieri irregularem, fuit enim id definitum in Clement. *si furiosus* de homicid; Ratio est; quia tunc tale homicidium non fit sponte, nec intenditur per se, sed tantùm ex necessitate propriæ defensionis, eò quia non possit alia via propriam tueri vitam, hujusmodi enim homicidium, non reputatur à jure voluntarium, sed necessarium, debet tamen invasio esse injusta.

Si dicatur Trident: *Sess: 14. c. 7 de reformat.* asserere loquens de homicidio causâ defensionis dispensationem esse committendam Ordinario, & D. Thomam *3. p. q. 85. a. 3* etiam docuisse Clericum qui ob propriam defensionem alterum occidit fieri irregularem. R. ex Verano, Concilium & D. Thomam solùm loqui de eo occiso, qui in sui defensione excessit moderamen incul-

culpatæ tutelæ, eò, quia potuerit aliter quàm occidendo vitam propriam tueri. Quod si animus etiam admitteretur occidendum injustum aggressorem ob vindictam sumendam, an adhuc excusaretur ab irregularitate incurrenda? R. *affirmativè*. Quia actus interior non sufficit ad incurrendam irregularitatem, si actus exterior cui annectitur, sit licitus. Quinimò tametsi injustus aggressor esset in peccato letali, & se defendens certò sciret eum esse moriturum in tali peccato, adhuc non incurritur irregularitas, ut docet Cajetanus *22. qu. 64. art: 7.* & cum ipso Soto *lib: 5. de iustit: qu: 1. art: 8* Ratio est, quia cum jure naturæ teneatur quis propriam vitam tueri, & licitum sit vim vi repellere, non peccat, qui se defendendo ab injusto aggressore tantùm immediatè directè intendat tueri propriam vitam, consequenter non incurrit irregularitatem, ut hæc est effectus culpæ.

Si dicatur; teneri unumquemque vitam spiritualem proximi anteponere propriæ temporali: consequenter non posse aggressum occidere injustum aggressorem, si certò sciat eum esse moriturum in peccato letali & damnandum, tunc enim aggressus ex charitate tenetur permittere se occidi. R. Antecedens enim tantùm est verum, quando proximus est in extrema necessitate spirituali; si enim quis videat aliquem decipiendum ab hæretico, & cognoscat non posse à tali deceptione liberari, nisi eum edoceat veram doctrinam, tunc tenetur vitam propriam temporalem pro spirituali proximi exponere, & cum discrimine propriæ vitæ ei opitulari: secùs in casu nostro, injustus aggressor non versatur in extrema necessitate spirituali absolutè, sed voluntariè &

ex

ex malitia propria, siquidem est in ejus potestate non aggredi alium, & desistere à tali aggressione, unde est dispar ratio, quia injustus aggressor non est dicendus in articulo extremæ necessitatis, sed in malitia iniquæ voluntatis, proinde sibi debet imputare, si existens in culpa letali occidatur.

DUBIUM 2. *Quod si aggressus posset fugiendo imminentis mortis periculum evadere, & nihilominus vellet se defendere occidendo injustum aggressorem?* R. tunc non posset excusari ab incurrenda irregularitate, quia tunc occisio alterius non esset omninò necessaria ad sui defensionem, cùm posset beneficio fugæ propriam tueri vitam, undè sicut in tali casu, non excusaretur à culpa homicidij, ita neque ab incurrenda irregularitate. Hinc Clericus vel Religiosus, qui fugiendo potest propriam vitam salvare & nihilominus se defendendo injustum occidit aggressorem, fit irregularis; ut docet Soto. *lib. 5. de Iustit. qu. 1. a. 8.* Ratio est, quia tametsi fuga posset esse ita sæculari ignominiosa, ut si non fugiendo occideret injustum aggressorem adhuc posset excusari ratione ignominiæ, ab irregularitate incurrenda, ut sentiunt plures: nullo tamen modo excusandus est Clericus, aut Religiosus, eo quia istis fuga nunquam censetur ignominiosa; non enim eorum honor in armis censetur constitutus, sed in exercitio patientiæ & cultura cæterarum virtutum. Hoc idem etiam generaliter dicitur de quocunque alio, qui ex fuga nullam incurreret infamiam Cæterum probabilius aliqui censent eum, qui ex timore incurrendæ infamiæ occidit injustum aggressorem, non fugiendo, cum posset fuge-

re non excusari à culpa, consequenter neque ab irregularitate homicidio annexa. Ratio videtur efficax; quia aggressus tunc non occidit aggressorem pro vita propria tuenda, hanc enim posset fugiendo tueri; sed illum occidit pro defensione proprij honoris: atqui vita alterius est semper pluris facienda, quàm proprius honor, præceptum enim charitatis magis urget vitam proximi, quàm circa proprium honorem: hinc si aggressus per solos clamores aut levia vulnera posset se defendere ab injusto aggressore, fieret irregularis, si illum occideret, quia tunc in propria defensione excederet modum inculpatæ tutelæ, fieret etiam irregularis, si aggressorem fugientem occideret, postquam ab eo accepit letale vulnus, quia jam non esset defensio, sed vindicta, quæ personæ privatæ non permittitur.

Excipe 1. Nisi fuga foret periculosa fugienti & ferè semper esse solet, siquidem invasor ex fuga animosior redditur, & fugientem insequitur; nam tunc si detur tale periculum, ut regulariter datur, potest etiam Clericus vel etiam Monachus invasorem licitè occidere, si aliter evitare mortem non potest. Ita Graffis *lib: 2. cap. 65. num. 9.* Henriquez *lib. 14. cap. 10 §. 4.* Lugo *num. 166.* Fagundez *cap. 7. num. 10. & 11.*

Excipe 2. Potest Clericus vel Religiosus invasorem occidere, quando fugere esset dedecus statûs Religiosi, vel Clericalis, vel etiam propriæ Personæ: ut si deprehensus in crimine infami occulto, aliquis eum vellet occidere, & non posset mortem vitare, nisi fugiendo, propalando delictum, tunc posset non

fuge-

fugere; & invasorem occidere, ne illam infamiam pateretur, si hoc modo illam vitaret. Ita cum Felino, Filliucio, Diana, *p. 4. tract. 2. resol. 5. versu Nota tamen*

DUBIUM 3. *Num etiam aggressus fieret irregularis si ad propriam vitam tuendam occideret invasorem, innocentem. justum, ut esset freneticus. vel ebrius?* R. Communiter talem non fieri irregularem, quia talis aggressio est injusta saltem materialiter. Præterea licet formaliter non sit injusta in pari causa innocentiæ, nihilominùs unusquisque magis sibi tenetur, quàm alteri. Tùm quia ut notat Soto *lib. 5. de Iustit. 9. 1. artic. 7.* freneticus, vel ebrius esset injustus invasor ex parte causæ, licet non ex parte subjecti invadentis, siquidem invadens, quia sui non esset compos, non peccaret, neque respectu sui esset injustus: causa verò esset injusta, eò, quia invasus absq; ulla causa deberet occidi. An verò possit quis licite uti præventione etiam sine irregularitate? Soto, Navarius, & alij respondent affirmative; Si tamen adsint indicia certa, quod infallibiliter sit occidendus nisi præveniat. Verùm putat Felix Veranùs, hanc præventionem vix posse excusare ab irregularitate, eo, quia potest quis semper sibi cavere, & ponere sufficientia media, ad ineundam amicitiam cum injusto aggressore.

DUBIUM 4. *An etiam incurrat irregularitatem, qui occidit injustum aggressorem Principis, vel alterius Domini, quem ex justitia tenebatur defendere, si non valeat aliter eum à morte liberare?* R. *probabiliter*; cum non incur-

rere

cere irregularitatem ut cum Suarez, Sayro do-
cent plures: ratio est, quia tunc tale homici-
dium non censetur culpabile, neque volunta-
rium, sed coactum. Tum quia non vide-
tur credibile, Ecclesiam velle aliquem punire
ex eo, quod adimpleat præceptum naturale.
Tum quia ad tale homicidium adigit aggres-
sor supposito debito defendendi aggressum.
Tum quia ipsa lex naturalis videtur ad id eti-
am obligare, Tum quia si debens principem
defendere ex justitia, eum non defendat, pec-
cat contra justitiam: ergò non tenetur hoc
peccatum committere, ut injusto aggressori
salvet vitam. Tum quia non habetur tunc
defectus lenitatis, siquidem exercetur actus o-
bligantis sub præcepto, & una virtus, non con-
trariatur alteri. Demum quia, *lib: 5 §. idem*
§ de Sicari habetur homicidium esse impu-
nitum, quando comittitur ob defensionem pro-
priam & aliorum, quos quis tenetur ex justi-
tia defendere. *Si dicatur*, Iudicem etiam te-
neri occidere malefactores & nihilominus in-
currere irregularitatem defectu lenitatis, con-
sequenter etiam in casu nostro occisorem in-
justi invasoris ℞. Nego Consequ: Est enim di-
scrimen, quia homicidium factum à Iudice est
voluntarium in causa, siquidem spontè & vo-
luntariè suscepit tale officium, & potest etiam
nunc ab illo abstinere, & quia non desistit, ideò
deficit in lenitate: secùs in casu nostro tale
homicidium non censetur voluntarium, sed co-
actum: quia si quis non defendit principem,
quem tenetur ex justitia tueri, peccat contra
justitiam, imò etiam contra charitatem, con-
sequenter, non tenetur peccare ad salvandam
vitam

vitam injusti aggressoris. *Si dicatur* tale homicidium videri illicitum, eò, quia sit æque diligenda vita utriusque proximi. R. Nego paritatem quia vita Principis non solum est diligenda ex charitate verùm etiam ex justitia: secùs vita injusti aggressoris tantum est diligenda ex charitate ergò non æque diligenda est, ac vita Principis. Quinimò censent aliqui probabile; eum etiam excusari ab irregularitate, qui occidit injustum aggressorem proximi, eò, quia licitum sit innocentem à morte defendere, tametsi necessarium sit aggressorem interficere: sed irregularitas privati homicidij non incurritur, nisi ob culpam: ergò cum illa defensio innocentis sit inculpabilis, non incurritur hæc irregularitas. Tum quia hujusmodi occisio est potiùs defensio innocentis, quàm occisio.

DUBIUM 5. *An qui ob necessariam defensionem honoris vel divitiarum occidit vel mutilat injustum aggressorem, fiat irregularis?* R. Probabiliùs talem incurrere irregularitatem, quid quid dicant alij, ratio est, quia de jure communi ob homicidium, aut mutilationem voluntariam incurritur hæc irregularitas, nisi in casibus speciali jure exceptis: atqui in jure Clement: *Si furiosus* solùm excipitur homicidium causa defensionis propriæ vitæ. Tum quia ex præcepto charitatis tenemur pluris facere vitam proximi, quàm proprias divitias. Tum quia turpiùs est humanum sanguinem fundere, quàm fluxas amittere divitias. Tum quia in textu cap *Suscepimus de homicid:* habetur, quod expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium & sustinere rerum jacturam, quam

quam pro conservandis rebus vilibus, & transitorijs in alios tam acriter exardescere.

Cæterum si in propria defensione excedat, quis modum inculpatæ tutelæ, non excusatur ab incurrenda irregularitate, si injustum occidat invasorem, eò, quia tunc censetur voluntarium homicidium comittere. Exceditur autem moderamen inculpatæ tutelæ, si defensio propriæ vitæ possit aliter fieri absque occisione injusti aggressoris, ut si aggressus potuit fugere, vel se defendere, infligendo aggressori leviora vulnera. Cæterum si excessus esset tantum peccatum veniale, tunc non incurreretur irregularitas, quæ cum sit pæna gravis, non incurritur propter culpam levem. Tum quia, si ob venialem excessum semper incurreretur, utique esset moraliter inevitabilis hæc irregularitas, quia vix poterit fieri occisio alterius in propriam defensionem sine aliquo veniali excessu: & quia hic non potest contingere venialis excessus ex surreptione, & indeliberatione, undè in hoc casu vix potest contingere occisio injusti aggressoris sine aliquo excessu ex surreptione, & indeliberatione, consequenter semper incurreretur irregularitas, etiam cum quis in liquidam defensionem propriæ vitæ occideret injustum aggressorem.

DUBIUM 6. *An ob defensionem vitæ Patris, vel filij, vel uxoris, aut alterius consaguinei, potest quis absque peccato & irregularitate modo explicato, occidere invasorem & aggressorem injustum, cum moderamine inculpatæ tutelæ?* R. *affirmativè.* Ratio est; quia licitum est alijs facere, quòd quisque pro se ipso potest, sed quisque innocens potest se defendendo occide
re

re suum injustū invasorem: ergo & poterit proximum adjuvare partes proximi innocentis suscipiendo defendendas. Unde non est necesse ut proximus clamet & auxilium petat, sed statim ac videt proximum injustè invasum tenetur ex charitate ei succurrere. Ita Barbos. Farinac, [a] Jmò non solùm in præsentia proximi potest ejus invasorem occidere, quando aliter mortem proximi vitare non potest, sed etiam in ejus absentia. Ita Molina quem refert & sequitur Lugo *de justit: disp: 6. num* 209. Quod adeò verùm est, ut etiamsi proximus nolit defendi, posset quis ejus injustum invasorem & aggressorem occidere, quia cùm invasus non sit dominus suæ vitæ, non potest eam alteri donare, nec potest tollere obligationem, quam quis habet ad illum defendendum. Tum quia tale proximi damnum, aliquo modo ad me pertinet, cùm sit damnum ejus, qui charitatis nexu, conjunctione naturæ mihi conjungitur. Ita cùm Lessio, Lugo, supra Bonac: (b) Quod verum est, etsi invasus non sit Christianus: benè tamen injuste invasor propter rationem tactam à Lugone: Ita Barbosa Bonac. & alij (c)

a. Barbosa *ad cap: sicut dignum de homicid: num:* 26. Farinac: *in praxi criminali. q.* 134. *num:* 270.

b. Lugo *de justit. disp. num:* 209. Bonac: *de restitutione quæst: Vltima: sect.* 1. *p.* 11. *num:* 8

c. Barbosa *ad cap: sicut dignum de homicid: num:* 28 Bonacina *in praxi criminali p.* 5. *qu.* 125. *& al.j.*

DUBIUM 7. *An possit invasus occidere injustum*

justum

justum invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, absque peccato & irregularitate. non solùm quando eum actu invadit, sed etiam quando est in proximo actu invadendi, & aliter eum invadere non potest. ℞. *affirmativè:* Vnde si sciat invasorem præparare sclopetum ad eum occidendum, potest eum prius occidere. Ita cum communi sententia Dicastil. Lugo [a] Et idem dicendum est si aggressor veniat, cum armis verisimiliter causâ offendendi, nàm tunc aggressus potest eum priùs licite occidere Gom: *tom:* 3. *variarum c.* 3. *num:* 22. Et idem dicendum, si sciat aliquem sibi præparare venenum ad eum occidendum, potest prius ei venenum præbere: Dicastil: *sup. num:* 111. Lugo *supr. num* 155. Et idem dicendum si sciat aliquem suadere, vel mandare servum ad se occidendum, potest namque licite mandantem priùs occidere. Et idem dicendum, si sciat aliquem cum aliquo conjuratum esse ad illum occidendum, si aliàs monitus nolit desistere à conjuratione, vel non possit moneri. Molina *tom:* 4. *tract:* 3. *disp:* 12. *num:* 2. Et idem dicendum est, si sciat aliquem decrevisse illum occidere, quia àlter hoc illi manifestavit, nam tunc potest eum morte prævenire, quando eam aliter non potest vitare. Molina *supr. num:* 2. Lugo *de iust: disp.* 10. *num:* 180. Diana *p.* 5. *tract:* 4. *respons:* 5. *contra Dicastillum* Lessium & alios communiter, qui dicunt in hoc casu fieri irregularem eò, quod aggressor nullo modo incæpit aggressionis actum: sed à nostra sententia non discedendum, per Decretum enim efficax necis, aggressionis actum jam incæpit. Idem dicendum de eo, qui alicui mortem minatus

natus est, minatus namque potest eum prævenire morte absque peccato, vel irregularitatis metu, si minans solitus sit minas exequi. Ita Joannes, Francisc: Suarez *in Enchirid casuum conscient: lib: 7. verb: homicidium* Jul: Clarus *in pract criminal. lib: 5 § homicidium n. 33.* contra Dianam *p. 5. tract: 4. resol: 10.*

a Dicastill *lib 2. de iustit tract. 1. disp. 10. num: 10* Lugo *de just. disp. 10. num: 157.*

DUBIUM 8. *Si quis det causam invasioni & occisioni ob quam aliquis superveniens vult eum occidere, an possit eum absque peccato, & irregularitate occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, si aliter mortem evitare non potest: ut si quis in actu sit cum uxorata, & superveniat maritus & velit adulterum interficere, an possit adulter aggressorem occidere?* R. *affirmativè* Ratio enim naturalis dictat, ut unusquisque se suaque defendat etiam morte aggressoris, si aliter mortem evitare non potest. Et licet adulter causam dederit antecedenter aggressioni, se tamen iustè defendit, cum alter illum velit privata authoritate occidere, quod est injustum, & respectu hujus occisionis iustè se defendit Ita cum Gordon Avil Corn- Less: Turrian. Mercad: Granad & aliis Diana *p. 4. tract: 2. resol. 2* Contra Vigel: Gutt: Major, Molin. Nec per hoc quod maritus occidat uxorem deprehensam in adulrio incurrit irregularitem, Adulterium enim, ut se tenet ex parte adulteri, non ordinatur per se ad occisionem adulteræ, & ad contrahendam irregularitatem ex homicidio casuali, non sufficit ut quis contrahat aliquam causam, unde postea sequatur homicidium, sed nec

sario

sariò requiritur, quod talis causa per se sit a-
pta ad inferendum homicidium, vel ut sit cau-
sa immediata illius, sed adulterium neutra
ex his causis est, ergò adulter, etsi adultera à
viro suo occidatur, non manet irregularis.
Tùm quia quamvis mediante adulterio com-
misso fuisset causa culpabilis talis invasionis:
talis tamen causa in casu existimatur remota:
non enim tale adulterium fuit tali animo
factum, ut supponitur; sed causa sensualitatis.
& illiciti amoris libidinosi: sed invasio mariti
sequitur per accidens, ideòque defensio vitæ
non est illi prohibita. Quod autem irregula-
ritatem non incurrat, patet ex hoc, quia in ca-
su maritus adulteræ occidens adulterum peccat
mortaliter, quamvis secundùm jus civile talè
delictum homicidij reddatur impune, quando
factum est in flagranti crimine: in foro au-
tem DEI non accusatur a peccato, cùm pos-
sit illos excusare apud judices ad puniendos
secundum jura: si ergò maritus occidit in-
juste consequenter sequitur adulterum
non amisisse jus suum ad se defendendum cum
moderamine inculpatæ tutelæ: alioqnin mari-
tus occidendo adulterum non peccaret, quod
est falsum. Et hanc sententiam in praxi val-
de probabilem existimant Suarez, Henriquez
& plures alij (a) cum enim defensio propriæ
vitæ sit naturalis, ideòque non est putandum
Ecclesiam piam Matrem in tali casu voluisse
adstringere ad irregularitatis pœnam, quandò
aliter mortem evadere non potuisset, & cùm
res sit favorabilis, potiùs videtur amplianda
quàm restringenda. Ita Bonac. *disp: 7. quæst.
4. de irregul. p. 6. num: 7.* Turrian. *lib: 5.*
de

de censur. disp: 63. dub: 4. & plures alij. a. Suarez *tom: 5. disp: 46. sect: 1. num: 11.* Henriquez *lib: 14. cap. 10. num. 3.*

DUBIUM 9. *An si Petrus Antonium falsis calumnijs & testibus contendat per judicem interficere, & defacto condemnandus sit ad mortem, possit Antonius Petrum & ipsos falsos testes praeueniendo occidere sine nota culpae, & irregularitatis si aliter evadere non possit mortem?* Affirmant cum Molina Sanchez, Lugo, Dicastillo, & alij. Imò idem alij affirmant de eo, qui alterum infamat apud Principem vel viros nobiles, grauia crimina de eo spargente, si monitis nolit desistere, & nulla alia via talis famæ læsio vitari potest. Jta cum Bannes; Nauar: Escobar. Verùm in utroque casu contrarium dicendum. In primo, quia testis vel judex falsum asserendo, vel judicando, non possunt dici honoris invasores; nam de ratione aggressionis est, ut contra ordinem juris iniuria inferatur, sed in præsenti testis vel judex seruato ordine juris occidunt, licet iniquè & contra ipsum jus, ergò non sunt propriè aggressores; ac perconsequens licitè non possunt occidi. Ita Torrianus, Salon, Cor. & plures alij (a) Quò ad secundum casum verò, etiam liquet, quia vel per illas detractiones infamia est jam illata, vel non? si est illata, jam non deletur per mortem infamantis; si verò non est illata alijs vijs potest impediri; unde injusta planè erit omninò occisio. Jta Facundez, Lessius, cum Julio Claro probabilius judicat (b) & contrariam sententiam meritò reijcit: Alex: VII. in suo Decreto *anno 1665 proposit: 18.* cujus tenor est talis: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes; ac etiam judicem à quo iniqua certò immineat*

senten,

sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare. Ex quo fit multò minùs posse quempiam licite occidere accusatorem vel testem, qui bona fide de crimine morte dignum illum accusat, aut falso testificatur, etiamsi non sit illi alius modus evadendi, quia in hoc casu testis vel accusator, non sunt injustus aggressor.

a Turrianus *2.2.d: 27. q. 2. n. 10.* Sotus *lib: 1. de iustit: quæst: 1.*

b Facundez *lib: 5 decalogi cap: 6. n. 8.* Lessius *lib: 2. cap: 9. dist: 2. n. 82.*

DUBIUM 10. *An liceat Clericis uti armis non solùm pro alijs, & pro rebus suis conservandis, atque ad defensionem propriæ Personæ?* R. cum distinctione, si per fugam vitare possunt agressoris injuriam negativè dicendum est. Secus si fuga non sit eis permissa, debet arma accipere ad se defendendum, ita ex jure Canonico 23 qu: 8. gl. *Clericus* in summa. *Arma possunt accipere ad defendendum se, dum tamen illud in continenti fiat pro se tantùm non pro alijs, & in necessitate inevitabili. Idem d. 50 gl. Priventur* in Can: *De his Clericus.*

Dices Si licet Clericis & Religiosis ad propriam Personam tuendam aggressorem injustum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, utrum etiam liceat eidem calumniatorem de se vel de sua religione gravia crimina spargere minitantem, occidere, etiamsi alius modus defendendi Religionis honorem non suppetat? R. Quamvis probabilem aliqui DD. in partem affirmativam, propriam sententiam trahant. Sed dùm in oppositum decretum Sacræ Congregationis Romanæ, & Universalis inquisitionis 1665. die 24. Septembris legimus, negativam partem

sequi.

sequimur, quo decreto hæc damnatur, ut scandalosa & erronea propositio. *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem grauia crimina de se vel de sua Religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit vel suppetere non videtur, si calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso vel Religioni publicè & coram grauissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.* Jta Alaxander VII. proposit: 17. Et ratio est; quamvis enim Ecclesia contra jus naturale nihil valeat procedere, & proprij honoris famæque defensio sit de jure naturæ, nihilominus declarare potest, & de facto manifestat modum proportionatum per media convenientia statui unius cujusque, & ipsi juri naturali conformem, isti difformem assignatum in præsenti propositione & per media immoderata & excessiua. Inter dogmata enim Catholica non reperitur, vitam tollendam esse pro calumnia, sed sæpiùs replicatum invenimus Math: 5. v. 41. & Luc: 6 vers: 28. Orate pro calumniantibus vos, ut sitis (attende & â contrario sensu inferto consequentiam) *filij Patris vestri*, de cujus Vnigenito filio inquit Iasias < 50 *Dedi corpus meum percutientibus, & genas meas vellentibus.* Et nemo meliùs occidere poterat, sed tantùm abfuit, quin potiùs nec verbum quidem protulit, sed *Quasi agnus coram tondente se obmutuit* Jsai: 53. Ergò pro calumiantibus sicuti pro amicis animam suam posuit. Nam hoc est illud Joannis 15 v. 18, & fertur etiam apud Rustinum in vitis Patrum *lib: 3. num: 201.* Interrogavit enim quidam frater Abbatem Pæmenem dicens: Quid est quod Dominus in Euangelio dicit. *Majorem hac dilectione nemo habet, quàm ut quis animam suam pro*

F *amico*

amico suo ponat Ioan: 5 Ver 13. quomodo hoc fi-
et? Respondit senex. Si quis audit verbum ma-
lum à proximo suo, & cum possit ipse similia illi
respondere, tolerat tamen in corde suo & vim,
laboremq; sibi facit, ne fortè respondeat illi ma-
lum, & contristet illum, iste animam suam ponit
pro amico suo. Et inter Stoicorum divina para-
doxa emanauit illud. *Feliciorem qui accipit in-
juriam, quam qui facit.* Teste Platone apud Lu-
dovicum *Vives in tom: 5. de Ciuit: Dei.* D. Au-
gust inus *lib: 9. cap: 4. lit: D. in edit: Paris: anno
1586.* Quid ergo respondebitis Duellistæ? Est
ne potius pro calumnia, pro injuria, & malo ver-
bo præsenti, & non futuro, ut dicitis vita è me-
dio tollenda, an verò danda? Accipite ergò egre-
gia documenta, pharmaca præstantissima, media
convenientia, & ipsi juri naturali conformia,
& non diformia, immoderata & excessiua pro
vestra palliata defensione, reuera livore ac vin-
dicta suggerente Tertulliano *lib: 2* contra Mar-
ci *cap: 18.* legit. *Mihi defensa, & ego defendam*
supra illud Deuteron: *cap: 32. V. 35. mihi vindi-
cta & ego. retribuam.* Quia verè id quod de-
fensio dicitur apud mundanos, vindicta respectu
Dei reputatur, sicut à contrario, quod videtur
vindicta apud Deum, non est nisi justa defensio.

Ex his habes 1. Hic tantùm Clericos & Reli-
giosos damnat S. Congr: non verò laicos, & no-
biles, sed circa istos communem DD. opinionem
in sua probabilitate relinquit. Et licet Iudice
puniant, etiam laicos nobiles, qui ob defensio
nem honoris aliquem occidunt, id evenit, qui
eis non constat, an id fecerint cum circumstanti
debitis, nimirum cum moderamine inculpat
tutelæ, quæ conditio est necessaria ut nobiles d

fende.

fendere licite proprium honorem possint. Ita obseruat & benè nostet Pater Bonauentura Bontempio de Ianò *in Fasciculo flor: moral: tract: VII. de V. Precept: Decalog: titul: 1. n. 133. circa finem pag: 365.*

Habes 2. Militem & nobilem non teneri fugere, quamvis poterat mortem euadere fugiendo aggressoris, vnde posse licitè invasorem occidere, cui responsioni adhæret Pater Bontempio de Iano *loc: supr: cit:* loquendo præsertim in foro exteriori laicali, quia hujusmodi hominibus fuga esset in dedecus, quod non accideret de homine vili & plebeio, ut in Clem: vn, si furiosus de homicidio gl: *Casus*; tamen in tali casu incurrit irregularitatem. *Nota quod licet sit licitum alicui vim illatam repellere ita quod non teneatur fugere, si resistendo occidat, incurrit irregularitatem, licet non veniat puniendus in foro seculari.* Ita etiam Raym: & Bern: ut refert Aug: *V. Homicidium* 1. n 2. Etiam Bart: *in libr 1 c. vim vi* inquit, quòd non tenetur fugere, quia fuga est injuria; ergò sicut licet pro jactura rerum, multò magis pro injuria corporali, quæ est major injuria *l. in seruorum* §. de pænis. Dixi *in foro exteriori de laicis*, quia secùs est de Religiosis, quorum laus non est in usu armorum, sed virtutum, charitatis, humilitatis, ac patientiæ consistit, Gl: *ligauerunt* in cap. *suscepimus.* de homicid: & *clericus cum armis pugnare non debet, etiam contra Saracenos.* Idem colligitur ex Can: *Clerici.* Can. *Quicunque* 23. q 8. & canon: 2. Ibidem Innocent: Papa *Cum à Iudæis* (inquit) *Dominus caperetur, & Petrus cujusdam inobedientis aurem abscinderet, ferire prohibuit, & forma omnium Sacerdotum (quorum prior erat) etiam pro se ipso*

capi arma carnalia prohibuit.

DUB: II. *An liceat sine irregularitatis pœna sequi invasorem fugientem, qui illi alapam dedit, eumq; occidere ad honorem recipiendum?* R. In hac re duas esse opiniones, quarum una absolute affirmat hoc non licere: nam ille qui talem injuriam tulit, eò ipso, quod ab injuria cessat, vim non amplius illi infert, ideòque illum sequens, & repercutiens vim illatum non repellit, sed potius punit, & vindictam sumit contra inimicum, neque honorem defendit, cum jam per iniuriam amisit, & quamvis talem honorem, secundùm leges mundanas aliquo modo recuperaret, faciendi vindictam contra inimicum, talis tamen honoris recuperatio, potiùs pertinet ad vindictam, quàm ad defensionem: ideòque si talem fugientem vulneraret, & occideret, non esset excusatus à peccato & irregularitate. Ita plures Turrianus, Maldeus &c. (a) speculatiue valde probabilem existimant. Altera sententia existimat. Quod quando vir nobilis recipit contumeliam ab aliquo, si eum insequitur, non quidem ut malum pro malo reddat; sed ut recuperet honorem suum sibi ab alio ablatum per contumeliam illatum: si persequendo illum statim vulneret & occidat, non esset effectus irregularis per mortem illius, dùm modo hoc fecisset incontinenti, cum adhuc esset res calida, non autem si transacto aliquo temporis spatio postquam talis invasor domum reuersus est, sive alia negotia gerit; quia tunc illum occidendo ab irregularitate non excusaretur. Ratio istius sententiæ secundæ est, quia talis vir nobilis affectus tali injuria, magnam honoris iacturam acquireret, si fugientem invasorem non insequeretur, & in casu pos-

su posset licite illum tantùm percutere, quantùm ad sui honorem defensionem esset necessarium, vel etiam occidendo, quando id opus esset, ad suum honorem recuperandum. Si enim poterit quis furem persequi, & illata vi, si id opus esset etiam illius mortis damno recuperare bona illi sublata, quanto majori ratione poterit hoc vir nobilis pro recuperando honore sibi sublato. Jta Henriquez citans Cordubam concordat Nauar. & alij (b) Hæc lego apud Gesualdum capuc: p. 2. Theol: Moral. *tract: 23. cap: 3. de irregular: n. 16. & 17:* qui nec ad primam, nec ad secundam opinionem se determinat. Forte ex eò, quod in multorum sententia Doctorum, non solùm speculatiue, sed etiam practice, probabile est, posse quempiam insequi eum, qui ei alapam impegit incontinenti, ut suum honorem nondum plene amissum recuperet: dicunt ènim hi Doctores, non censeri honorem plene amissum moraliter, sed tantùm esse in fieri, ut amittatur dum percutiens fuit, & fortè opinionis secundæ sunt sequaces. Verum contrarium dicendum. Et ratio est, quia injuria iam est illata, nec repercussione tollitur, etiam in æstimatione prudentum, sed tantûm in æstimatione hominum imprudentum: ergò nullo modo licet invasorem injuriantem fugientem insequi & occidere. Jta Sotus, Molina, Vasquez, Rodriquez Turrianus, Bannes, Maldeus, quos refert & sequitur Lugo *tom: 1. d. 10. n. 190.* Tambur: *lib: 6. cap: 3. §. 3: n. 3.* & propter propositionem sequentem, quæ damnatur ab Jnnocentio XI, in ordine 30.

Quid si honoris inuasor post transactam congressionem alibi jam quietus existit, an possit in-

uasus licite eum repercutere ad recuperandum suum honorem? R. Negativè: quia jam honor amissus est. Jn hoc conveniunt DD. Et idem dicendum est, quando invasor offert insequenti eum etiâm in continenti post iniuriam acceptam satisfactionem, veniam postulando pænitentiâ ductus; ita cum Layman, Dicastillo, Gibalino, & alijs Leander *tract: 2. de irregular: dist: 14. quæst: 5.*

Quid si quis ab aliquo contumeliâ afficiatur, ut si ab eo vocetur infamis, Judæus, leno, & his similia, si similibus verbis, vel verbo mentiris, vel pugnis, vel alapâ, vel fuste sufficienter recuperet, an hoc non obstante possit injuriantem occidere? R. Negativè, quia cum injuria verbalis, alio simili verbo, vel fuste, vel alapâ sufficienter repellatur, ultra moderamen inculpatum, erit injuriantem occidere.

Quid si aliter nisi occidendo non posset honorem suum amissum recuperare, poterit ne tunc aggressorem licite occidere? Affirmant Nanarrus, Henriquez, Bonac: & alij quos refert, & sequitur Leander. *tract: 2. de irregularitate dist: 14. q. 8.* Malletus, *in precept: Decalog: Mallea, tione 27. Bractea 22.* Et idem affirmant plures, si alicui homini honorato publice dicatur mentiris, si simili verbo vel alapâ non possit injuriam repellere. Jta cum alijs Leander *supra quæst: 7.* Et idem dicendum alij existimant, si alicui contumelia gravissima imperfecte proferatur, ut si quis incipiat proferre tu es Iudæ, vel Sodomi &c. si aliter evertere talem injuriam non possit Jta Leander. *quæst: 9. supra.* Verum in his omnibus casibus contrarium dicendum existimant Filliuc, Syluester, Caietanus, Benseldius, Lessius, A-
zorius

zorius & alij, quos refert & sequitur. Diana *p. 3. tract: 4. resol: 12. & 13.* Trullenc *lib: 5. in Decalog: cap 1. dub: 5. n. 8.* Tamburin: *lib: 5. Decalog: c. 1. §. 3. n 6.* Et ratio est, quia verbales iniuriæ verbis repelli possunt. Tum quia sic assolent repelli, etiam apud viros honoratos, & si occisione repellerentur, jam fieret in defensione excessus, cum aliter & soleant, & possint repelli: & ob propositionem supra dictam damnatam cujus tenor est talis. *Fas est viro honorato occidere inuasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit, idem quoque dicendum si quis, impinat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat.* Et Ratio est; nam D. Thom: exponendo textum illum ex D. Paulo *cap: 12. ad Rom: v. 19. Non vos metipsos defendentes ibid: sect: 3. lib: 1. fol: 40. in edit: Romæ anno 1570.* inquit: *non sunt mala proximis inferenda per modum defensionis.* Vbi notandum venit ly *per modum defensionis*, assumitur enim vindicta taliter, quasi honoris non illius qui ex vera virtute oritur, seu ut potissimum dicitur (lingua duellistica ac mundana loquendo) famæ inflatæ, & existimationis, inanis gloriæ apud homines per modum defensionis, & hoc quia ni fallor uti Stoici Gentiles, locant proximi vitam inter adiaphora, id est indifferentia, quibus benè vel malè vti possumus prout placuerit, non verò inter bona superioris ordinis, respectu cujus cætera bona externa minora sunt, ut docet Angelicus Doctor D. Thomas *2. 2. quæst: 73. art: 3* Ita hi tales inter adiaphora illa, annumerant vitam. Si enim non illud Stoicum, sed Christianum & verum principium tenerent, vtique non ignorarent, quod ex

tali principio obligamur magis diligere bona illa ordinis superioris, inter quæ est, ut dixi vita, quàm omnia ordinis inferioris, ut est calumnia, omnes simul injuriæ in nobis, unde nec etiam auderent cogitare, propter tumorem famæ, nondum læsæ; (sed quod deterius videtur) tantùm in solo periculo læsionis, vitam proximo eripere, & tam peruersum dogma statuere. Vnde facultas Lovamiensis censurat, prædictam propositionem, ut nefariam, & injuriosam humanæ vitæ.

a Turrianus 22. *disp*: 27. *d* 3. *n*. 9. Malderus *tract*: 3. *c*. 1. *d*. 14. *solet*: *lib*: 1. *cap*: 79. *S*. 9 quam opinionem Lessius Filliuc: Bonac: & Reginald: speculatiue valde probabilem existimant.

b Henriquez *lib*: 14. *cap*: 10. *n*. 3 *in Glossa it*: *T*. *citans Cordubam Martium & Pennam* Diana *q*. 2. *tract*: 15. *de Miscel*: *resolut*: 15.

§. VII.

De Irregularitate ex homicidio facto ob defensionem rerum temporalium.

DUBIUM I. *An unusquisque ob defensionem bonorum suorum temporalium magni momenti, si alter ea defendere non possit occidere eorum injustum invasorem absque peccato & irregularitate?* ℞. *affirmativè.* Ita colligitur & cap, *Olim de rest: spoliat*: *cap*. 3. *de homicid*:. Tum quia vim vi repellere licet. Tum quia colligitur ex cap *Interfecisti de homicid*: *volunt*: ubi de Laico deciditur, *si autem sine odij meditatio*-

ne, te, tuaque liberando, hujusmodi diabolis membra interfecisti [*secundum indulgentiam dico propter imaginem Dei*] *si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi, & eleemosynam, fac largiter* Est consilium non præceptum. Etiam colligitur ex cap. *Dilecto de sent: excommunic: in* 6: & Glos. *suffragari*, ibi loquitur de executione gladij temporalis, non in modum justitiæ sed defensionis, quò ad bona externa dicens, *quo gladio cuilibet privato licet uti.* Tum quia ex sacra scriptura Exodi 22. *Si effringens fur domum, sive suffodiens inventus fuerit, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Tum quia ita etiam *in l. Furem* §. *de siccar: & in leg: Itaque* §. *Sid: leg: Aquil:* hæc omnia intelliguntur in foro conscientiæ, & cum limitatione. Primò, ut defensio fit pro re notabilis valoris ad suæ, vel suorum vitæ necessariam sustentationem. Secundò ut id fiat incontinenti, & non temporis intervallo, ut quando cæpta invasio continuatur, vel fur cum furatis bonis aufugiat, tunc potest invasus fugientem sclopo, vel sagittâ transfodere ad propria bona recupoperanda, si periculum adsit, ne ea occultet, vel consumat. Docet Glos: *moderamine* in cap. *significasti* 2. de homicid: Volunt. *Si autem vis infertur rebus, licitum est repellere* illatam vim, & incontinenti & inferendam &c. sicut etiam assentitur de vi illata personæ in gl: *legibus* in cap. 3 ibidem. Ratio est quia bona temporalia sunt necessaria, vel ad vitæ sustentationem, vel ad dignitatem proprij status conservandam, alioquin daretur furibus occasio ad sæpius furandos uiros conscientiæ timoratos, & nihil esset illis tutum, si defensio necessaria bonorum non

esset

tesse licita ideòq; eorum defensione percutiendo sive vulnerando aut furem occidendo, quis non peccat, quando aliter talia bona defendi non possunt, ut probabilius sustinent Sylvestr: *V. Homicidium* 1. *n.* 5. Valentia *p.* 4. *q.* 1. Layman *lib:* 3. *tract* 3. *cap.* 3. *n:* 4. Azor, Filliuc, Diana & alij. Debet tamen res furtiva, ob quam invasor occiditur, esse magni momenti. Undè non pro parva re v. g. pro furto unius aurei extra causum extremæ necessitatis occidendus est homo; sed considerandæ sunt circumstantiæ loci, temporis, occasionis, & rei ablatæ, judicio prudentis. Ita Molina Lugo. Secùs si à divite vel à Rege; nàm tunc, nec quatuor, quinque, vel decem aurei sufficiunt, debet igitur attendi persona à qua res aufertur, an afferat illi magnum detrimentum, debet igitur res ablata esse magna, vel ex se, ut si sint viginti aurei respectu hominis ditissimi, vel unius vel duorum aureorum respectu pauperis cujus integrum patrimonium in eo aureo vel duobus aureis residet. Ita cum multis Iambur *lib:* 6. *cap.* 5. 2. *n.* 2. Non potest autem regulariter dici licere occidere furem pro conservatione unius aurei, quia est propositio inter damnatas ab Innocent. XI. in ordine 31; cujus tenor est talis *Regulariter occidere poßum furem, pro conservatione unius aurei.* Meritò quidem cum appertè opponatur justitiæ, eò quod (ut Theologi docent) vita est ordinis superioris; conservatio verò unius aurei vel plurium, ut potè bona externa annumerantur inter bona inferioris ordinis; Ergò inter occisionem, & aurei conservationem non servatur æqualitas; Ergò nec justa & propria compensatio cum hæc æqualitatem

rem importet. Compensatio enim est debiti & crediti inter se contributio. Ex Modesto *ʃ. de compensat.* Et insuper oppositionem dicit cum charitate, quia ex Matth. 22. v. 39. habemus. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum;* Ergò si magis diligimus bona infima, quàm proximi vitam, non diligimus proximum uti nos ipsos.

DUBIUM 2. *An Clerici vel Regulares invasorem rerum suarum, sine metu peccati & irregularitatis, poßent occidere, servato moderamine inculpatæ tutelæ, ut rem gravem defendant.* R. *affirmativè* Nam quamvis Religiosi propter votũ paupertatis non possunt habere proprium, sufficit tamen, quod habeant usum rerum, vel in cõmuni vel in particulari, quarũ custodia ipsis commissis est vel à Dominis, vel à Sede Apostolica, ideoq; possunt licite defendere etiam bona temporalia, ad eorum usum concessa, cum hac tamen limitatione quo ad Clericos, & Regulares, quòd liceat cum debitis circumstantijs supra allatis, defendere bona externa etiam vulnerando, & occidendo, quæ sunt simpliciter necessaria ad ad vitam sustentandam. Secùs de rebus quæ inserviunt ad commodè vivendum ut conceditur, Laicis, secundum conditionem proprij status quod [salvo meliori judicio) concedi non debet clericis; fundamentum sumitur ex jure Canonico, ut supra ostensum est, quod prohibet Clericis uti armis. Favet huic limitationi Alexander III. scribens Abbati S. Benedicti de Tobin, Cap, *suscepimus* de homid: Volunt: ubi de regulari loquens ait, *Verum quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus & transitorijs tam acriter in*

alios

alias exardesceret scilicet occidendo. Et Gloss *ligaverunt* ibidem *Clericus verò sua defendendo, non debet armis resistere, nec aliquem propter res interficere.* Item de sent: Excommunici *in 6.* Gloss *Bonis* in cap *Dilecto. Ergò licet defendere non solum personam, sed bona: tamen pro defensione bonorum non licet sic sævire. sicut pro defensione personæ,* Et ibi est sermo de Clerico. Hujusmodi jura intelliguntur de rebus quæ non sunt absolute necessaria pro vita sustentanda, quia defendendo bona necessaria, ad vitam consequendam, debet Clericus sic sevire, sicut pro defensione personæ, ut probatum est ex ipsis juribus. Ita Bonavent: Bontempio de Iano, noster *in Fasc: flor: moral: tract: 7 de 5. Præcept: Decalog. Tit: 1.* Quidquid dicant noster Pr: Mastrius, Bonac: Less: Bannes, & alij putantes, sententiam affirmantem posse Clericos indistincte defendere bona necessaria ad vivendum & ad convenienter vivendùm, sicuti personam esse probabiliorem, cum ex juribus patet contrarium: hinc ad iura concordanda limitationem à Patre Bonaventura de Jano adducto suppono esse rationabilem, imò necessariam, existimo. Neque Mastrius glossando verba citata cap: *suscepimus* dicens intelligenda esse, quando non servatur moderamen inculpatæ defensionis, assequitur suū intentum, & verum sensum ipsorum; quoniam ibi Alexander III absolutè determinat, debere clericum sustinere jacturam suarum rerum, prohibens usum armorum, pro defensione, sive cum moderamine, sive absque moderamine inculpatæ tutelæ; quod patet ex illis verbis sequentibus. *Constat enim in eos contra mansuetudinem Ecclesiasticam ex utri-*

utriusque ope interemptos: unde etiamsi cum moderamine inculpatæ defensionis concurreres ad furis interemptionem, adhuc operaretur contra mansuetudinem Ecclesiasticam. Favet huic explicationi gl: *ligaverunt* ibidem. *Clericus verò sua defendendo, non debet armis resistere, nec aliquem propter res interficere.*

§. VIII.

De Irregularitate quæ oritur ex Chirurgia, seu medicina exercita.

DUBIUM I. *An Clerici & Religiosi in sacris constituti possint sine nota irregularitatis medicinam seu Chirurgiam exercere?* ℟. *negativè* maxime abscindendo vel adurendo ex Cap: *sententiam sanguinis ne Cleric: vel Monachi* & cap: *Tua nos de homicid:* ubi inter alias prohibitiones cooperationis ad mortem alterius dicitur: *nec ullam chirurgiæ artem, subdiaconus, Diaconus, vel sacerdos exerceat, quæ ustionem vel incisionem inducit.* Et quia cum lex stricte sit interpretanda, ideo de solis Clericis, vel Monachis in majoribus ordinibus constitutis, non item de minoribus est intelligenda, monent DD. communiter. Ita Diana *p. 4. tract: 2. resol: 24.* Clericus ergò vel Monachus in sacris constitutus contra prohibitionem exercens Chirurgiam per sectionem vel ustionem, etiam omni adhibitâ cautelâ ne mors sequatur, si ea nihilominus præter ejus omnem intentionem per accidens, & mere casualiter sequitur, adhuc irregularis est, ex speciali constitutione juris. Communissima DD

apud

apud *Mol: Leß: Layman: Filliuc: Dianam sæpè cit:* Constat ex cap: *tua nos de homicid:* ubi Pontifex requisitus, sit ne irregularis & à sacris arcendus Monachus quidam chirurgus qui mulieris tumorem gutturis curare volens, ferro incidit, expresse prohibens ne se vento exponeret, ne forte aër subintrans causam mortis adferat; illa verò neglecto salutari mandato, messis causâ vento se exponit, & vento subintrante scissuram multum sanguinis effundens diem suum obijt. [Ecce tibi omni adhibita cautelâ, homicidium mere casuale omninò involuntarium] ℟. Pontifex *quod licet Monachus multum deliquerit alienum officium usurpando quod sibi minimè congruebat, si tamen causâ pietatis, & non cupiditatis id egerit, & peritus erat in exercitio chirurgia, omnemq; studuit, quam debuit diligentiam adhibere, non est ex eo quod per culpam mulieris, contra consilium ejus accidit adeo reprobandus, quod non post condignã satisfactionem, cum eo misericorditer agi poßit, ut Divina officia valeat celebrare, alioquin interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio de rigore.* Hæc Pontifex satis clare. Cæterum quamvis tale non sit verum forte homicidiũ, contra quintum præceptum Decalogi *Non occides:* censetur tamen homicidium ex interprætatione Iuris ob reverentiam Divinorum, ad irregularitatem ex homicidio incurrendam sufficiens, ut notat Filliucius cit: *cap. 20. 9. 6.* Quamvis non desint aliqui, qui satis probabilem existimant hujusmodi textum, solùm lo- qui de Clericis vel Monachis imperitis, non verò de doctis in medicina & chirurgia: nam tunc textus fateretur de non homicida, homi-

cidia

cida siquidem doctus, si procedit secundùm artem, non potest esse causa mortis, sed erit causa mortis vel gravitas infirmitatis, aut intemperantia infirmi: sed non bene hujus sententiæ sequaces legerunt textum in cap: *Tua nos de homicid:* Cujus hæc sunt formalia verba, Monachus chirurgiam exercens, si ex ea mors sequitur, irregularis est, etiamsi sit peritus & diligens, & hoc fuerit pietatis causâ: sed cum eo post satisfactionem misericorditer dispensari potest. Rationem dat Fagnanus, *in 1. parti: V. libri Decretal: De homicid: C. Ad audientiam.* Quia cum ars chirurgiæ sit ei interdicta, sive sit in arte peritus, sive non, & sive fuerit diligens, sive negligens, indistinctè tenetur de casu fortuito, quia dedit operam rei illicitæ, & de hoc est textus expressus in d. cap: *Tua nos*, ubi ille Monachus erat peritus in arte & omnem adhibuit diligentiam, & nihilominùs declaratur irregularis: & est ratio ex Fagnano loco *supra cit:* quia multùm deliquit alienum officium [idest chirurgi vel Medici] usurpando, quod sibi minime congruebat, licet cum eo misericorditer dispensetur.

Dices. Jrregularis fit Chirurgus, si propter ejus imperitiam mors secuta fuerit ex incisione, vel adustione quam fecit, ut cap. *Tua nos § 1.* infra eod: secus, si adhibet omnem diligentiam, quam debet, non efficitur irregularis, quia præsumitur evenisse potius culpâ ægri aut aliás quàm ex chirurgi negligentiâ vel imperitia Cap: *de occidendis 23, quæst: 5.* Cap: *Ad aures supra de ætate & qualit:* Ergò etiam Clericus in sacris constitutus, jam, vel sacerdos exercens artem chirurgiæ vel me-

dicinæ etiam in materia adustionis, vel incisionis, dum fuerit peritus, diligens, & adhibuerit omnem possibilem diligentiam, quamvis sequatur mors; in tali casu mors præsumitur evenisse culpâ ægri, aut ex alio titulo, & non culpâ sacerdotis. ℞ Nego Consequentiam & paritatem. An Chirurgus vel medicus sit peritus, & omnem diligentiam adhibuerit, nec ne procedit in laico, nam cum ei phisicæ, vel chirurgiæ ars permissa sit, casus fortuitus non est illi imputandus; si fuit peritus, & nihil omiserit de contingentibus, quia dedit operam rei licitæ cap. *Dilectus cum duobus seq: infra eod:* nisi probabiliter dubitet ex ejus negligentia vel imperitia aliquem periisse, quia tunc propter dubium prohibetur à promotione *juxta text: in d. cap. Ad aures de ætat: & qualit:* Secus dicendum de Clericis & Monachis in sacris constitutis, qui sive sint in arte Chirurgiæ & medicinæ periti, sive non, sive diligentes, sive non, indistinctè tenentur de casu fortuito, quia dederunt operam rei illicitæ.

Dices. Exercete artem chirurgiæ vel medicinæ, hoc in jure non prohibetur. Sacerdoti vel Monacho, imò videtur quod approbetur cap. *ad aures de ætat: & qualit:* ubi Clemens III. respondet cuidam Canonico Coloniensi, quòd nón incurrerat irregularitatem, quia infirmus, quem curaverat, mortuus fuit ℞. Dist: Anteced: non prohibetur specialibus & expressis verbis Con: prohibetur tamen verbis generalibus, quatenus interdicuntur Clericis & Monachis omnia exercitia sæcularia. Patet autem quod exercitium artis medicinæ, & chirurgiæ, est exercitium sæculare, ac proinde Clericis & Monachis prohi-

prohibitum *sic habetur cap: Clerici 2. de vita & honestate clericorum cap: 1. & sequ: ne Clerici vel Monachi* Ad cap *ad aures* ℞. Quod irregularitas, non incurratur ob periculum mortis, sed ob mortem ipsam, & sic non prohibetur hoc exercitium ob periculum mortis, sed ob indecentiam, quia dedecet quod Clerici vel Monachi exerceant artem medicinæ & chirurgiæ, etiam citra incisionem.

DUBIUM 2. *An prohibeantur Clerici & Religiosi citra mortis periculum, exercere artem medicinæ, & chirurgia, causâ pietatis & necessitatis & omnino gratis?* ℞. *affirmativè* Eò vel maximè erga pauperes & miserabiles personas, quia hoc modo non dicitur exercitinm sæculare dedecens statum Clericalem & Monachalem quando præsertim non sunt, qui infirmos pauperes gratis curare velint, nam in tali casu lex positiva Ecclesiæ non debet præjudicare juri naturali, & legi charitatis. Hinc Molin: *tom: 4. tract: 2. disp.* 57. *num: 3.* meritò ab irregularitate excusat quendam sacerdotem, qui ingravescente per urbem peste, plurimorum apostémata incidit ex arte, curavitque ea felicitate, ut multis centenis hominibus vitæ ac sanitati restitutis, duo tantum obierint: quia [ait Molina) propter Epikeiam judicandum non est sacros canones tantum charitatis exemplum bonique publici utilitatem voluisse irregularitate mulctare. Et ibidem ab irregularitate excusat clericum, qui solum venam aperuit infirmo, unde eidem mors secuta est eò, quod venæ sectio non sit chirurgia propriè, quam sacer Canon damnat in Clerico sed potiùs ad tonsores spectat, quam chirurgos. Omnino probabiliter

quamvis alij oppositum sentiant apud Lugo & Tamb: Ex his.

Collige 1. Non improbaliter Monachus vel Clericus in sacris etiam extra necessitatem exercens chirurgiam, secando vel urendo, ex arte, adhibitâque debitâ cautelâ, nè mors sequatur, adeoque exclusâ omni culpâ in materia homicidij contra quintum præceptum; & si adhuc peccet contra prohibitionem SS. Canonum, non tamen erit irregularis, si præter omnem intentionem merè casualiter accidat mors infirmi. Ita Coninch, Diana (a] Et favet Glos ipsa *in cit:* C. *Tua nos Verb: alioquin*, ideſt non erat peritus, & si non adhibuisset diligentiam, quam debuit si ex cupiditate fecit &c. tunc scilicet *interdicenda est ei sacerdotalis Ordinis executio*: ergò censet Pontifex, Monachum illum non fore irregularem, si in arte peritus diligentiam debitam adhibuit. Ratio est: quia irregularitas ex delicto homicidij etiam casualis non incurritur ex sola inobedientia seu transgressione cujuscunque præcepti, sed ex actione efficiente reatum homicidij: in proposito autem abest reatus homicidij, quippe cujus periculum per debitam cautelam sufficienter exclusum; & certè cum similia remedia fiunt ex arte, mors non præsumitur contigisse per applicationem mediorum, sed propter gravitatem morbi vel vulneris, vel etiam ex culpa ipsiusmet infirmi: ergo etiam debet abesse pæna irregularitatis.

Collige 2. Certum esse & in confesso apud omnes, si dictus Monachus vel clericus in sacris constitutus, peccet contra artem in secando, urendo imprudenter, vel incaute se habendo

do morte secutâ fore irregularem ex delicto homicidij non iam merè casualis, sed mixti & indirectè voluntarij, quippe cujus periculum prævidit, vel certe prævidere debuit, tamen sufficienter minine præcavit. Unde universaliter Clericus, monachus, vel quicunque alius, si non adsit periculum in arte, ipse venam secet, vel quodvis medium applicet, si bona fide faciat, & in necessitate, maximè quando desperata salute infirmi, tale medicamentum probabiliter salutem allaturum speretur non peccat, nec irregularitatem incurrit secuta inde morte infirmi, quando absente laico, jus naturale & lex charitatis exigeret mederi clericum etiam in sacris constitutum ob rationem sæpe dictam: quia lex positiva Ecclesiæ non debet præjudicare juri naturali, & legi charitatis. Certò autem incurreret, si imprudenter & incautè se gereret, Vnde *à sacra Congregatione de propaganda fide, concedi solet Missionarijs decretum sequentis tenoris.* S Congregatio censuit concedi posse dispensationem petitam concurrentibus infra scriptis conditionibus, videlicet, ut sacerdos Missionarius sit peritus in arte medicinæ & chirurgiæ, & eam gratis exerceat, & absque incisione, & adustione operetur & in illo loco, ubi Missionarius degit, non sint medici laici, sed ex his.

Quares 1. Quomodo se gerere debeant hujusmodi Missionarij in illis partibus, quando ob evidens periculum vitæ alterius patientis necessarium esset aliquam ex præcipuis corporis partibus incidere. ℞. Quod in tali casu necessitatis potest facere, quæ sunt facienda, juxta peritiam artis medicinæ, & chirurgiæ, eò vel

maximè, quando nec adest medicus, & chirurgus laicus: nam jus ipsum naturale sic exigit, excusatque necessitas ac pietas. Hinc vir exquisitæ eruditionis, nec absque candoris, & virtutum doctrinæque elogio nominandus, Pr. Gabriel à S. Vincentio Carmel: excalc: consuluit quendam Religiosum Missionarium, quod in suis missionibus ubi non sunt, qui facile curare possint infirmos posset exercere dictam artem, sive mortis articulo ex tali exercitio secuto, cum esset valde peritus in medicina & chirurgia. Ita & Molina, Sayr, Bonac: [b]

Quares 2. Cùm unus ex dictis Missionarijs ad præservandum brachium & vitam cujusdam in digito vulnerati ipsum digitum inciderit, an incurrerit irregularitatem? ℞ *negativè.* Atque ita quod ad utrumque casum, declaravit Sacra Congregati Concilij in una Chinen Irregularitatis die 9 Februarij 1669. Hinc Congregatio particularis sub die 28 Novembris 1641. pro Missionarijs Æthiopiæ unanimiter censuit in casibus necessitatis, sacerdotes Missionarios, posse licite mederi, neque egere dispensatione. vide Dianam *part: 4. tract. 2. resol. 23.*

a. Coninch Diana *p. 11. tract: 2. resol. 8.*

b. Molina *disp: 8. num: 11.* Bonac. *de irregular: quæst: 4. p. 5. num. 4:*

DUBIUM 3. *An medicus arte peritus, ex arte infirmis operam navans medicamenta præscribens, de utilibus & noxijs monens,* cum his tamen circumstantijs plerique infirmi, præter ejus intentionem moriuntur, an peccet, ac irregularitatem incurrit? ℞. *negativè* Neque peccat nec irregularitatem incurrit, idque etiam si Clericus sit vel Monachus: nàm quidquid sit

de hac

de hac prohibitione, certum est pro exercitio medicinæ, sine sectione vel ustione nullam esse irregularitatem decretam. Vt constat ex cit: Canonibus C. *sentent*: *c. Tua nos* ubi Glossa Canonistæ & DD. communiter.

Dices Si medicus, ex arte operans, secuta morte infirmi nulla irregularitate afficitur, cur ergo Iudex ex virtute justitiæ malefactorem capitis damnans, secuta morte irregularis efficitur? ℟. Pro ratione principali debere esse voluntatem Pontificis ita disponentis. Ratio autem congruentiæ est: quia Judex sua actione mortem malefactoris, juste licet intendit, & vult, quæ intentio videtur maculare lenitatem, quam Ecclesia in suis ministris requirit; at medicus nullo modo infirmi mortem, imò sanitatem, & vitam per se intendit.

Quid si medicus ob imperitiam vel negligentiam, vel aliquid aliud infirmi mortem causet, promoueat, acceleret, aut permittat culpabiliter; an in tali casu peccet & incurrat irregularitatem? ℟. *affirmativè*. Nam peccat mortaliter contra justitiam & 5. Præceptum Decalogi, & etiam irregularitatem secuta morte incurrit quippe cujus causa injusta est. Idemque dicendum est de ministris, & assistentibus tali medico si advertant ejus imperitiam, & ipsi cooperentur. Idem dicendum, de Pharmacopolis, si medicamenta corrupta pro bonis vendant, unde mors alicujus sequatur, ut ex communi notat Tambur *n.* 23. *supra cit.*

Quid si medicus ægro etiam desperato concedat quæcunque libent appetitui vitiato, etiam manifeste noxia, si inde mors notabiliter acceleretur, an tunc peccet & irregularis fiat? ℟. *affirma-*

tivè Crudelis enim est pietas ista, quamvis mortem citiùs subire faciat. Idem dicendum de medico, qui curans feminam prægnantem, pharmacum propinet, vel venæ sectionem præscribat cum magno periculo abortûs fetûs animati, siquidem peccet contra 5. præceptum, vtique irregularis erit; secus si non ita peccet.

DUBIUM 4. *An liceat Medico præbere mulieri prægnanti in certo etiam periculo mortis constitutæ potionem ad procurandam abortum, sivè fetus sit animatus sivè non, sine macula homicidij vel pœna irregularitatis?* Hoc est majus dubium. R. *Negativè.* Ratio ipsa suadet: procuratio enim abortûs, etiam ante animationem fetûs est mortale peccatum juri naturali contrarium. Prolis nempe conceptionem, quæ ex naturali copula secuta fuisset impedire, est contra naturam finemque naturalem generationis, ac proinde nullius boni finis intentione honestum ac licitum fieri potest. Et certe cum ad vitandum mortis periculum, quod mulier sibi ex partu imminere experta est, aut quod ex detectione criminis certo imminet, si mulier concipiat, & fetus in lucem prodeat, non licet impedire conceptionem. Id etiam non licet ad vitandum mortis periculum aliunde impendens. *Quia homicidij festinatio, est prohibere nasci.* Tandem si matri subveniri non potest, sine periculo perdendi fetum, quem animatum esse, vel certum est, vel certe dubium, sinat medicus perire matrem, potiùs quàm vitam infantis tam corporalem, quàm spiritualem periculo committat, secundùm illam sententiam, quæ in corpore Iuris Canonici *Causa XIV. Quæst. V. Can: Denique, ex S. Ambrosio* refertur. *Si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commo-*

dius est neutrum juvari, quàm gravari alterum. Quantum ad pænam abortûs, certum est, qui abortum animatum causat, fit irregularis. Ita communiter DD. Secus dicendum est, si fetus non sit animatus; siquidem vere hominem non occidit. Peccat tamen graviter mortaliter, id faciens, quia datâ operâ impedit semen jam effusum, & fetum à suo fine naturali, qui est generatio hominum. Sic Sanchez. Azar (a) non erit tamen proprie homicida, sed veluti homicida. Ita Less Layman. Nec etiam incurrit irregularitatem qui abortum causavit, si dubium sit, an fetus sit animatus. Ratio est, quia in dubio fetus præsumitur inanimatus, & quando jus disponit, quod in dubio homicidij debet quis se reputare irregularem intelligitur quando constat de homicidio, & dubitatur, quis ex pluribus ad illud concurrentibus occiderit, secus si dubium sit, an subjectum læsum sit homo, nec ne? Ita Gibalinus *c. 2. de irregularitate q. 1. consect: 71* & probabile putat Diana *p. 4. tract: 2. resp: 16.* Incurrit tamen irregularitatem, qui causam dedit abortui fetûs inanimati, si mater inde perijt; quia abortus, semper est matri periculosus. Ita Gibalinus *cap: 4. consect. 6.* Idem dicendum est de saltante obscæne & immoderate cum muliere prægnante, si inde fetûs animati sequatur abortus, secus si saltus non fuêre adeò immoderati, ut meritò ex illis non timeretur abortus. Ita Henriquez *lib: 14. c. 5. n 247.* Non incurreret etiam irregularitatem Monachus ludens etiam turpiter cum muliere prægnante, nisi forte ex nimia compressione, vel alia causa moraliter culpabili, quam prævidit, & cauere non curavit, abortus secutus fuit. Ita Bonacina *disp: 7. q. 4.*

p. 7. n. 22. Et idem dicendum est de eo, qui mulierem prægnantem, fecit intrare per tectum, vel loca periculosa absque vi, sed consilio & hortatu, eam tamen aduertens de periculo, si forte illa minùs caute cecidit & mortua est, aut abortivit; siquidem in hoc casu non consuluit mortem, sed actionem periculosam, quam si illa caute faceret non abortiret, vel moreretur Unde abortus vel mors illi imputari non potest. Ita Gibal; *c. 4. de irregular: qu: 2. Censect: 8. Versu 3.* Nec etiam incurrit irregularitatem, qui dat viro vel mulieri venenum sterilitatis, ne possint generare, quia ille non causat homicidium.

a Sanchez *libi 9. de matrim: disp: 20. n. 2.* Azori *instit: moral: tom: 1. lib: 2. cap: 4.*

DUBIUM 5. *An medicus applicans medicinas dubias quando est desperata salus peccet, & contrahat irregularitatem secuta morte?* ℞. Ex Thoma Sanchez *lib: 9. disp: 20. n. 19. Negativè.* Eò vel maximè, quando infirmus est desperatus, & non datur remedium certum nec probabile. Jta cum Malleto & alijs communiter. *Fr. Christophorus à S. Ioseph apud R. P. à sp: S Episcop: Angolens.* Tum quia nocendi periculum modicum est, cùm enim eo minime applicato nulla vitæ spes super sit, ad summum id damni inferret, ut mors aliquantulum anticipetur: perficiendi autem expectatio, si res feliciter contingerit magna est, condonabitur enim vita omnino illius spe destituto. Tum quia inter duo mala, quorum alterum necessariò eligendum est, minus præferendum esse. *C. Duo mala &c. Nerui 13. d.* at minus multo malum est dubia mors aliquid spei salutem habens, cum solo periculo, aliqualis anticipationis, quàm omnino certa. Eandem senten-

sententiam tenet *Almain* ut referunt tacito loco DD. contrarij. Imo credendum in hoc euentu teneri medicum ea adhibere quamvis dubia medicamenta. Tum quia tenetur minus malum ægroti eligere ut probatum est : tum quia ex officio ei incumbit, ea media ad salutem infirmi instaurandam apponere, quæ prudentia periti medici dictat, legesque artis medicandi præscribunt, at in similibus euentibus docent DD. satius esse anceps & dubium auxilium experiri, quàm spe prorsùs destitutum sivè infirmum perire. Ut rectè docet Cornelius Celsus, *de re medica lib. 2. cap. 10. ad medium his* verbis. *Si nullum aliud apparet auxilium periturusque sit, qui laborat, nisi temeraria via fuerit adiutus, in hoc casu boni medici est ostendere : quod nulla alia spes sit, fateriqùe quantus in hac re metus sit. Et tunc demum si exigetur, applicare. De quo dubitari in ejusmodi re non oportet.* Satius est enim anceps auxilium experiri, quàm nullum. Tenetur ergo medicus ad id. Tunc enim tutius est medicamentum adhibere aliquo modo dubium, quàm nullum ; & quia nullum adhibendo, certus est medicus de morte infirmi. Ita & Valentia (a) cum alijs auctoribus, & noster Pater Bonaventura de Iano, Patritius Sporer Passaviensis. Secus autem est dicendum cum infirmus est in statu recuperandæ salutis, & non penitus desperatæ, & dubitatur de hac vel illa medicina profutura vel nocitura, sequi debet medicus opinionem tutiorem, quæ secundum artem talis judicatur. Ita à pari *de præsumt.* cap. *illud* de Homicid: volunt. cap; *petito.* & ibidem cap: *Tua nos* : & etiam ex determinatione Ecclesiæ ; aliter peccat medicus. Ratio est, quia morbi expulsio non pendet, ex o-

pinio-

pinione magis vel minùs probabili, sed præcise ab efficacia medicamenti, ita se habenti à parte rei, ut insitam habeat virtutem morbum expellendi, & utendo illo medicamento posito sub opinione minùs probabili, se exponit manifesto periculo, nocendi & damnum inferendi. Ita Sylu. Nau; Sanchez & alij (b)

a Valentia *22. disp:* 3. *quæst: 10. p. 2.* Pater Bonau: de Iano: *tract: 1. de Conscient: tit: 4. n. 42*, Patrit: Sporer, Passau: *tract:* 1. Proæm. *cap. 6. de conscient: probab: S. 2. de medit: & chirurg: n. 59.*

b Sylu: *V. medicus qu: 4.* Vasquez, Azor,, Layman, Bonac, Portellus & noster Pater Mastrius.

DUBIUM 6. *Quod si medicus optima aromata præscribat, & aromatarij corrupta misceant, & indè sequatur mors, quis eorum sit obnoxius irregularitati?* R. Non medicus sed pharmacopola incurrit irregularitatem. Idem dicendum de Infirmario si aliquam potionem amaram infirmo præbeat contra medici prohibitionem, si indè mors sequatur vel acceleretur, Ita cum communi Bonac, *disp: 7. qu: 2. p. 2. n.* 12. Idem dicendum de medico incurrente irregularitatem, si habens certum medium præbeat infirmo dubium, & infirmus postea moriatur; vel si ignorans affectum morbi alicujus, illum nihilominus curandum suscipiat, si mors sequatur; fuit enim mors secuta ex imperitia medici. Gibalin: *c. 4. q. 2. Consect: 11. n. 27.* Idem dicendum de medico illo, qui noxios cibos concedet infirmo desperato, nisi fortè infirmus maxime illos apeteret, nam aliquando concedere posset; quia sæpè cibi, qui videbantur no-

xij, proficui aliquibus fuere, multos illos desiderantibus. Non incurrere tamen irregularitatem Medicum, qui non habens remedium certum, præbet infirmo probabile. Nec qui præbet dubium, quando infirmus est desperatus, & non datur remedium certum, nec probabile. Ita cum Malleto plures Summistæ. Idem dicendum si ignorans, qualitatem morbi, præbeat infirmo leve medicamentum, donec qualitas morbi appareat; & si fortè infirmus moriatur. Gibal: *supr:* V. 3. Nec etiam incurrit irregularitatem medicus, si nolit aliquem infirmum curare, & si inde contingat mori infirmum; etiam in casu quo medicus sit publico, vel privato stipendio conductus, quia licet contra justitiam peccet, non impediens mortem infirmi, non tamen vere physice necat, ut erat necessarium, ad incurrendam irregularitatem ex delicto, qualis est hæc. Ita Vasquez Turrianus, *lib:* 9. *de Cens: disp.* 63. *dub:* 5. *p.* 4. *tract:* 1. *resp:* 7. Lugo *tom:* 1. *de justitia disp:* 10, *n.* 19.

§ IX.

De Irregularitate, quæ incurritur ob voluntariam mutilationem illicitam

Suppono ut certum non solum ex homicidio voluntario ut supra ostendimus, incurritur irregularitas, verùm etiam ex voluntaria & illicita corporis mutilatione, ut definitur in cap. *Archiepiscopus* de præt: *cap.* 1. *de Cleric. pugnan.* Est autem mutilatio propriè sumpta, membrâ abscis-

abscissio & amputatio, quod colligitur ex Reg: cap. *Accusasti Versic: debilitatus de accusat.* Ratio est, quia cum anima vivificet corporis membra, quoties habetur mutilatio, seu amputatio alicuius membri, cessat illud animare consequẽter deperditur aliqua pars vitæ: quo fit ut mutilatio censeatur partiale homicidium: idque etiam intelligitur, quando quis se ipsum mutilat, quia cum non sit suorum membrorum, nec propriæ vitæ Dominus, injustitiam tunc committit, proinde fit irregularis ratione injuriosæ mutilationis, quinimo incurrat irregularitatem, qui se ipsum mutilat ex recta intentione, ut qui se ipsum castrat ad melius servandam castitatem, ut colligitur ex cap. *si quis abscindit*, & cap. 1. *Is cui* dist: 55. & nos infra per totum, hanc materiam tractabimus.

DUBIUm 1. *Qua nam abscissio ad mutilationem sufficit?* R. Certum est enim non sufficere solam sanguinis effusionem quamvis copiosam, & ex pluribus ortam vulneribus, ut cum Navar: *n. 123.* docent communiter Canonistæ. Ratio est, quia sola vulneratio, & sanguinis effusio, non est mutilatio proprie consequenter, ob sola inflicta vulnera, & sanguinis effusionem, non incurritur irregularitas. Nec obstat Martini V. privilegium concessisse aliquibus Religiosis, dispensandi in irregularitate ex homicidio, mutilatione, & enormi sanguinis effusione; nam hanc postremam particulam, vel fuisse additam, ad pellendos scrupulos, vel non esse sumendam perse solam, sed conjunctive cum alijs præcedentibus: etenim quo mutilatur, fit cum majori sanguinis effusione ac multiplici vulnere, eò irregularitas est difficilius dispensabilis. Rursus

sus, nec est proprie mutilatio frustum aliquod carnis abscindere, quia mutilare propriè significat, membrum aliquod amputare; & caro non est propriè membrum.

Quod si quaeras, quid propriè intelligatur nomine membri, quando in jure imponitur irregularitas, mutilanti? R. Secundum communem sententiam, per membrum intelligi, in corpore humano partem illam; quae est quasi integrũ instrumẽtum proximum alicujus actionis, habetq; distinctũ officium ab alijs, uti oculus ad videndum, nasus ad odorandum, lingua ad loquendum, manus ad palpandum, aures ad audiendum, pedes ad ambulandum, & alia hujusmodi, ut notat Covarr; Clement: *si Furiosus p. 3. n.* 8. Ratio etiam suadet, ex D. Paulo *ad Roman: 12.* ubi ait, *In uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent.* Tum quia idem Apostolus ad Corinth: 12. asserit, membra in corpore habere distinctam operationem, quapropter *in cap. 1. dist: 89.* refertur illud Gregorij: varietas membrorum, per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem repraesentat. Ratio itidem est, quia tametsi in Physicis, quaelibet pars heterogenea corporis membrum dicatur, in materia tamen morali, non sumitur cum hac ampliatione, alioqui qui unguem vel partem digiti eidem annexam amputaret, fieret irregularis, quod nemo concedit. Quinimò neque, abscissor integri digiti contrahit irregularitatem, tametsi digitus index sit aut pollex. Ratio est, quia digitus non est membrum, sed tantũ pars membri; non enim habet speciale munus, neque specialem operationem distinctam à manu. Tum

quia lex

quia lex pænalis restringenda est ad sensum proprium, & expressum in jure: sed digiti quibus manus inservit seorsim sumpti, & per se non sunt membra, sed inferuntur membro, ut partes illius. Ergo abscissor alicujus digiti non incurrit irregularitatem latam contra mutilantes.

Quod si quæras An incurrat hanc irregularitatem, qui ita debilitavit membrum aliquod ut illud reddiderit ineptum ad usum, ad suum præstandum officium ac munus? ℟. Cum Fælice Verano, *negative.* Quia mutilatio non salvatur in debilitatione membri; sed in abscissione & amputatione ejusdem ut communiter docent Canonistæ cum Panormit: cap. 1. *Qui Clerici n. 9.* Ratio est illa generalis, quia cum irregularitas hæc sit pæna, non incurritur nisi in casibus à jure expressis: atqui nullibi in jure reperitur, quod imponatur irregularitas, contra debilitantes membra, sed tantùm contra mutilatores, seu separantes membrum aliquod à toto corpore. Tum quia membrum duntaxat debilitatum, & non amputatum non desinit esse membrum in corpore. Tum quia tametsi membrum ita debilitatum sit, ut evaserit inutile in ordine ad suum obeundum munus, valet adhuc ad decorem & ornatum corporis, consequenter non est censendum seperatum per mutilationem à corpore: verum tamen est, quod si quis tale membrum ita debilitatum, postea injuriosè abscinderet à corpore, incurreret procul dubio hanc irregularitatem; quia per talem sejunctionem membri à corpore, habetur vera & formalis mutilatio ob quam imponitur irregularitas. Quod si ex injuriosa percussione

non

non modò membrum percussum debile maneret, verùm etiam aridum & emortuum, licet adhuc unitum corpori, tunc incurreretur irregularitas: quia in illo casu quamvis exteriùs non appareret truncatio, & abscissio, revera tamen haberetur, quia juxta Aristot: 4 Physic. membrum mortuum non manet amplius continuum cum alijs vivis, sed tantùm contiguum, quod fieri non potest absque reali discontinuatione. Tum quia ex vi talis percussionis reddentis membrum percussum, aridum, & emortuum, desinit anima rationalis illud informare, consequenter ibi interfuit homicidium partiale, & mutilatio. Hinc qui postea tale membrum aridum & emortuum abscinderet irregularitatem non incurreret, perinde ac eam non incurrit, qui mutilat cadaver. Cæterum ut notat Navar *cap. 22* ad incurrendam hanc irregularitatem non sufficit induxisse gravem deformationem, sive mutilationem, quia nullibi in jure reperitur hæc irregularitas lata contra deformatores aliorum.

Si dicas ita deformatum fieri irregularem, consequenter etiam deformatorem hanc incurrere irregularitatem. ℞ juxta illud commune juris axioma, A diversis non fit illatio; quia qui alterum irregularem fecit, non propterea statim contrahit ipse irregularitatem, qui enim alterius faciem notabiliter deformat, vel pro sua necessaria defensione alterum mutilat, tametsi mutilatus fiat irregularis, non tamen mutilans. Quoties tamen aliquis fit irregularis mutilando alium, fit etiam talis mutilando seipsum eodem modo, sicuti e cnotrariò aliqua hic mutilatio sufficit ad irregularitatem contrahen.

trahendam, quæ in alio facta minime sufficeret. Unde juvat observare distinctionem, inter mutilationem activam & passivam, quia hæc pertinet potiùs ad defectus corporis, & per se tantùm requirit deformitatem, & debilitatem ad ministrandum, quo fit ut percutiens alterum sub indè faciat illum irregularem, licet percussor hanc non contrahat irregularitatē, quia potest hic alium reddere ineptum ad suum obeundum munus sacrum, sine mutilatione: & è contra potest nonnunquam mutilator fieri irregularis, non ita mutilatus, ut si duo digiti pedis abscindantur: qui ergò mutilat se hoc modo fit irregularis, vel active si mutilatio per se sufficiat, siquidem jura absolute loquuntur de mutilante, vel passive, si se reddat deformem vel ineptum ad ministerium sacrum obeundum

Dices. An qui consilium dedit mutilationi alicujus membri illi, qui absque tali mutilatione debuisset necessariò mori hanc incurrat irregularitatem? ℞. *Negativè* communiter, quia tunc per tale consilium non peccat, non enim ejus consilium influit moraliter, ut fiat mutilatio, benè tamen influit, si sequatur, mors proinde non consulit malum, sed tantùm proponit materiam minoris mali, quod respectu majoris, quandam præsefert rationem boni. Cæterum incurrunt hanc irregularitatem, quicunque injustam hominis mutilationem mandant, vel ad illam, fauorem præstant, vel auxilium, dùm modò effectus fuerit actualiter subsecutus, Idque colligitur ex cap: *Si quis viduam dist:* 50. & cap. *sicut dignum* de homicidio, Qua propter habet vulgatum illud effatum: *facientes & consentientes, par pæna constringit,* Qua propter si plures ex communi con-

consilio aliquem aggrediuntur cum intentione eum mutilandi fiunt omnes irregulares, tametsi vnus tantùm mutilet, quia omnes præbent auxilium & moralem influxum se animando, vel etiam impediendo, ne alter possit se defendere. Debet tamen consilium esse commune, alioquin si solus mutilans alium, intenderet id præstare, ille solus incurreret hanc irregularitatem.

DUBIUM 2 *An Eunuchi ad sacros Ordines admitti possint?* R. Ex Doctissimo Pignatellio, & ejus compendiatore Pascuccio (a) *Negativè* nisi morbi causa sit, aut violentia aliena factum *Prà 1. ex Can. 1.* Concili Niceni & refertur in *C. si quis à mediçis* dist. 55. Can. Apostolicus, quem citat Concil Nicenum est 21. Itaque hoc genus irregularitatis, etiam longe ante Nicenam Synodum sumpsit exordia, eamque stabiliunt Apostolorum Canones 21. & 22. Nec differt ab hujusmodi mandato Apostolico, quod *Deutor: 23 n. 1.* Non *intrabit Eunuchus* inquit *attritus, vel amputatis testiculis in Ecclesiam Domini.* Jlla *in Ecclesiam*, puto, etiamsi naturæ vitium, aut hominum injuriâ factum fuerit, nihilominùs fuisse in lege præscriptum, ne Sacerdotio fungerentur. At in noua de voluntaria abscissione agitur, qualem experiri voluit Origenes, qui ab Alexandrino Episcopo, Demetrius ea de causa fuit depositus: ita Euseb: (b]

Firmatur probatio 2 quia irregularitatem incurrunt mutilantes membra alteri, vel sibi, aut majorem partem membri voluntariè, aut culpabiliter eodem modo, sicut occidens ut *C. si Euangeli 55 d. cap. 1. de Cler: pugn: in duel: C. Vlt. de homicid:* in 6. de Censur: Clem. *un: eod: tit.* ibi Glos. *V. mutilat* [c] ac alij. Nam in hoc

casu major criminis deformitas apparet, quam si unum, aut alterum digitum, aut membri partem alteri quis absciderit. Ac in permittente se Castrari ob quamcunque causam etiam causâ cantûs, quidquid dixerit Pasqualigus *in suis deciss: Moral:* contra quem invehitur Raynaudus peculiari *libello contra Pasqualigum puerorum emasculatorem*, excepta tantùm causâ necessitatis ob ægritudinem *d. Can: si quis ægritudine* 55. *d. cap. significauit* ac alibi. Jta & Menoch: Sayr & alij [d] Cur autem tantopere castrationem Canones detestentur causæ quam plures sunt. *Primò.* Quia magno vitæ periculo ea mutilatio peragitur, ideòque tales ut homicidæ sui ipsius habentur. *Deindè* quia vigor etiam mentis interit, & malignitas quædam pusillitasque accedit, quia corpora deteriora fiunt, *Tertiò* Nec sic quidem tentatio vitatur, neque voluptatum voluntas tollitur, *Quarto*: Contumeliosum erat, tot virginibus & continentibus, si castitas ferro quærenda Christianis, non de gratia Domini crederetur, *Quinto.* Erat etiam vetitum civilibus legibus Epiph: hær. 6. Iustin: *orat: ad Antonin. Sexto.* Ministri Cybeles alijque acuta silice sibi pondera demebant, ut ille loquitur, & crudeli, stolidaque superstitione dæmoni serviebant, alij plumbi & cicutæ frigore continentiam breuem mentiebatur. Itaque noluit illis Ecclesia suos similes vel esse, vel videri, memor, continentiam esse donum Dei, quòd seruata operis Dei integritate, nos auctori suo consecraret.

a Pignatellius *tom: 7. consult:* 66 Pascuccius *compendiator fidelissimus de Ordine & ordinat: pag.* 183.

b Euseb.

b Euseb. *lib: 6. cap: 7. & 17.*

c Sayr: *lib: 6. de censur: cap: 15. n. 5.*

d Menoch: *de arbitr: cap: 570. n. 14.*

DUBIUM 3. *An id procedat etiamsi delictum sit occultum?* ℞. *affirmativè* ex Glos. *in cap. fin. de corp. vit.* Sayr. *lib: 7. n. 18.* Suarez. *disp. 51. de irregularit. sect. 2. n. 7. & 8.* & alij multi, quorum sententia est magisq; communis.

DUBIUM 4. An debilitans membrum alicui v. g. excæcando oculum, illo tamen integro remanente, aut claudum reddendo, non abscindendo crura, efficiatur irregularis? ℞. cum distinctione, quod si talis sit debilitatio, ut inde postea necesse sit venire ad truncationem, erit debilitans irregularis. Suarez *disp. 44. sect. 2. n. 12.*

Dubius verò de mutilatione, debet se censere irregularem. Cum communi affirmat Sayr. *lib. 6. cap. 2. n. 16.* Reginald. *lib: 30. n. 12.*

Si petas quis possit ab hac irregularitate contracta, ob voluntariam mutilationem dispensare? ℞. ex Verano. Si casus sit occultus, potest Episcopus, etiam si sit voluntaria mutilatio, & ex delicto occulto; non ita in ea quæ ex publico: siquidem hæc à solo Papa dispensari potest. Ratio est quia Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* non excipit expresse irregularitatem, ex mutilatione voluntaria, quæ minor est, sed illam tantùm, quæ oritur ex homicidio voluntario.

DUBIUM 5. Quò ad Matrimonium excursivum ℞. Vel Eunuchus sive spado, sive castratus careat vtroque testiculo, quia desecti sibi fuerunt. Sic non potest contrahere Matrimonium, ita Canonistæ communiter. Abbas *in cap. quod sedem de frig: & malefic.* Barthol. *in lib. si is qui pro empt. puerum ff. de vsu cap.* & ponit Additi

vel spado non est castratus, & tunc aut non erigit nec potest emittere semen, & similiter non potest contrahere propter naturale impedimentum. Abb: *in d. cap: quod sedem prope fin:* & *in cap: consultationi num: 2. eodem titul:* Vel potest erigere & emittere semen, sed non ad generationem, & in hoc est controuersia inter Doctores. Nam D. Thomas (a) tenet, quod si esset tanta in impotente frigiditas, quòd impediret ad generandum solùm, sed non ad coeundum, tunc teneret matrimonium: quia hoc est ei in remedium, cum non possit esse naturale impedimentum perpetuum, quem sequitur Barthol: Bell: *in addit ad Abbat. in rub: de frigid & malefic.* & facit cap. *laudabiliter eodem tit: in prima part.* ubi videtur sufficere coitus ad validitatem Matrimonij.

Jn contrarium facit ratio quam allegat: Abb: *in d. cap: quod sedem in fin.* quia ex quo non potest generare potest vxor dicere *Ego volo esse mater*, & eam sequitur Syluester [b] quam dicunt esse communiorem opinionem eamque tenet Goffret. Sed ibidem tenet Nauarr. eum qui sectus sit & utroque teste caret, non posse contrahere. Et ita disponit Sixtus V. suo Brevi edito 26. Junij 1587. directo Episcopo Nauariensi. Igitur ampliùs non dubitandum.

a D. Thomas *in 4. sent disp 34. quæst. 1. artic. 2.* Bart: Bell. *in addit ad Abbat in rub. de frig. & malefic. & facit cap. laudabilem eodem tit: in prima part.*

b Syluester *in Summ. V. Matrimonium 8, quæst. 16.*

S. X.

§. X.

De Irregularitate ex mortis acceleratione seu de Irregularitate orta ex homicidio casuali.

Aduerte 1 Quod hæc species irregularitatis, ex acceleratione mortis præcipue infirmi intuitu charitatis præstitæ appellatur irregularitas ex homicidio casuali, ut Rodriquez *in summ: tom:* 1. *cap:* 77. *n.* 15 *conclus:* 14. Graff: *p.* 1. *l.* 2, *cap.* 66. *n* 10. Tabiena. § *Irregularitas* 3. *n.* 13 *& plures alij.*

Aduerte 2. Homicidium casuale illud dicitur, quod contingit præter intentionem & voluntatem occidentis, & dupliciter potest obtingere. *Primò*, quando nullo pacto est volitum nec directe, nec indirecte, & tunc non inducit hinc irregularitatem, quia cum sit pæna à jure lata, supponit culpam hinc in Jure cap. *9 & 11.* ac *sequent: de homicid.* habetur, quòd irregularis non sit, qui equum lascivientem fræno coercuit, aut ipsum calcaribus stimulavit, unde eqvus excusso sessore aufugiens in via occidit infantem Pari modo non incurrit irregularitatem, qui ex alto deiciens lignum, prius sollicite circumspexit, an nemo inferius adesset, sicque neminem videns lignum proiecit & puerum fortuitò ibi existentem, neque antea visum interfecit, Nam tale homicidium non est voluntarium, sed totaliter casuale. Alterum homicidium dicitur, quod est volitum indirecte, & per accidens, quod ab aliquibus voca-

tur mixtum ex voluntario & casuali: sed de his, ex solutione dubiorum magis patebit. Sit ergo,

DUBIUM 1. *An per homicidium casuale, seu indirecte voluntarium contrahatur irregularitas?* ℟. *affirmativè.* Ita communiter Theologicum D. Thom: 2. 2. q. 94. & colligitur ex cap *significasti* & cap. *Dilectus* de homicid: cap. *Clerico*. Ratio est, quia qui voluntarie, licet indirecte alium occidit est verus homicida, tametsi non sit dicendus, talis perfecto modo, siquidem perfectius dicitur esse homicida, qui voluntarie directe intendit homicidium. Cæterum peccatum commissum per voluntatem indirectam, est ejusdem speciei, cum directo voluntario, tamet si in eadem specie sit quid imperfectum. Sed Canones in Ordine ad hanc irregularitatem contrahendam non exigunt homicidium commissum ex directa voluntate, sed puniunt omnem homicidij culpam, eò, quia omninò abhorreant hoc crimen in Dei ministris: Ergò nulli est dubium, quin per homicidium casuale, & indirecte volitum contrahatur irregularitas.

DUBIUM 2. *Quando nam incurratur irregularitas hujusmodi* ℟ Pro solutione hujus dubij, tres solent communiter cum D. Thoma 1. 2, 9. 73. *artic:* 8 regulæ assignari, quarum duæ procedunt priores, quando hoc homicidium oritur ex opere licito. Tertia verò, quando procedit ex opere illicito. Prima igitur regula est, quando quis dat operam rei licitæ, omnemque adhibet diligentiam, nè homicidium sequatur; si tunc postea sit homicidium, non sit irregularis, ut colligitur ex pluribus juribus præsertim Cap *Dilectus filius* cap: *significasti.* Ratio est, tunc tale homicidium, est omninò

ninò involuntarium, & inculpabile. *Secunda* quando quis dat operam rei licitæ etiam ex bona intentione, & non adhibet omnem diligentiam, quam tenetur adhibere, ne homicidium sequatur, & tunc si sequitur homicidium, incurritur irregularitas, ut habetur expresse in cap: *Ad audientiam* de homicid tunc enim saltem indirecte censetur homicidium voluntarium, eò quia ex voluntaria omissione eorum, quæ tenebatur non omittere, secutum fuit tale homicidium Ex his ergo Regulis.

Resolves hos casus ad praxim pernecessarios; Primò non esse irregularem Magistrum percutientem discipulum, si non excedat in percussione, tametsi ex ea mors sequatur ut docent ferè communiter cum Sayr *lib. 7. cap: 2.* eo quia moderatè verberans, dans tunc operam rei licitæ, & talis percussio communiter, non solet esse causa homicidij. Sin autem in modo percutiendi excederetur, & ex illo mors sequeretur, tunc Magister non posset excusari ab irregularitate ut docet Parnomit: in cap: *Præsbyterum num: 3.* Si quidem in hoc casu tametsi Magister simpliciter censeretur dare operam rei licitæ, non tamen adhibuisset sufficientem diligentiam, ad præcauendum talem excessum.

Resolves secundò Neque incurrere hanc irregularitatem eum, qui equitans ferocientem equum casu aliquem occidit, si tamen necessariam supponatur adhibuisse diligentiam, ad præcavendum tale homicidium, idque colligitur ex cap: *Dilectus filius* quia tunc æquitans dat operam rei licitæ, si benè noverat equitare, & homicidium fuit inde secutum, sine ejus culpa, secùs si fuisset negligens in præcavendo

homicidio, non excuſaretur ab irregularitate.

Reſolves tertiò. Ob eandem rationem excuſatur etiam, qui pulſans campanas cadit tintinnabulum & ibi exiſtentem occidit, ut habetur in cap. *Ex literis* 2. non tamen excuſaretur ab irregularitate, ſi ob ejus negligentiam culpabilem cecidiſſet tintinnabulum.

Reſolves quartò. Ut fuit deciſum in cap: *Exhibita de homicid*: neque irregularitatem contraxit puer ille, qui luſûs causâ miſerat lapidem in alterum, qui ut lapidem venientem declinaret in terram corruit, & ad lapidem offendens capite, mortuus fuit: ratio eſt quia illa lapidis projectio erat ludus pueris licitus, & qui lapidem projecit non debuit prævidere eventum.

Reſolves quintò. Neque incurrit irregularitatem peritus medicus, ſi abſque ſua culpa infirmus moritur, ut colligitur ex cap: *ad aures* de ætate & qualit: ordinandorum, ubi Clemens III. ſtatuit ne promoveatur ad Ordines, qui artem medicam non ſine culpa exercuit. Hoc idem etiam dicendum eſt, de Monachis & Clericis etiam in ſacris conſtitutis atque artem medicam exercentibus, maxime erga pauperes, ad exercendam charitatem argum. cap: 1 & 2. de Poſtulat: ſiquidem uſus medicinæ eſt licitus.

Reſolves ſexto. Neque fit irregularis, qui ex bona intentione dat aliquid infirmo, ex quo ſequetur mors, vel mortis acceleratio, ut nec ille, qui bona fide revolvit infirmum in aliud latus, ut commodiùs cibum ſumat, vel quieſcat, tametſi inde mors acceleretur, vel quia apoſtema frangatur, vel reſpiratio impediatur, vel etiam eo motu ſuffocetur, ut docent Soto

libi 5. de Iust? 9. 1. a. 9. Cajetan: 2. 2, *quæst.* 94. *artic.* 3. ex quo colligitur posse Viros Religiosos, & sacerdotes optime servire infirmis etiam in ultimo constitutis vitæ discrimine, & eos lecto volvere ratione charitatis in eos exercendæ. Sed

Dices. Si sacerdos charitate motus, contra medici præscriptum volvat infirmum, volutationeque peracta, infirmus statim moriatur, an talis sacerdos sit irregularis? ℞. *affirmativè*, Ratio est, quia cum hoc agat contra medici præscriptum & mandatum censetur esse in culpa, & consequenter irregularitatis pænam contrahere opus erit, & id colligitur ex Capitulo *Ad audientiam de homicidio.*

Dices. Quod si imperitus in exercitio infirmorum, si in casu repentino, ut tempore noctis vel in villa, ubi medici seu periti in arte absunt, & ipse adhibita sua possibili diligentia & bonâ fide, rectaque intentione infirmum volvit, illique cibum vel potum ad refocillandum præbet, incurrat irregularitatem, si mors acceleretur? ℞. *Negativè.* Nam ista dicitur necessitas, quæ legem non habet, nam etiamsi quis daret operam rei illicitæ, si adhibeat diligentiam debitam non esse irregularem, sic iste qui non solùm contra mandatum Medici absentis non fecit, verum etiam non habebat, quem consulere potuisset, & quidquid fecit, servata sua possibili diligentia, ut supponitur, ideò irregularitatem non incurrit, etiam secuta mortis acceleratione hoc colligitur ex Bonacina cum alijs de censuris [a] Ubi habetur, quod dans operam rei illicitæ, periculosæ homicidij, si adhibuerit debitam diligentiam, nè sequeretur

etiam

etiam securo homicidio irregularis non efficitur. Ita & Lessius, Petrus Navarr: Henriquez Suarez apud Bonac ergo & in casu nostro.

Dices: Quod si diligentiam non adhibuit debitam, & dubitat an causa sui secuta sit acceleratio mortis, quid agere debeat? R. quòd consulat medicos, vel viros peritos in tali exercitio infirmorum, à quibus accipiat, an illa actio fuerit causa efficax accelerationis nec ne, & consilio illorum acquiescat, nec facilè admittendi sunt scrupuli in hac materia. Ita Bonac: *de Censuris disp: 7 qu: 4. punct: 7, num: 12, in fine.* Henriquez *lib: 14. cap:* 14. *n: 5.*

a Bonac *de censuris disp: 7. qu:* 4. *punct: 7 num 9. Vers: secunda sententia.* Less: *lib: 2. cap: 9. dub: 15.*

Quantum verò attinet ad tertiam regulam docent communiter, dantem operam rei illicitæ non tamen periculosæ de se ex suppositione, quod debitam adhibuerit diligentiam, ne sequeretur homicidium, aut mutilatio, non incurrere irregularitatem. Benè tamen eam contrahere, qui dat operam rei prohibitæ & illicitæ, quia periculosa est ad homicidium & mutilationem, si sequatur homicidium, aut mutilatio: Ita enim communiter docent præsertim Soto Suarez & alij supponentes posse opus esse illicitum dupliciter. Primo, quia periculosum & natura sua causativum mortis aut mutilationis, quo pacto est prohibitum Clericis pugnare in bello, exercere torneamenta bellica, ejaculari tormenta bellica in arcem, instituere venationes clamorosas, præsertim aprorum, ursorum, & aliarum ferarum, quæ dentibus aut ungue possunt venatoribus mortem inferre. Secundò

illud

illud etiam dicunt esse opus illicitum, non ex eo quod inferat periculum mortis, sed ex alia causa, eò quia dedeceat talem statum, quo pacto venatio clamorosa est prohibita Clericis; vel etiam quia tale opus cedat in damnum tertij, qua ratione prohibetur furtum.

Ratio: Cur dans operam rei illicitæ, non tamen ex se periculosæ, post adhibitam diligentiam debitam, ne sequatur homicidium, non fiat irregularis eo secuto, quia tunc homicidium est mere casuale, & nullo pacto volũtarium: non est volitum directè ut supponitur, neque indirectè ac virtualiter in ipso opere illicito, quia non continetur virtualiter in illo, supponitur enim tale opus non esse periculosum de se; neque demum est volitum ratione alicujus negligentiæ, & omissionis, cum hæc non supponatur: ergo cum ex nullo capite directè vel indirectè, sit tale homicidium voluntarium sequitur esse mere casuale & insufficiens ad inducendam irregularitatem.

Tum quia, si ex tali illicito, & non periculoso nullum sequeretur homicidium, nulla homicidij malitia etiam indirectè voliti imputaretur operanti: ergo neque debet imputari homicidio secuto, siquidem malitia non debet imputari ex solo eventu casuali; sed ex ipsa voluntate. Hinc Monachus, qui contrà ordinis regulam equitaret, si casu non opinato equus puerum occideret non fieret irregularis, ut nec etiam qui alteri suaderet ingressum in vineam alienam ad surripiendos fructus, si postea ingrediens occideretur à Custode, vel cane. Neque fit irregularis, qui adhibitâ diligentiâ, inter venandum in loco prohibito hominem occidit,

quem

quem putat eſſe feram.

Dices. In jure perſæpè excuſari ab irregularitate homicidij caſuali eos, qui dant operam rei licitæ: Ergò à contrario ſenſu non poſſunt excuſari dantes operam rei illicitæ ℞. Ex Verano argumentum à contrario in præſenti materia nullam vim præſefert, ſiquidem irregularitas non incurritur, niſi in caſu à jure expreſſo, proindè non valet illatio à contrario ſenſu, quia hæc deciſio non eſt expreſſa in jure.

Si dicas cum Navat: *cap.* 27. *n.* 221. præfatum argumentum non eſſe à contrario, ſed à ceſſante ratione & cauſa: atqui argumentum deductum à ceſſante ratione eſt firmum in jure ut colligitur ex cap. *Cum ceſſante* de appell: Ergò illatio tenet. ℞. cum diſtinctione; tunc argumentum à ceſſante ratione valet, quando procedit à negatione totius cauſæ totalis, & adæquatæ: cauſa totalis, & adæquata excuſandi aliquem ab irregularitate, non eſt ſolùm operam dare rei illicitæ, verùm etiam adhibuiſſe debitam diligentiam: hæc enim duo integrant cauſam adæquatam non incurrendi irregularitatem, quamvis enim opus ſit licitum, ſi tamen non fuerit adhibita ſufficiens diligentia, in præcavendo homicidio, incurritur irregularitas, unde ſi dans operam rei illicitæ, non tamen de ſe periculoſæ debitam adhibuerit diligentiam, homicidium ſequatur, non incurrit irregularitatem homicidio ſequuto quia diligentia adhibita obſtat, ne cauſa adæquata & totalis ceſſet.

Si dicas in jure occidentem & mutilantèm indefinite dici irregularem, ut conſtat ex cap: Clerico jacente; atqui ab hac lege non excipiuntur

tur in jure nisi dantes operam rei licitæ, ac sufficientem adhibentes diligentiam ut constat ex cap. *Ioannes* cap. *Dilectus*: ergo qui occidti vel mutilat, sine hisce conditionibus manet expressè inclusus sub lege incurrendæ irregularitatis: est enim lex ista generalis, in qua non debemus excipere nisi quos jura ipsa excipiunt. ℞ Argumentum procedere ex non recta intelligentia jurium; quia quoties jura loquuntur de homicidio inducente irregularitatem, solùm procedunt de homicidio saltem aliquo pacto voluntario, ut colligitur ex Clement: vnic de homicid ubi infantes, furiosi & dormientes declarantes immunes ab regularitate tametsi occidant ex illa tantum ratione, quia tale homicidium non est eisdem voluntarium: sed homicidium de quo est sermo nullo modo est voluntarium nec indirectè, sed pure casuale, tametsi occasionetur ex opere illicito. ergo ex illa lege generali non infertur, dantem operam rei illicitæ, & de se non periculosæ, si debitam adhibuerit diligentiam, ne homicidium sequeretur, fieri irregularem eo secuto. *secus* quod dans operam rei illicitæ, & prohibitæ periculosæ tamen ad homicidium inducendum, hoc secuto, fiat irregularis, èx eò, quia semel quod opus prohibetur, eo quia sit periculosum, tunc quia vult illud exercere, censetur etiam velle, saltem indirectè ipsum effectum juxta regulam: qui vult causam damni damnum dedisse videtur. Neque hic consensus implicitus, & indirectus tollitur per diligentiam, quæ adhibetur, siquidem diligentia, cum non mutat rerum naturam, non impedit, quin res illicita & periculosa, ad inducendum homicidium non sit talis. Ex his.

Resol-

Resolves quo ad praxim Primo Dans medicinam vel potionem infirmo absque consilio medici, si inde mors ægroto sequuatur fit irregularis: siquidem dedit operam rei illicitæ & sibi prohibitæ, ex qua mors fuit secuta.

Resolves secundo. Fit etiam irregularis Clericus ludens ac saltans cum femina prægnante, & præsertim si eam amplectatur, & in altum elevet, & exinde contingat aborsus fætûs animati; quia talis ludus feminæ prægnantis est periculosus & Clerico illicitus

Resolves Tertio Parentes etiam tenentes, simul infantes, secum in lecto, si dormientes eos suffocent fiunt irregulares, quia hoc est illis prohibitum ob probabile periculum homicidij siquidem inter dormiendum possunt parentes se volvere & infantem ad latus jacentem comprimere, & suffocare, idque colligitur ex cap: *Constituisti* 2. 9 5. & cap. *Quæsitum de pænit: & remiss:* Debet tamen hoc periculum occidendi prolem esse imminens & probabile, alioquin si lectus esset ita accomodatus, ut nullum indè esset periculum occidendi prolem, non incurreretur hæc irregularitas, ut docent plures.

Si petas, quale requiratur peccatum ad incurrendam hanc irregularitatem ex homicidio casuali, vel acceleratione mortis ægroti? ℞ cum communiore requiri peccatum letale siquidem hujusmodi irregularitas imposita est propter delictum seu culpam, quâ ratione distinguitur ab ea, quæ contrahitur ex defectu lenitatis, in homicidio justo; atqui hæc irregularitas est pænâ gravissima: ergo debet supponere culpam etiam gravem, quæ sit peccatum letale, debet enim dari proportio, inter pænam & culpam.

Dices 1. Quare hæc irregularitas, non incurritur absque culpa, ſicut incurritur illa irregularitas qua Iudices, ac juſtitiæ miniſtri, in morte vel mutilatione reis inferenda, irretiuntur, cum utrobique eadem omninò ratio militare appareat, utcrque enim actus in ſe bonus eſt & meritorius nam inſervire infirmis eſt actus miſericordiæ, pertinens ad virtutem charitatis, condemnare reum, ac condemnationem exequi, pertinet ad virtutem juſtitiæ, quare ergò hæc irregularitas, ſine ullo prorſùs peccato incurritur, & non illa? & cur eodem nomine nempè irregularitatis ex defectu lenitatis ſeu manſuetudinis Chriſti, ſicut illa non vocatur? ℟. Ex Iacobo Mancino & aliis (a) rationem eſſe, quia quamvis Iudices & iuſtitiæ miniſtri, in morte vel mutilatione reis inferenda, ratione ſui muneris nullum peccatum committant, ex eo, quia actus, quem exercent in ſe bonus eſt, ac meritorius, tamen quia id quod agunt, agunt in pænam ſeu vindictam delictorum delinquentium, talis actus præfert quandam crudelitatis ſpeciem, ex quo præfati Iudices, & iuſtitiæ miniſtri lenitatem ſeu manſuetudinem Chriſti minimè imitari videntur, & ſic cum ab hujusmodi imitatione deficiant, meritò etiam irregularitatem ex defectu lenitatis, ſcilicet manſuetudinis Chriſti incurrunt. Actus verò inſerviendi infirmis hanc crudelitatis ſpeciem præferre, dici non poſſunt, & conſequenter cum nullum defectum importent, nec hujuſmodi irregularitatem ex defectu, fundare ullo pacto valent

Dices 2. Excommunicationem eſſe major pænam irregularitate & incurri ob peccatum

hial

niale, consequenter hoc etiam sufficere, ad contrahendam irregularitatem. Tum quia ut homicidium inducat irregularitatem sufficit, si aliquo pacto sit voluntarium: sed quando quis venialiter peccat in non removendo causam, tunc homicidium, secutum est aliquo modo voluntarium alioquin non esset peccatum veniale. Ergò ad incurrendam irregularitatem sufficit peccatum veniale. Tum quia malitia peccati venialis, est major pænâ irregularitatis, proinde potest per hanc puniri. ℞. *Negando* anteced: quia tametsi minor excommunicatio priuet passiua receptione sacramentorum, quia tamen irregularitas privat actiua & collativa potestate, omnique exercitio, & usu ordinum ac receptione beneficij; ideò difficiliùs tollitur, & ut plurimum non nisi à Summo Pontifice, proinde ex hoc capite irregularitas censetur major pæna, quam excommunicatio minor, quæ facilius tollitur, à quovis confessario regulari habente facultatem: unde ex eò, quod ob peccatum veniale contrahatur excommunicatio minor; non inde sequitur contrahi etiam irregularitatem. Hinc ad id quòd addebatur, de ratione voluntarij peccati venialis. ℞. Peccatum veniale esse adeò leue, tam in genere voluntarij, quàm in genere culpæ, ut propterea non mereatur pænam tam gravem qualis est irregularitas imposita. Ad aliud quod addebatur de malitia peccati venialis, quæ sit major pæna irregularitatis. ℞. Indè non sequi esse peccatum veniale puniendum per irregularitatem, quia non commensuratur culpæ secundùm æqualitatem, alioquin nunquam adæquarentur, cùm sint in diuerso ordine, sed pæna commensuratur culpæ secundùm proportionem, adeò ut

ut culpæ, quæ in suo ordine est gravis, responde- at pæna, quæ etiam in suo ordine est gravis.[a]

a. Jacobus Mancinus. *de irregul: ex mort: acceler: pract: X dub:* 5 Bonac: *de irregular: disp:* 7. q. 4. *in respons: ad un: argum.*

DUBIUM 3. Quando quis facit aliquod opus illicitum, secundùm se ex quocunque capite, adhibetq; diligentiam moralem, ne periculum immineat aliquorum, si tam hoc non obstante causetur aliquorum mors, mediante tali opere illicito perpetrato, an effectus sit irregularis? ℞. Quòd quotiescunque quis adhibet omnem diligentiam ad cavendum periculum mortis possibilem, quando talis mors non semper sequatur, sed rarò, tunc si contingenter, & præter omnem intentionem agentis, causetur mors aliquorum, tunc tale agens excusatur ab irregularitate incurrenda: parum enim refert, quod opus sit licitum, vel illicitum, dum tamen tale opus, non sit expressum in jure sub pæna irregularitatis vetitum. Secus autem dicendum est, quando quis dat operam rei periculosæ, ex qua opera talis mors aliorum, ut plurimùm sequi solet, tunc enim nisi adhibeatur omnis diligentia possibilis, ad cauendum periculum, si mors inde sequatur tali mediante opere imprudenter facto, in tali casu tale agens ab irregularitate non esset excusatum: qui enim amat periculum, peribit in illo, & in hoc omnes conveniunt, sive tale opus sit licitum secundum se, sive illicitum ex alio capite. Quare in cap. *Tuas*, de homicidio declaratus fuit irregularis quidam Monachus, qui aperuit apostema in gutture cujusdam feminæ, pro qua apertione talis femina decessit è vita, licet talis Monachus secundùm regulas artis chirurgiæ talem apertionem

fecisset. Ita Suarez *D. 45. sect: 6., n. 10.* Sayrus *lib: 7. cap: 5.*

DUBIUM 4. An si quis emittat sagittam sive lapidem animo occidendi Petrum inimicum suum, sed Petro declinante sagitta emissa occidit Paulum, qui non intendebatur occidi ab illo, an effectus sit irregularis, respectu mortis Pauli casualiter secutæ? ℟. *affirmatiuè* Jta Molina Vgol: Sayr: Bonacina & alij (a) Ratio est, quia in casu mittens sagittam habebat animū occidēdi hominem, & vere realiter occidit hominem, licet autem non intendebat occidere Paulum, sed Petrum, non ideò excusatur ab homicidio, quia fecit actionem iniquam, & periculosam animo peruerso faciendi homicidium: verum est tamen quod in casu mors Pauli dicitur casualis, non tamen excusatur à culpa, & per consequens ab irregularitate homicidij facti licet casualis respectu Pauli. Verum tamen est, prout dicunt Suarez, Filliuc, & Bonac: (b) quod si in tali casu emittens sagittam debitam cautelam seruasset, adhibendo diligentiam possibilem, ne alium occideret nisi Petrum, sed omninò casualiter & præter intentionem occidisset Paulum, quem ille existimabat probabiliter occidere non posse, neque aliam personam occidi posse humanam à sagitta emissa nisi Petrum, tunc posset dari aliqua excusatio ab ista irregularitate incurrenda.

a Molina *disp: 32. tom: 4. n. 5.* Bonac. *disp: 7. q. 4: p. 7. n. 19.*

b Suarez *disp: 45. sect: 6.* & Bonac: *loco cit.*

DUBIUM 5. An qui clamat dicens adesse latronem, ut comprehendatur, fiat irregularis, si deinde ille captus à justitia puniatur? ℟. *Negatiuè.* cum Svarez Avilla Couar & alijs (a) etiam-

stalis

si talis clamasset, vel pulsasset campanam, vel fecisset aliquod signum cum tuba, alioue instrumento, ad convocandum populum ad se defendendum, vel res suas, ne à tali latrone detrimentum patiatur, vel ad sedandam seditionem in aliquo oppido: & ratio hujus est, quia in tali casu licitum est clamare pro defensione personæ, & facultatum: quare qui clamat petitq; auxilium, rem licitam petit, poteritque rationabiliter præsumere non esse inde secuturam mortem alicujus, maxime protestando, se non petere interemptionem, sed solam defensionem: quare licet deinde sequeretur mors illius latronis, talis mors non censetur intenta per se, sed per accidens, ideoque in casu excusatus esse videtur ab irregularitatis pœnâ incurrenda.

a Suarez, *disp*: 7. *sect*: 2. *n*. 21. Couar. *in d. Clementina p*. 2. §. 5. *n*. 2.

DUBIUM 6. Si quis imprudenter dixerit, talem mulierem fuisse adulteram coram hominibus alienis; si deindè ab aliquo ex illis tale adulterium fuisset promulgatum meritò, sive fratri illius mulieris adulteræ, à quibus consanguineis talis mulier fuisset occisa, propter tale adulterium commissum, an primus qui tale adulterium promulgavit effectus sit irregularis ratione uxoris illius adulteræ? R. etiam *negativè*, eò, quod talis primus delator adulterij non fuit causa immediata illius mortis indè secutæ, sed secundus, qui revelavit marito, sive alteri consanguineo illius: primus enim simpliciter tale verbum dixit, non prævidens talem revelationem perniciosam ab aliquo esse facturam: quarè talis revelatio adulterij facta, non existimabatur periculosa facta coram extraneis, ideò-

que talis mors adulteræ non imputabitur primò revelanti, sed secundo: Ita Molina cum alijs [a].

a. Molina *tom: 4. disp: 32. num. 7.* Bonac: *disp. 7. qu: 4. p. 7. num. 23.*

DUBIUM 7. *An ob omißionem impediendi homicidium contrahatur hæc irregularitas?* R. cum *Felice Verano loco supra citato*, cum distinctione, si omissio sit solùm contra charitatem, tunc non inducit irregularitatem, benè tamen si sit contra justitiam ut communiter censent Doctores, hinc videns alterum occidi, si solùm teneatur ex charitate impedire, ut non occidatur non incurrit irregularitatem tametsi non impediat, & possit id impedire idque colligitur ex cap: *final*: 23. 9. 8. Ratio etiam est, quia tunc non impediens homicidium, non est homicida realis, sed ad summum tantum intentionalis, eò quia ex illa exteriori omissione non peccaverit contra justitiam, ad quam propriè pertinet homicidium, sed solùm contra charitatem, quamvis illa voluntaria omissio fuerit ex odio interno, vel gaudio mortis proximi, & etiam dederit signa externa hujus passionis, si tamen hæc signa talia non fuerint, ut ex eis homicida favorem senserit, ac indè occasionem sumpserit, animosius committendi homicidium, quæ doctrina etiam procedit in jure Civili, ut docuit Bartolus *lib: 1. § sed in eo §. ad senat* Consult: Sillaniarum. Cæterum quoties jura asserunt eum incurrere irregularitatem, qui cum potuerit hominem liberare à morte eum non liberavit, tunc intelliguntur de omittente contra justitiam: quoties enim exterior omissio, non est contra debitum ex justitia non censetur phy-

fice

ficè aut moraliter influere in ipsam occisionem proindè neque inducit ullam obligationem restituendi. Cæterum quando exterior omissio est contra justitiam, tunc inducit irregularitatem, ùt communiter docent Theologi: quia ita omittens vere est homicida realis, perinde incurrit irregularitatem ex vi illorum jurium, in quibus fertur per homicidium : siquidem tunc omittens impedire, revera privat alium re suâ, quæ sibi soli necessaria erat ad propriam defensionem, proindè non minùs delinquit, quàm si eum privaret proprijs armis defensivis, quibus possèt mortem declinare. Hæc decisio est, contra Anton: à Spiritu sancto Episcopum Angolensem, & alios sequaces. Tract. de irregularit: in partic: Tract: XIII. disp. 11. §: 4.

Si *dicas* irregularitatem homicidij tantum esse latam contra aliquos modo agentes; & eum qui omittit nihil agere. ℞. *ex Filice Verano*. negando quod nihil agat absolute, nam omittens quod ex justitia teneretur agere, tametsi non agat physice, concurrit tamen moraliter, ad homicidium, quod sufficit ad incurrendam irregularitatem ex homicidio. Hinc Medicus publico, vel particulari stipendio conductus incurrit irregularitatem, si ex ejus omissione, negligentia, aut ignorantia, infirmus moriatur: quia talis dicitur à medico occidi. Ratio etiam suadet, quia eò ipso quod fuit stipendio conductus, tenebatur ex justitia non omittere, neque negligere : hoc etiam valet in casu, quo medicus infirmum deserit, eò quia mercedem sibi non solvat, siquidem semel quòd curam infirmi suscepit, tenetur perseverare. Ratio est, quia contractus, qui initio sunt volun-

tarij

tarij, fiunt postea necessarij.

§. XI.

De Irregularitate, quæ contrahitur ex defectu perfectæ lenitatis.

Suppono, ut certum in omnium sententia, Irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis tunc contrahi, quando quis absque culpa propria concurrit ad mortem vel mutilationem hominis facta per publicam auctoritatem, quamvis nulla interveniat culpa propria, sed id fiat ex officio ut communiter docent DD. & deducitur ex cap: *Si quis Viduam dist:* 50. & plerisque alijs juribus. Hæc irregularitas dicitur ex defectu perfectæ lenitatis, id est ex defectu mansuetudinis requisitæ in ministro altaris, qui Christum mansuetissimum repræsentat, qui non aliorum sanguinem fudit, sed proprium fundi in remissionem peccatorum permisit. Potest autem hæc hominis occisio facta per publicam auctoritatem duplici modo contingere. *Primo* Viâ judiciaria, secundo, in bello justo. undè

DUBIUM I. An Iudices, Assessores, & alij in foro criminali concurrentes ad homicidium, vel mutilationem justam, factam, contrahunt irregularitatem prædictam: ℞, *affirmativè* Colligitur, ex pluribus juribus præsertim ex cap: *Ex literis* de excuss: Prælat: cap: *In Archiepiscopatu* de raptor: Cap: 1. dist: 51 cap. *Quasitum* 23. qu. 4. Ratio est, quia indecens est, ut qui voluntariè sanguinem humanum fudit, Christi mansuetissimi personam in altari repræ-

sentet

sentet, quamobrem causa cur hæc irregularitas contrahatur, est defectus mansuetudinis requisitæ in ministro altaris & Sacerdote, qui mansuetissimū Christū in altari repræsentat; cum enim ordines omnes deferantur ad sacrificium Eucharistiæ, in quo repræsentatur Christi passio, qui tanquam agnus mitissimus Sanguinem suum, pro nobis omnibus fudit. Sequitur ministros altaris, Christum repræsentantes, debere potius paratos esse proprium sanguinem fundere quàm alienum. Siquidem sacerdos homicida, proximiùs accedit ad repræsentandos interfectores Christi per activam sanguinis effusionem quam ipsum Christum; tametsi Ministri altaris concurrant ad homicidium justum Quod si ad injustum influerent tunc incurrerent irregularitatem annexam homicidio culpabili. Hinc quò ad praxim.

Collige 1. Hanc irregularitatem ex defectu lenitatis, incurrere Judices sive Ecclesiasticos, sive sæculares, assessores justè proferentes sententiam mortis, vel mutilationis. Ita habetur ex cap: *Ex literis de excess: Prælat. & alijs supra citatis.* Requirunt tamen communiter Doctores, ut judex talem incurrat irregularitatem, quod sit baptizatus; nam qui id fecit ante baptismum, non consideratur in eo defectus lenitatis, cum non sit membrum Christi Ita Suarez *disp. 47. sect: 1. num: 1.* Non est tamen necesse ut reus contra quem fertur mortis sententia, sit baptizatus; quia ad hanc irregularitatem incurrendam à judice sufficit mors aut mutilatio hominis, cujuscunque, sive gentilis, sive excommunicati, sive banniti, sive etiam fœtus animati in utero matris. Ita Sayr *lib: 6. thesauri cap: 15. dub: 4. num: 8.* *Collige.*

Collige 2. Assessores, accessores & omnes alios, qui post latam sententiam suadent judici nè concedat appellationem, siquidem hi omnes sunt in proprio genere causa homicidij. Debet tamen sententia judicis exequi, quia hæc irregularitas non incurritur, nisi morte vel mutilatione defacto secuta, ut communiter docent Suarez *disp: 47. num* 8. Tum quia accessor est causa propinqua mortis vel mutilationis, cùm compleat personam judicis, defectum sententiæ supplens. Quæ omnia vera sunt, etiam si mors sine effusione sanguinis fiat, ut si quis suspendatur, suffocetur, aut alimento privetur, aut inedia, vel carceris rigore affligatur, ita ut moraliter ac celeriter sequatur mors. Jta cum alijs Pelliz tract: 7. cap: 5 n, 161.

Collige 3. Jncurrere hanc irregularitatem etiam promotores Fiscales, nam & isti sunt cooperatores in suo proprio genere, & idem etiam dicendum de solicitatore, & de eo qui processum compilat, ad faciliorem judicis instructionem,

Collige 4. Testem, qui voluntariè testificat in causa sanguinis secuta ex ejus testimonio morte vel mutilatione hanc incurrere irregularitatem. *Dixi* qui voluntariè, nam si coactus jure naturali vel ex præcepto judicis, casu quo ipse de jure naturali teneatur veritatem fateri, testificet etiam in causa sanguinis non incurrit hanc irregularitatem. Jta Bonac. Layman:, & alij Dico in casu, quo, ex ipsius testimonio mors vel mutilatio sequatur; nam si cum ejus testimonium fuit receptum post alias probationes, jam sufficientes ad condemnandum reum ad mortem, tunc non incurret irregularitatem;

quia

quia in hoc non fuit secuta mors ex testimonio illius. Jta Navar: in Manuali c. 27. n. 111. An autem testes producti in causa sanguinis incurrant hanc irregularitatem si protestationem præmittant? R. cum Reverend: D. Antonin: à Spiritu sancto Episcop: Angol: *affirmativè*. Nam protestatio est contraria suo facto. quod verum est, etsi deponant non de delicto, sed de fama, vel si testificentur reum ferre noctu arma, si inde mors & mutilatio sequatur; Sayrus. *lib. 6. Thesauri c. 16. num: 9.* Secùs si tantum testificentur non in causa criminali, sed civili, facta dictâ protestatione, etsi indè sequatur mors; nam privilegium quod auctori prodest, prodest etiam testi. Jta cùm Ugolino, & alijs pluribus Gibalinus de irregular: *cap. 4. qu: 3. Consect: 7. dist: 051. num: 66.* Liberabitur etiam testis, testificans in causa sanguinis, si id faciat metu mortis cadente in virum constantem. quia non testificatur libere sed coactè. Jta Napolus, Bonac: Pallaus,

Collige 5. Advocatum si reus contra quem advocatur occidatur, vel mutiletur, incurrere hanc irregularitatem ex cap: *Aliquantos dist: 51.* & tenent communiter DD. secùs si re ipsa mors vel mutilatio, non sequatur Suarez *disp: 47. sect: 4. num 4.* vel si defendat reum *Suarez ibid. num. 6.* Quod verum est, & si accusans occidatur, si alias Advocatus rei non postulavit Actorem, quem convincit de calumnia puniri pænâ sanguinis, secùs si hoc postulavit. Palaus *dist: 6. p. 14. § 3. num 6.* Vel si injuste defendit reum ita ut ob injustitiam defensionis rei secuta fuit mors actoris; in hoc namque casu incurrit irregularitatem ex delicto;

Suarez

Suarez *disp: 47. sect: 47. num 5.* Incurret etiam irregularitatem ex delicto, si actor, vel reus occidatur vel mutiletur ob imperitiam vel negligentiam advocati. Suarez *ibid num. 6.*

Collige 6. Notarios, & cæteros ministros, concurrentes in causa sanguinis, vel in processu secuto effectu fieri irregulares. Ita communiter Doctores. Notarius enim seu Sabellio, qui testium depositiones recipit, vel sententiam scribit, vel dictat, vel suo sigillo, autheuticam reddit, vel pronuntiat, secùs de famulo, qui sententiam scribit, non tanquam Minister, sed ut Sabellionis famulus. Ratio est, quia iste non censetur moraliter influere in homicidium, nisi aliàs sit minister publicus. Hurtad. *lib: 1. p 3. tract; 18. docum: 4. num: 2.* Nec qui in particulari docet carnificem, quando dandus sit modus ut celeriùs reus occidatur. Henriquez *cap. 12. num: 7.* Nec etiam qui, non ut ministri justitiæ sed ut personæ privatæ apponunt scalam, conficiunt, vel vendnnt funes, vel furcam faciunt, secùs si essent ministri justitiæ. Hurtado disp: 2: de irregularit: dist: 11. unde.

Collige 7. Incurrere irregularitatem lictores & executores sententiæ & etiam præcones, qui causam mortis proclamant, & deferentes instrumenta, ut etiam omnes tam equestres quàm pedestres; qui ad custodiam & defensionem judicis eum comitantur: non tamen illi qui præcise assistunt spectaculo, quia isti non influunt moraliter, sed sunt simplices spectatores. Qui verò pulsat campanam ad convocandum populum, si id præstet eâ intentione, ut securiùs reus ducatur ad mortem incurrit hanc irregularitatem. Ita Felix Veranus *disp 8. de irregularitis*

larit; ex defectu lenit: sect. 2 num. 3. Secùs verò si pulset ad signum & publicum exemplum. Demum incurrunt hanc irregularitatem satellites, lictores, & quotquot alij cooperantur ad causam sanguinis, dummodo mors, vel mutilatio actualiter fuerit secuta. Debet tamen ut notat Glossa *in cap. de catero de homicid:* Cooperatio ad mortem seu mutilatio esse aliquo modo notabilis, & non admodum remota, vel per accidens. Hinc non censentur irregulares opifices, qui pro malefactoribus suspendendis furcam ædificarunt. vel funes aut scalas confecerunt. Secus verò dicendum de ijs, qui funes ad suspendium deferunt, vel scalam applicant, ut suspendendus immediate ascendat: hi enim censentur proxime influere in talem occisionem. Incurrunt etiam irregularitatem tortores, qui struem lignorum congerunt, & ei applicant ignem ad comburendos hæreticos vivos, non tamen qui ligna vendunt. Hurtud: *diff.* 11. Nec etiam qui impetrat à judice, ut alia via ducat interficiendum, ne per plateam ubi parentes vivunt adducatur: Diana *p. 3 tract: 5. resol: 29. & p. tract: 7. resol: 61.* Nec etiamsi voce vel punctione instiget jumentum, quo reus interficiendus vehitur, etiamsi ex eo mors acceleretur, non enim hæc faciunt ut ministri justitiæ, sed ut personæ privatæ, & aliàs hoc parum conducit ad mortem. Hurtad: *diff: 11. n. 40.* Diana, Palaus, Nec etiam incurrit, qui dicit reo: ascende scalam, vel move caput stipiti, ad recipiendum ictum, si hoc faciat persona privata, & non minister justitiæ. Palaus & Diana loco cit:

DUBIUM 2. An hanc irregularitatem incurrant Clerici temporalem jurisdictionem habentes assisten-

assistentes executioni sententiæ mortis, quia sua auctoritate dant auxilium lictoribus ℞ *affirmativè* & communiter Doctores. Secus dicendum est de alijs Clericis, qui jurisdictionem temporalem non habent, & si sine necessitate assistant executioni sententiæ. Ita communiter DD Imò nec Clerici sic sine causa assistentes peccant etiam venialiter secluso scandalo, Diana *p. 4. tract: 2. resol: 33.* Palaus *disp: 6. p. 14. §. 4. n. 2.* Canones enim, qui contra hoc ab aliquibus afferuntur, contraria consuetudine jam sunt abrogati. Diana ibi.

DUBIUM 3. *An Iudex proferens sententiam flagellationum, vel triremium, etiam cum effusione sanguinis, incurrat irregularitatem?* ℞. *Negativè* etiam cum effectu effusionis sanguinis secuto. Ratio est, nam hæc irregularitas solum incurritur per mortem vel mutilationem. Ita cum cummuni sententia Suares Avilla (a). Et idem dicendum est, si Judex dictet sententiam, ut reus per tormenta debilitetur Avila, Sayrus (b) vel si proferat sententiam triremium contra reum, & si reus ex labore remigantium consueto, brevi moriatur, id enim evenit per accidens. Gibalinus de irregularitate *c. 4. q. 3. consect: 7. disp. 4.* Et idem dicendum est, si condemnaret reum, ad metalla, aut insulam, si ex eo quod male tractatus sit citiùs moriatur; nisi aliàs Judex juberet, ut reus à concomitantibus male tractaretur. Gibalinus *supra diffic: 4.* Secùs dicendum est, si Judex proferat sententiam mutilandi à reo membrum etiam aridum, siquidem verè mutilat à reo verum membrum humanum, ut pote vivum aliquo modo & genere saltem vitæ vegetativæ, Ita Henriquez *lib. 14. cap. 8.*

a. Suarez *disp: 47. sect: 1. n. 2.* Avila *p. 7. disp: 5. sect: 1. in fine.*

b. *sup. Dub: 2.* Sayr *lib: 6. cap. 15 n 5. & 6.*

DUBIUM 4. *An Prælatus Ecclesiasticus habens temporalem jurisdictionem, vel alius Princeps sæcularis incurrat hanc irregularitatem, si ferat legem aliqua crimina sub pœna mortis prohibentem?* R. *Negativè* Ratio quia isti legislatores tantum sunt causa remota mortis, Ita cum communi sententia Pelizz. *tract: 7. cap. 5. num: 172.* Et idem dicendum est, si prædictus Prælatus vel Princeps sæcularis constituat Judices & ministros, ut causam sanguinis inquirant, & puniant juxta leges & juris dispositionem. Valdè enim remote tales Principes ad mortem concurrunt. Ita Palaus *disp: 6. p. 14. §. 2. n. 3.* Idque colligitur ex cap. ultimo. Ne *Clerici vel Monachi in 6.* Ecclesiasticos habentes jurisdictionem temporalem posse sine metu irregularitatis cuasâ sanguinis alteri delegare. Quod verum est, & si delegatus Principis injustè ad mortem, vel mutilationem damnet reum; culpa enim Mandatarij, dum finis mandati excedit, non debet obesse mandanti. l. Diligenter §. mandat Gibalinus *de irregul: q. 3. c. 4. consect: 7. dub: 5. versu 5.*

Quinimò neque incurrit hanc irregularitatem judex Ecclesiasticus, qui tradit reum brachio sæculari à quo occiditur, si tamen pro eo intercedat, ut misericorditer, tractetur, & non occidatur ut habetur in cap. *Novimus. De verbis signi ficat:* Ratio quæ communiter adducitur est, quia Ecclesiasticus per hanc, traditionem duntaxat declarat, se jam suo functum fuisse officio, reumq; illum dimittere, ut in corrigibilem

propria jurisdictione, ut ejus causa in alia tractetur. Ita Veranus Felix supra cit.

DUBIUM 5. *An Inquisitores hæretica pravitatis fiunt irregulares tradentes hæreticum brachio sæculari ad eum præcisè finem ut comburatur?* R. *Negativè,* Tametsi faciant id absque ulla protestatione, ac intercessione Ratio est, quia illis tantùm est prohibita executio mortis ex jure novo per speciale privilegium Pauli IV. emanatum *die 29. Aprilis 1557.* & postea à Pio. V. confirmatum. Quinimò si judex secularis differat executionem possunt Inquisitores absque motu incurrendæ irregularitatis instare sub gravi comminatione ut sententiam ab eis latam exequatur, ut communiter docent Doctores contra Covarrum tuam. Ita Felix Veranus *loc: cit. num: 4.* Maiolus *lib: de irregularitate c. 9. & cap. 10 p. 5.* Scotus *in 4 dist: 13. q. 2. E. dist: 25. qu. 1. b.* dum ait: Inquisitorem vel alium Judicem Ecclesiasticum tradere Clericum curiæ sæculari, non esse aliud, quàm ipsum totaliter excludere ab actibus Ecclesiasticis, & à tutela, & à foro, & à numero personarum Ecclesiasticarũ: hoc autẽ fieri potest, sine ullo irregularitatis periculo, quia terminus hujus actionis non est mors sed tantùm exclusio à statu Clericali. Et ita proportionaliter discurrendum est, dum Laicum tradit curiæ seculari, non fieri irregularem, quia ipse non profert sententiam sanguinis, nec delegat jurisdictionem, sed solùm permittit judici sæculari, ut in talem personam manum mittat supposita delicti declaratione.

DUBIUM 6. *An Prælatus Ecclesiasticus temporalem jurisdictionem habens, vel Princeps sæcularis si temperet sententiam prolatam à suo ju-*

dice delegato, & jubeat minorem mortis pœnam, incurrat irregularitatem? R. Negativè. Ratio est, quia in hoc casu Prælatus vel princeps non est causa proxima mortis, sed tantùm minuit rigorem illius Layman *lib: 5 sect: 5 p. 31 cap: 7. n. 4.* Et idem dicendum est si dictus Prælatus vel Princeps sæcularis, deleget potestatem, alicui specialiter, pro aliquo delicto in particulari; nempe homicidio in sua jurisdictione commisso ut inquisita veritate reum morte plectat. Ita Diana *p. 4. tract: 2. 2. resolut 78.* Contra Henriquez *lib: 14. cap. 12. n. 6.* Et idem dicendum est, si Clerico deleget, ut vice sua eligat judicem, qui causam criminalem cognoscat, Ita Gibalinus *cap. 4. quæst: 3: Consect: 7. dist: 5. versu: 6.*

DUBIUM 7. *Quòd si Prælatus Ecclesiasticus vel Princeps sæcularis jubeat Iudici à se designato, ut sententiam sanguinis ferat in talem malefactorem, an incurrat irregularitatem?* R. *affirmativè.* Ratio est Quia tali mandato directè & proximè morti rei comparatur. Henriquez *lib: 14. cap: 12. n. 6.* & communiter. Et idem dicendum est, si talis princeps vel prælatus jubeat Judicem, ut sequenti die occidat reum, jam ab ipso Judice ad mortem damnatum. Ratio, est enim causa proxima ut reus ille citius occidatur Navarr: *lib. 5 consiliorum consilio 16. n. 2* Et idem dicendum est si talis Prælatus vel Princeps jubeat reum aliquem capere, & ad se sive vivum, sive mortuum adducere; ratio, est quia illa verba judicis dederunt executoribus animum, ut reum interficerent. Jta Maiolus *lib. 5. de irregular: cap. 48 §. 2. n. 8.* Jdem dicendum est si judex, vel Prælatus, edicto proponat præmium eis

qui

qui alicujus rei caput, aut membrum aliud attulerit. Gibalinus supra. *q.* 3. *cap:* 4. *consect:* 7. *dist:* 5.

DUBIUM 8. *An potest Clericus absque metu incurrenda irregularitatis si in suis rebus, aut suorum, aut Ecclesiæ bonis, est injuriam passus de suis malefactoribus conqueri coram judice sæculari eosque denuntiare magistratui etiam de illis, criminibus, quibus statuta est pœna sanguinis?* R. *affirmativè*, dum modò protestetur quod id non faciat ad vindictam seu pœnam sangvinis, sed tantùm petat emendam sibi fieri ut colligitur ex cap. *Postulasti de homicid.* & cap *Prælatis* eodem in 6. Ratio est, quæ ibi insinuatur, quia *alioquin daretur plerisque malefactoribus materia trucidandi eosdem* (scilicet Clericos) *aut ipsorum bona liberè deprædandi*. Cæterum si Sacerdos ad patibulum concomitans reum morte plectendum passus accelerarct, ut reus inde etiam magis properaret, non incurreret irregularitatem: quia hoc non est influere, in mortem ejus. Quâ ratione Layman ridet cujusdam confessarij scrupulum, qui cum reum comitaretur ad supplicium, eò quia asinum in quo vehebatur pupugisset, irregularem se existimabat, quasi mortem patienti accelerasset. Quinimò neque censeretur confessarius fieri irregularis, si reum hortaretur, ut in via procederet. Secus si cooperatio, vel acceleratio mortis esset notabilis, tunc non excusaretur ab incurrenda irregularitate. Hæc Felix Veranus, & verè & benè.

DUBIUM 9. *An incurrant hanc irregularitatem, accusator, advocatus, & procurator, quando accusator deficit in probatione?* R. *affirmativè*. Si punitur talis pœnâ talionis, aut mutilationis, si

talem

talem punitionem directe petierunt: secus verò si solum intendebant defensionem accusati, quia tunc non concurrunt ad punitionem accusatoris; sed præcise ad defensionem innocentis: ut docet Suarez *disp: 47 q. 4. n. 5* Aduocatus verò ipsius accusatoris qui pænâ talionis punitur, incurrit irregularitatem, si talis accusatio fuerit injusta: ratio est, quia tunc dedit operam rei illicitæ, ex qua probabiliter potuit sequi tale nocumentum: tum quia patrocinando, injustum accusatorem eum constituit in tali periculo. Non tamen hæc irregularitas esset defectu lenitatis, sed potiùs ex homicidio culpabili indirectè voluntario. Quod si aduocatus bonâ fide existimaret, causam esse Justam excusaretur ab irregularitate, sicut etiam à culpa.

DUBIUM 10. *Si Iudex Clericum interrogaret an tali delicto debeatur pæna mortis, & ipse in genere tantùm assereret, tale delictum esse puniendum pænâ mortis, an fieret Clericus irregularis?*

℞. *Negatiuè*, quamvis postea ob talem affirmationem judex damnaret capite delinquentem. Ratio est, quia responsio data à Clerico fuit tantùm speculatiua; proinde influere non potuit practicè in illam mortem: quâ ratione possunt etiam concionatores ex suggestu, & Doctores ex cathedris generatim persuadere judicibus, ut servent leges, exerceant justitiam, & purgent Rempublicam à præfatis hominibus, infligendo ejsdem pænas debitas. Secus non excusaretur ab irregularitate, si in particulari responderet, talem numero malefactorem esse morte puniendum ob patrata sua delicta, quia tunc responsio influeret in homicidium, si hoc sequeretur ob datam responsionem illam. Sin autem judex in confessi-

one sacramentali aperiret confessario se nolle re-
um occidere, quem secundùm leges teneretur
occidere; non fieret irregularis confessarius. si
eum non absolueret donec animum mutaret, &
proponeret exequi quod tenetur ex justitia secun-
dùm leges: ratio est; quia tunc confessarius tan-
tùm declarat, quod ex officio facere tenetur, &
non intendit mortem alterius, sed tantùm corri-
gere pænitentem, quem aliâ viâ absoluere non
valet; neque enim confessario tollitur libertas
reddendi rationem, quâ negat absolutionem. Se-
cus incurreret irregularitatem, si determinatè
diceret. Ego nolo te absoluere, nisi illum inter-
ficias. siquidem hoc non solùm esset declarare
jus & obligationem, quæ judici inest, sed potiùs
eum monere ac incitare ad exequendam pœnam
mortis. Neque fieret irregularis confessarius qui
obligaret pænitentem ad confitendum delictum,
dignum pænâ mortis, & de quo juridice interro-
gatur, tametsi tali confessione sequatur ejus
mors, quia tunc confessarius tantùm intendit di-
rectè, & immediate consulere animæ pænitentis
& mors illa non nisi indirectè, & per accidens
consequitur. Et idem dicendum est de confes-
sore qui obligat reum pænitentem juridicè in-
terrogatum ad fatendum crimen dignum mor-
te, casu quo reus, teneatur illud fateri etiam
pereunte reo. Secus si non teneatur illud fateri
saltem ex aliqua sententia probabili quam con-
fessor vel consulens probe sciat. Gibalinus *q. 3.*
confess. 2. dist. 10. & alij communiter. Quam-
vis in hoc casu non hanc irregularitatem ex de-
fectu lenitatis existimat R. P. Antonius à Spiritu
Sancto Episcop: Angol: incurrere vel consulentem
nisi in casu, quo consulens esset persona publica
& mini-

& minister justitiæ, sed tantùm irregularitatem ex delicto, mortaliter enim peccavit, consulens dans reo consilium ut fateatur crimen, quod cèlare licitè probabiliter poterat, non ei veritatem aperiendo.

DUBIUM 11. *An Iudex qui plures actus exercet in eadem sententia sanguinis tot irregularitates incurrat, quot fuerant actus distincti in eadem condemnatione mortis?* R. cum Gesualdo de Bonnonijs caput. *p. 2. Theol. Moral. tract: 23. cap. 4. de irregul. dub: 5. negativè. Ratio est* nam irregularitas non est imposita pro singulis actibus præcisè, sed pro morte vel mutilatione, quæ cum semel tantùm sequatur, unam tantummodo inducit irregularitatem: ex quo sequitur, quod judex sive ejus ministri condemnantes, sive effodientes oculos, & manus alicujus hominis condemnati, per unicam sententiam non incurrunt plures irregularitates, quot fuerant membra illius hominis amputata, sed solum unam, eò quod omnia talia membra virtute unius sententiæ amputata fuerunt.

DUBIUM 12. *An condemnans plures homines, ad mortem unica sententiâ plures irregularitates incurrat?* R. *Negativè*, Eò quod tales homines unica actione seu sententiâ fuerunt ad mortem condemnati: exemplum patet de illo, qui unica actione plures simul Clericos percutit, qui non plures sed tantum unam excommunicationem incurrit, ita similiter dicendum est in proposito: nam in casu judex unica sententiâ condemnavit, tot reos ad mortem, sive ad mutilationem, quòd secus dicendum esset, si diversis sententijs plures homines condemnasset, tunc enim plures irregularitates fuisset incursus, quia plures actus distinctos

contra lenitatem exercuit prout notavit Bonacina.

DUBIUM 13. *An Clericus possit accusare aliquem ad recuperandum aliorum interesse?* R. *Negativè* Hoc enim solummodò permissum est in jure, ut Clericus possit licitè accusare illos, qui sibi damnum fecerunt, ad recuperandum interesse: non tamen accusare illos, qui damnificarunt alios, etiamsi sint consanguinei ipsius Clerici, quod solùmmodo permittitur, in causa propria non autem aliena. Jta Nauarr: Sayr: & alij (a) Imò secundùm probabilem sententiam aliquorum DD. poterit Clericus quandoque licitè hoc facere ad inquirendum satisfactionem de damno facto intimis propinquis & consanguineis, intimis in primò gradu, ut parentibus, filijs, vel fratribus, alijsque sub sua protectione & cura existentibus: eò quòd in casu tale damnum reputatur, quasi proprium, & injuriam illis illatam in ipsum Clericum videtur redundare, (præmissa tamen semper debita protestatione) similiter etiam poterit Clericus beneficiarius licite petere in judició satisfactionem damni facti suæ Ecclesiæ, nam bona talis Ecclesiæ ad ipsum spectare videntur, ità Auila cum alijs [b]

a Navar: *cap: 27. n. 213.* Sayr *lib: 6. c. 18. n 10. §. 9.* Suarez *disp: 47, sect: 2. n. 22.*

b Avila *D 7. D 5. sect: 2. d. 11.* Henriquez. *lib: 14 cap: 11, n. 5.* Bonac, *D. 7. q. 4. p. 2, n. 5.* cum alijs

DUBIUM 14 *An testificans in causa sanguinis secuta morte, vel mutilatione talis delinquentis efficiatur irregularis?* R. *affirmativè* Jta Maiolus Suarez, Bonac: & alij [a] Ratio assertionis est, quia quicunque aliquis & quocunque modo, est

do, est cooperator mortis, vel mutilationis membri alicujus hominis, secuta morte, per executionem justitiæ efficitur irregularis: sed testis deponens est causa sanguinis, & hujusmodi, cum ex testimonijs principaliter pendet sententia contra reum, nam judex semper procedit secundùm acta, & probata verificata ex testibus, ideoq; testis deponens contra reum secutâ morte, vel mutilatione effectus est irregularis, etiamsi talis ante testificationem præmisisset protestationem, ne pro sua depositione procedatur ad pænam sanguinis: hoc enim non est concessum testibus, sed solùm principali denuntianti pro interesse proprio: quod etiam procedit, licet talis depositio solùm modo præbuisset indicium ad inquirendum, vel carcerandum reum, & mors illius postea fuerit comprobata ex testimonio aliorum, vel suâ propriâ confessione facta in judicio: Ex quibus quo ad praxim-

Collige Clericum non posse cogi ad ferendum testimonium contra reum in causa sanguinis coram judice sæculari, eò quod non licet Clericis esse cooperatores ad mortem, vel mutilationem mediante sua assertione sine irregularitatis nota: Ergo Clericus, non tenetur in hoc obedire, cum non possit sine gravi peccato hoc facere. dixi [contra reum] quia ad defendendum reum poterit quandoque testificari de licentia sui superioris, quamvis deinde sequatur mors injusti accusatoris, eò quod prætensus reus inventus sit innocens, & accusator injustus, mediante tali testimonio convictus sit, tanquam injustus calumniator; quia in causa talis mors accusatoris respectu Clerici testantis in fauorem prosecuti innocentis, censetur sequi per accidens, nam dictum Clerici

testificantis, solummodò ordinatum fuit admanifestandam innocentiam indebitè prosequi pro defensione illius &c. Ita Vgolinus, Avila, Sayr, cum alijs [b]

a Maiol *de irregular: c. 8. lib: 2.* Suarez *disp. 47. sect: 3. n. 2.* Bonac: *D. 7. q. 4. p. 3. n. 1.*

b Vgol: *de irregulari cap. 7. n. 7.* Filliuc: *tract: 19. c. 9. n. 255.*

DUBIUM 15. *An accusans aliquem in causa sanguinis efficiatur irregularis secutâ morte vel mutilatione talis accusati?* ℟. *affirmatiuè.* Et ratio hujus est, quia accusans aliquem apud judicem sæcularem in causa sanguinis, secuta morte, vel mutilatione membri personæ accusatæ, existimatur tanquam causa proxima operatiua talis sententiæ, ideòque ipso facto efficitur irregularis, vel ex defectu lenitatis, quando accusatio fuit justa, & sine peccato, vel ex delicto, quando talis accusatio facta fuisset cum peccato, sive odij sive injustitiæ, sive vindictæ &c. in hoc enim omnes conueniunt: nam omnes & singuli, qui operantur ad mortem alicujus, & sunt causa talis mortis sunt irregulares, etiamsi protestentur, se non intendere mortem accusati, sufficit enim quod talis accusatio facta fuerit ad vindictam; nam eo ipso quòd in causa sanguinis petitur vindicta, implicitè peti intelligitur pæna mortis, sive mutilationis, quæ propter tale delictum in lege est taxata. Ita Giesualdus de Bononijs [a]

Verum est tamen quod quando talis denuntians vel accusans non petit vindictam, sed satisfactionem, vel interesse sibi datum cum expressa protestatione, dicendo: *se non intendere pœnam sanguinis, mutilationis, vel mortis talis denunciati*: tunc talis denuntiator excusatur à pæna irregularitatis

ritatis incurrenda: quamvis deinde talis denuntiatus à judice, non obstante protestatione condemnetur ad mortem, non imputatur talis mors ipsi denuntianti, licet talem sententiam fore sequuturam fuisset prævisum: sufficit enim, quòd facta fuerit debita protestatio: prout habetur expressum in cap. *Prælatis de homicidio* vbi hoc concessum est pro Clericis, ne laici scientes: Clericos non posse absque nota irregularitatis illos accusare coram judice sæculari audaciores, fierent ad inferendas illis injurias: ita Vgol. Suar. Henri. Bonac: cum aliis [b]

Hæc autem permissio Clericis *in c. Prælatis,* extenditur etiam ad Laicos: debent enim etiam Laici in accusationibus criminalibus faciendis si velint effugere periculum incidendi in irregularitatem facere protestationem similem, sicut Clerici; & quamvis *in d. cap.* Prælatis tantummodo facta sit expessa mentio Clericorum, quod factum est propter majus ipsorum periculum, eo quod Clerici in sacris, accusando peccant mortaliter, ingerendo se in causa sanguinis, violando præceptum Ecclesiæ in re gravi, prout dicitur *in c. sententiam sanguinis*, ne Clerici vel Monachi, & secuta morte sive mutilatione efficiuntur ipso facto irregulares, nisi ante sententiam fecissent talem protestationem.

Non tamen inde sequitur laicos non posse hoc uti privilegio, ne irregularitatem contrahant, jus enim tale remedium invenit pro irregularitate vitanda, quæ mediante tali accusatione contrahi poterat, & mediante tali protestatione evaditur, & impeditur, quantùm fieri moraliter potest, talis concursus declarando se non intendere mortem accusati; cùm ergo accusatio facta

facta à Clerico ita sit moralis occasio mortis, sicut à laico sequitur laicum, ut irregularitatem effugiat, etiam talem protestationem præmittere debere, prout dicunt Navar Covarr: Suarez Bonac: & alij plures [c]

Notandum insuper, quod talis protestatio facta impedit irregularitatem contrahendam, etiamsi talis accusans posset res suas aliâ viâ recuperare, quamvis prævideat talem accusatum; mediante accusatione, posse & condemanri ad mortem, & etiam quod ipse intendat & desiderat interiùs, quòd talis accusator morte puniatur: sufficit enim quòd exteriùs faciat veram & expressam protestationem, coram Iudice dicendo, se non intendere pænam mortis vel sanguinis: sed simpliciter suum interesse, quo facto liber erit ab irregularitate incurrenda & ratio est, quia Ecclesia non infligit irregularitatis pænā propter actus internos, sed propter omissionem dictæ protestationis: nam ficta protestatio tantùm valet apud judicem, ignorantem talem fictionem internam quantùm valeret, si ex animo esset facta. Ita Henriquez, Suarez, Molina, Coninch: [d]

Quomodo autèm & quibus verbis facienda sit talis protestatio? ℟. cum Vgolino & Bonac: [e] faciendam esse à Persona accusante coram judice, apud quem fit quærela his vel similibus verbis, dicendo: *Domine peto, ut cures mihi satisfactionem exhiberi à tali Persona e. g. Petro, qui mihi tale damnum intulit: & protestor* me nulla *ratione intendere pænam mortis vel mutilationis, vel sanguinis* quâ protestatione facta ab irregularitate incurrenda erit innoxius, aliàs secus si mors indè sequatur. Vgol: & alij.

Colli-

Collige quod ad praxim. Quòd talis accusator in causa sanguinis, si simpliciter petat vindictam contra malefactorem dicendo: *Peto meum interesse*, nihil aliud addendo, non excusatur ab irregularitate, secutâ morte: nam semper requiritur expressa protestatio, eo modo uti dictum est, si talisque protestatio facienda est verbis externis coram judice, ante prolationem sententiæ: non est tamen necessarius, ut talis protestatio detur in scriptis, cum sufficiat, ut saltem sit proprio ore facta.

a. Giesuald de Bononijs *p. 2. Theol Moral: tract: 23. cap, 4 de irregul:*

b. vgol: *de irregul: cap. 6. n. 2.* Henriquez *lib: 14. c. 10. n 4.* Bonac: *D. 7. q. 4. p. 3. n. 3.*

c. Navar: *c. 27. n 1. 13 & 216. n. 6.* Bonac: *D 7 9 4 p. 1. num: 12.*

d. Henriquez *lib: 14. c. 3.* Molina *tom: 1. tom: 3 D. 8. n. 4.*

e. Vgolinus *de irregularit: c 6 §. 7.* Bonac *D. 7. 9 4. p. 1. num: 9.*

DUBIUM 16. *Quod si Clericus medijs injustis probet delictum ad recuperandum damnum verè illatum incurrat irregularitatem?* v g. Si quis vero commisit atrox delictum, qui illud passus est, non habet illius testes, per falsos tamen testes, illud probavit, ita ut inde resultaret mors rei, manebitne hic irregularis? R. ex Antonio à Spiritu Sancto Episcop: Angol: *disp 2. sect: 6. §. 2. de irregular: in communi negativè.* Si prædicta protestatio facta fuit, & ipse tantùm intendit recuperare damnum, & non vindictam saltem in foro externo Et ratio est; quia qui repetit in judicio rem suam etsi falsis testibus, & medijs injustis esse suam probet, non tene-

tur

tur ad restitutionem, quia substantialiter non peccat contra justitiam sed tantum modaliter, ut tenet Sayrus cum multis *in Clavi Regia lib: 12. cap. 13. n. 13.* Ergo accusans justè & in justè probans peccabit contra justitiam, solum in modo & non in substantia Ergo non incurret irregularitatem, quia justitiam in substantia casus observat; in materia enim pænali benignior pars est accipienda

DUBIUM 17. *An incurrat irregularitatem ille, qui accusat aliquem, ob crimen leve, & illum detinens in carcere, & postea reus ob alia delicta ab alijs cumulata puniatur morte?* R. *Negativè* hoc enim per accidens evenit accusationi rei levis. Et idem dicendum est, si clericus deferat ad judicem crimen quod non meretur, mortem vel mutilationem, licet judex reum captum injuste condemnet ad mortem vel mutilationem. Ita Navarr: *in Manuali. c. 7. n. 114.* & cum alijs Palaus *disp: 6 p. 14. n. 2.* An autem si communitas aliquem accuset, incurrat irregularitatem? R. *Negativè*; quia non est cummunitas capax ordinis; incurrent tamen singuli de ea irregularitatem, si non præmittant dictam protestationem. Ita cum communi sententia Fr: Chrystophorus à S. Ioseph: v. *Censum de in irregul: dub: 11. S. n. 7.*

DUBIUM 18. Quoniam *S. 11. dubio* 8. supra diximus abstemios qui nullo modo vinum sumere possunt, nec retinere absque periculo vomitûs, esse inhabiles ad ordines consequenter fieri irregulares; in præsenti dubio quærimus, an in causa sanguinis v. g. ebrius existens, hominem interficiens vel mutilans efficiatur irregularis nec ne. R. cum distinctione ex doctissim

Fagan-

Fagnano [a] & pluribus alijs ab illo citatis cum distinctione, nam si sine culpa puta quia eo ignorante alius miscuit sal cum vino, vel dentem caballinum, vel quid simile; aut quia sumpto vino moderate ignorans illius potentiam præter consuetudinem & opinionem contraxit ebrietatem expeditum esset hunc non esse aliqua pænâ puniendum, nec irregularitatem incurrere, quoniam talis nec venialiter quidem peccet ut docet S. Thomas Turrecremat & alij & sic credimus de Noe Genes *9.* & de Loth, qui commisit incæstum, à quo excusatus est secundùm August: contra Faustum ut *in cap inebriaverunt 15. q. 1.* & ita hunc non esse irregularem. Dicit enim textus Genes 14. *Et ne tunc quidem senserit quando concubuerit, nec quando illa surrexerit* & ita hunc non esse irregularem ,nec quisquam dissentit. Qui autem sua culpâ in ebrietatem incidit; & quidem si dedit operam ut inebriaretur, & sciebat se consuevisse in ebrietate arma sumere, & homines persequi, procul dubio efficitur irregularis, quia per immoderatam potationem dedit operam rei illicitæ, & ad occisionem periculosæ ex his quæ solent accidere: Ita Marian Socin & Covarr: b. & hic casus similiter est extra dubium.

Dices Qui ex simplici culpa in ebrietatem incidit immoderatè bibendo & in ebrietate commisit homicidium an talis sit irregularis? R/ cum S. Thoma & alijs [c] absolutè hunc esse irregularem cui subscribit Silvest. Ait enim aliquid esse posse voluntarium, vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur; vel secundùm causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum: Ex hoc enim quasi

volun-

voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit. Suadet & ipsa paritas rationis nam miles cæleftis militiæ, & miles armatæ militiæ videntur æquiparari *ut l. miles* & ibi notatur *de re judic*: sed miles armatæ militiæ in ebriete seipsum vulnerans, aut aliàs mortem sibi consciscens à militia removetur. Ergò fortiùs miles cæleftis militiæ vt eft clericus debet seponi ab altaris ministerio, & per consequens videtur in irregularitatem incidere Tum quia eidem sententiæ favet authoritas Arist. 1. *Ethic. c.* 5. dùm docet ebrium mereri duplices maledictiones, videlicet ut explicat D. Thomas *in 1. 2. quæst.* 76. *art* 4. ad quartum propter duo peccata quæ committit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum quod ex ebrietate sequitur. sed

Dices 1. Ebrius & furiosus æquiparantur *c. Vetter* 35. *distin* Sed furiosus non eft irregularis propter homicidium in furore commissum ut in *d. Clem si furiosus*. Ergo nec ebrius.

℞. Retorquendo argumentum; furiosus, qui propria culpâ in furorem incidit, irregularis efficitur, si in furore aliquem interfecerit, in di cap *Ad audientiam n.* 24. Ergo & ebrius qui sua culpâ incidit in ebrietatem.

Dices 2 Homicidium ebrij processit ab eo, qui caret vsu rationis, Ergo irregularitatem non inducit ℞. Neg; conseq. quia irregularitas non contrahitur hoc casu ex eo quod homicidium sit voluntarium in se, sed quia voluntarium eft in causa sua propter culpam præcedentem, ut ex mente D. Thomæ superius dictum eft.

Dices 3. Ebrius non punitur propter homicidium commissum, sed propter ebrietatem illam,

ſam quæ gaviori pæna eſt digna propter circumſtantiam homicidij, cui cauſam præbuit: quod videtur ſenſiſſe D. Bonavent: *in 2. ſent. diſt: 22. artic: l 93.* dum ait, nec furioſum, nec ebrium quamvis uterq; illorum ſit ſua culpa uſu rationis privatus poſſe committere novam culpam, ſed omne malum quod durante furore, vel ebrietate factum fuerit eſſe circumſtantiā quæ aggravat ebrietatis, aut furoris peccatum; R. Ex Fagnano loco cit. *cap ſi conſtiterit n. 36.* Hoc argumentum eò tantum ſpectat, ut oſtendat delictum in ebrietate, vel furore commiſſum non conſtituere novam ſpeciem peccati, ſed eſſe circumſtantiam peccati præcedentis, quod & nos fatemur; quia voluntarium. eſt de ratione intrinſeca peccati actualis, juxta illud vulgatum apud Theologos, non eſt peccatum niſi voluntarium, nec poteſt voluntarium eſſe in eo; qui caret vſu rationis. Sed non eſt bona conſequentia homicidium in ebrietate commiſſum non eſt nova ſpecies peccati, quia non eſt voluntarium; ergo ex illo non contrahitur irregularitas. Ratio eſt, quia ad irregularitatem, quæ non eſt peccatum, ſed pæna peccati non requiritur vt delictum ipſum voluntarium ſit in ſe, ut requiritur ad eſſe peccati, ſed ſatis eſt ut culpa præceſſerit, ut optimè explicat, D Thomas *in 4. diſt: 17. q 2. art. 2 q 4. ad 2.* ait enim: (Effectus Conſequens qui peccatum aggravat jam in actu præceſſit, velut in cauſa; & ideo quando commiſſum eſt totam ſuam quantitatem habuit, & ex effectu conſequenti non accreſcit aliquid quò ad culpæ rationem & ſi accreſcit, quò ad pænam accidentalem.) Hæc D. Thomas, quem ſequu-

tur Silvest *in Verbo Ebrietas num*: 5. Quod patet in omni homicidio casuali apertissimè & præter intentionem commisso: illud enim non potest dici peccatum homicidij cùm voluntarium non sit, quia ignorantia & error, perinde ac furor & ebrietas excludunt consensum, quia voluntas non fertur nisi in præcognitum; imò nil magis contrarium consensui quàm error, & tamen jura passim clamant ex homicidio casuali ignoranter seu per errorem commisso irregularitatem induci, quoties culpa vel ignorantia præcessit casum, ut in cap. *Continebatur cap. Suscepimus* & cap. *Ad audientiam*. Sicut etiam dormiens usu rationis caret, non secus ac furiosus, infans, vel ebrius, ut in d Clem. *Si furiosus de homicid.* & tamen si insomnijs filium in lecto suffocaverit irregularis efficitur propter culpam vel negligentiam, quæ homicidium præcessit. Itaq; licèt homicidium ebrij non sit pecatum ab ebrietate distinctum, sed circumstantia ebrietatis, semper tamen ex illo incurritur irregularitas, si præcessit culpa, sicut incurritur ab ignorante seu errante, vel dormiente, licèt in his quoque homicidium propter defectum consensus non sit nova species culpæ sed circumstantia culpæ præcedentis.

Dices 4. Ebrietas non est causa proxima nec immediata occisionis sed causa mediata & remota *arg. c. Qui adversitatem de conf. esse præben.* Nam culpa fuit causa ebrietatis, ebrietas verò causa occisionis. ℞. Cum Fagnano *loc: num*: 40 Hãc rationẽ esse infirmã, quia ad contrahẽdũ irregularitatem non requiritur; ut quis præbuerit causam proximam seu immediatam homicidio, sed satis est ut præbuerit remotam quando dabat operam

rei

rei illicitæ, si causa fuerit aliquo modo ad homicidium ordinata cap. *Continebatur* secundùm unum intellectum, & est communis regula in materia irregularitatis R. 1 *cum distinctione*. Dupliciter enim ex simplici culpa potest aliquis in ebrietatem incidere ex mente S. Thomæ *in* 2 2. 9 150. *art*: 2. Unde modo cùm percipit usum vini esse immoderatum, non tamen æstimat in ebriare potentem, & ita est inordinata concupiscentia, & vsu vini contigit ei ebrietas præter intentionem & consuetudinem; & hoc primo casu existimat Fagnanns hunc esse immunem ab irregularitate, si contracta ebrietate aliquem occidat, aut mutilet; Ratio est, quia in homicidio huiusmodi considerari possunt tres actus Primus est ipsa potatio, secundus ebrietas, tertius hominis occisio. In primum actum dumtaxat hoc casu fertur voluntas directè, nempe quia talis tantùm voluit bibere vinum immoderatè In secundum fertur voluntas indirectè & per accidens. In tertium verò, id est in occisionē aut nullo modo nec per se, nec per accidens fertur voluntas, aut per accidens quidem, sed valdè remotè. Atqui ex causa valdè remota & ad homicidium non ordinata irregularitas non contrahitur etiam ab illo qui dabat operam rei illicitæ ut est casus in cap. *Exhibita infra de homicid.* Vbi puer qui ludens lapidem jecit in alium puerum, ut timorem illi incuteret, & sic dabat operam rei illicitæ non contraxit irregularitatem, ex eo quod ille à projecto lapide, non percussus corruens, & capite illius ad petram ex aliorum incuria obijt. Et in huc primo casu saluari potest opinio Alphonsi à Castro & Covar, Et ita etiam intelligi potest

test quod docuit Arist: 2. *Ethic.* In ebrietate oportet veniam habere & quod habetur in l. *Omne delictum* §. *per vinum de milit.* Videlicet per vinum, aut lasciviam lapsos clementius esse puniendos. Ratio est, nam deliquentes per ebrietatem non dici studiose delinquere, sed impetuosè, & ideò minus puniendos esse, & hunc venialiter peccare tantùm docuit S. Thomas præ allegatus *in* 2.2.*q.* 150 *artic.* 2.

Alio modo potest quis in ebrietatem incidere, cùm advertit potum esse immoderatum & inebriantem & tamen vult magis ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere, & sic voluntariè inebriatur, & factus ebrius hominem occidit, aut mutilat; & talis non excusatur ab irregularitate, quia ejus voluntas proximiùs accedit ad homicidium, quàm in primo casu. In illo enim solus potus fuit voluntarius, ex potu verò præter intentionem contigit ebrietas, & ex ebrietate homicidium. In hoc verò non tantùm potus fuit voluntarius, sed etiam ebrietas, ex qua immediate homicidium processit. Vnde hic fuit in lata culpa & dedit causam proximam homicidio; aut remotam quidem, sed tamen ad homicidium ordinatam quæ sufficit ad incurrendam irregularitatem secundum Marian. Socin. in cap *de catero n.* 9. Præcognoscere enim debuit, & potuit facile posse contingere, vt in ebrietate aliquem percuteret vel offenderet; quia pluries iniuriantur ebrii quàm sobrii, vt patet per Philosoph 2. *Politic.* & per D. Thomam *in* 1. 2. *q.* 76 *m.* 4. *in fine.* Et propterea Prover 20. dicitur tumultuosa ebrietas, vel contumelosa, & culpam mortalem esse se scienter in ebriare probant multi Theologi. Ex his quo ad praxim,

Collige. ex Fagnano *loc: cit: num:* 49. qui arbitratur indistinctè ebrium homicidam debere se irregularem reputare, & abstinere à ministerio altaris, hoc præcipuo fundamento, quia cùm in hoc dubio sint ex utraque parte authoritates, & rationes probabiles hinc status rei dubius constituitur, ut patet 1. *Topicor. c. 9. in princ.* ubi problemata idcircò dicuntur dubitationem habere, quia de utrisque sunt rationes suasibiles; In dubio autem non tantùm facti, sed etiam juris tenetur quis ex præcepto in foro pænitentiali, vel quasi pænitentiali amplecti partem tutiorem præsertim in materia irregularitatis. Tum quia vix posset esse sine scandalo, ut ebrius ex immoderato usu vini hodie homicidium committeret, & cras nulla prævia dispensatione ministraret in altari Corpus, & Sanguinem Christi; quia abominabile est ut qui intinxit manus in sanguinem humanum offerat sanguinem & Hostiam immaculatam Deo.

a Fagnan. *in 1. p. 5. lib. decretal.* de Accusatione *c. si confiteritur.*

b Marian Socin in cap. *Ad audientiam n.* 56. Couarr: in d. Clemen. *si furiosus in 3. p. sub num: 4. vers. Posset quidem vera censeri.*

c D Thom: *in 1. 2 q. 77. artic. 7.* Syluest. *in ver: Ebrietas num:* 5.

PRACTICA VIII. De *Bello publico.*

Quoniam ut supra patet, etiam illi qui de proximò inituri sunt prælium cum hostibus censendi

sendi etiam sunt in periculo mortis. *Glos: in d. cap: pastoralis.* Vbi & cæteri Doctores, cum enim in quolibet prælio plures moriantur, & unusquisque timere possit de se ipso rationabiliter, omnes censentur in periculo mortis. Quod locum habet etiam in obsidionibus, tam quò ad obsidentes, quàm quò ad obsessos, quamvis isti non sint destinati, ad præliandum, nec non in militibus, quando præsto habent occasionem ineundi velitationes cum hostibus vicinis, cum quibus congrediendum sit, hi enim omnes occasione pugnæ obnoxij sunt periculo mortis; merito de bello publico & priuato practicam instituimus; & ad hunc locum materiam hanc tractandam, consultò remisimus & protraximus. Sit ergo.

§. I.

De irregularitate orta ex delicto, ob bellum injustum & justum.

DUBIUM I. *An omnes illi, qui in bello occidunt injusto vel mutilant vel occidunt incurrant irregularitatem?* R. *affirmative.* Et eam incurrunt omnes milites tam pugnantes quàm seruantes, & parantes sarcinas, hortantes, & potiori jure Principes mouentes bellum, conducentes milites, victualia, & arma præbentes: siquidem omnes hi cooperantur ad mortes secutas in tali bello; qui autem morti cooperatur irregularis est ex cap. *petitio tua de homicid:* Ita cum Villalobos, Bonac: Suario, & alijs. Imò non solum incurrunt irregularitatem, pugnantes in bello injusto, quando ex parte inimicorum dantur homicidia & mutila-

mutilationes, sed etiam si dentur ex parte ipsorum pugnantium injuste, incurrunt in hoc casu irregularitatem casualem; nam cum mortem suorum non intendant, casu euenit; quia temen sequitur ex opere illicito, incurrunt irregularitatem Ita cum Suario, & alijs communiter Fr. Chrystopho. à S. Ioseph *supr: n. 4.*

DUBIUM 2. *An Clericis, & Religiosis, etiam Laicis, prohibitum sit de jure Canonico, non tamen divino, pugnare in bello etiam justo aggreßiuo?* ℞. *affirmatiuè,* ex cap. *Clerici.* cap. *Quicunque 23. q. 8. cap. 1* Ne Clerici & Monachi, & tenent communiter DD unde Clerici etiam in minoribus Ordinibus constituti; si beneficium habeant Ecclesiasticum pugnantes in bello, etiam justo aggressiuo, sponte peccant mortaliter. Ita Suarez Azor, & alij (a) Et idem dicendum est de Religiosis laicis Candidus [b] contra Palaum, *tom: 1. tract: 6. disp. 5. p. n. 3. & 4* qui putat Clericum in minoribus, ut si beneficium habeat vel Religiosum laicum pugnantem in bello justo aggressiuo non peccare mortaliter. Nos tamen dicimus tales Clericos vel Religiosos non solùm peccare mortaliter pugnantes sponte in bello aggressiuo etiam justo, sed suspendendos esse Cap: *Clerici: 23. q. 8.* Et incurrere irregularitatem, si aliquem occiderunt; secus si nullum occiderunt, nec mutilarunt, vel ad id auxilium dederunt, & si dubitent, si aliquem occiderint. Ita Machado, Merola, & alij plures [c] contra Sayrum *lib: 6. cap. 19 dub: 6. n. 13. & alios.* Et idem dicendum est, quando probabiliter credunt, se nullum occidisse Henriq: *lib: 14. c. 13. n 4.* vel quando militarunt de licentia Papæ nàm tunc & si occidissent, vel mutilassent, non peccant nec incurrunt irregularitatem. Ita

 cum

cum Bonac Fr. Christoph. à S. Ioseph supra n. 6.

a Suarez disp: 13. *De bello sect.* 5 *n.* 5. Azor 3. *part: lib.* 2. *cap.* 16. dub: 5. & alij.

b Candidus *disp.* 17. *artic.* 9. *dub.* 1. *dist.* 2.

c Machado *lib.* 1. *p.* 3. *tract.* 17. *decum.* 11. 5. Merola *disp theolog. tom.* 1. *disp.* 3. *c.* 3. *n.* 231. cum Nauarr; *contra Sayr.*

DUBIUM 3. *An in bello justo defectu lenitatis perfectæ potest incurri irregularitas?* ℟. ex Felice Verano locis supr: cit: *affirmatiuè*: Etenim quicunque in bello offensiuo justo hominem proprijs manibus mutilant, vel occidunt fiunt irregulares, ut communiter docent DD. & colligitur ex cap. *Petitio de homicid:* cap. *Quicunque & sequ.* 23. *q.* 8. Licet Clerici possunt hortari ad pugnandum in bello justo offensivo propria tamen persona pugnare non debent cap. *ex multa* §. *fin. de voto & alibi.* Quod si bellum sit injustum, non solùm, qui propria manu mutilant vel occidunt fiunt irregulares, verumetiam, qui auxilium aliquod afferunt, licet proprijs manibus neminem occidant, aut mutilent secuta vnius hominis mutilatione, aut occisione, fiunt omnes irregulares: argum: cap. *sicut de homicid:* Secus in bello offensiuo justo, illi tantùm fiunt irregulares, qui propria manu occidunt vel mutilant, non verò alij, cujusmodi sunt hortantes ad pugnam, consiliarij, præbentes arma, exhibentes subsidium. Et ratio est, quia in jure non exprimitur hæc irregularitas, quæ incurratur ab istis, qui in bello offensivo justo proprijs manibus non occidunt, nec mutilant, siquidem hæc irregularitas non est inducta, nisi specialiter contra eos, qui propria manu occidunt vel mutilant in bello justo.

Si dicas. Omnes militantes in bello injusto fieri

fieri irregulares, si in eo fiant homicidia, vel mutilationes, eò quia omnes censentur concurrere per modum unius causæ moralis, siquidem mutuò se juvant vocibus & exhortationibus: imò & ipso opere, cùm virtus unita sit fortior, sed in bello offensiuo justo hoc idem contingit: Ergò etiam non occidentes, & mutilantes propria manu incurrunt hanc irregularitatem? R. concedendo quòd considerata rei naturâ, omnes quotquot pugnant in bello justo dici possint una causa moralis occisionis contingentis in tali bello: nihilominus non incurrunt irregularitatem, nisi propria manu occidant: neque alia disparitatis ratio possit assignari, nisi quia ita visum est Pontifici in præcitato capite, *Petitio* ut communiter explicant Doctores.

Si dicas Omnes concurrentes ad justam executionem mortis, in foro judiciali fieri irregulares defectu perfectæ lenitatis, tametsi non omnes illam mortis executionem proprijs manibus exequantur; Ergò idem dicendum videtur, de omnibus concurrentibus ad mortem in bello offensiuo justo. R. Neg: consequ: & ratio disparitatis est: quia ad illam justam executionem mortis in foro judiciali concurrunt omnes ad determinatam actionem occisivam, non ita in casu consequentis. Tum quia pro casu antecedentis irregularitas est in jure expressa: non ita pro casu consequentis, esset tamen irregularis, qui in bello offensiuo justo videns socium aggredientem determinatum inimicum, eum animaret. Ratio est, quia iste tunc moraliter influeret in eam occisionem, quâ homicidium fieret. Secus non fiunt irregulares, qui in bello offensiuo justo exhortantur milites, ut strenuè se gerant; neque fiunt irregulares,

qui ijsdem arma vendunt, subministrant, dummodo non incitent ad determinatam hominis occisionem.

DUBIUM 4. *An Clerici vel Religiosi licitè possunt in bello justo etiam aggressiuo assistere ad confitendum milites?* R. cum Hurtado, Gibalino, Turriano & alijs [a] *affirmativè.* Possunt etiam ibi existentes adhortari, & animare ad pugnam, non solùm in universum, ut tenent communiter Doctores, sed etiam ut valla inimicorum prorumpant, & inimicos occidant, etsi inde mors multorum sequatur, nec ob id incurrunt aliquam irregularitatem. Ratio est; quia hæc irregularitas, non contrahitur à personis priuatis, ut supra toties diximus, sed à ministris publicis, sed Clerici & Religiosi id non faciunt, ut ministri publici: ergo non incurrunt hanc irregularitatem, nec irregularitatem ex delicto; quia suadent rem licitam & justam. Hinc fit non incurrere irregularitatem Clericum qui in bello justo etiam aggressiuo, præbet arma sua militi, non habenti, ut se suaque defendat, etiamsi postea miles occidat aliquem. Jta Suarez, cum Nauarro, Henriquez, Sayro, Bonacina, [b] contra nonnullos quos ipsi citant. Quod verum est etiamsi Clericus det sua arma militi ut occidat aliquem in particulari Leander *tract: 2. de irregular: disp: 7. quæst: 124.* Contra alios communiter. Ratio est, quia Clerici possunt hortari in bello justo, etiam aggressiuo milites, ut strenuè dimicent, occidant inimicos, sine metu irregularitatis. Hæc enim non fiunt ab illis ut à persona publica, sed priuata: ergò etiam possunt præbere arma militi ut aliquem occidat, etiam in particulari. Jta Gibalinus *cap: 4. q. 3. consect: 6. dist: 5.*

a Hur-

a Hurtad: *disp*: 2. *de irregularit: difficul:* 12. *n.* 44. Gibalinus *cap.* 4. *de irregular: quast.* 3. *conſect.* 3. *tract.* 6 *diſp.* 5. 6.

b Suarez *diſp.* 47 *ſect.* 6. *n.* 11. Bonac: *quaſt.* 4 *p.* 4. *n.* 11

DUBIUM 5 *An occidentes & mutilantes in bello juſto defenſivo, ſive Laici, ſive Clerici vel Religioſi ſint, peccent vel incurrant irregularitatem aliquam?* ℟ *Negativè* Hæc eſt certa ex Clement, *ſi furioſus de homicid.* Sive defenſio fit in favorem paticularem, civium, ſive in favorem populi, ſive civitatis, ita Malletus [a] Hinc fit, poſſe Clericos & Religioſos in bello juſto defenſiuo, & occidere hoſtes ad defenſionem Regis, vel Principis, quem vident occidendum ab hoſtibus, ſi illi hoſtes non interficiant. Jta Sayrus, Candidus [b] Et idem dicendum eſt, quando id neceſſarium eſt ad defenſionem Patriæ, eo quòd videant, quod ſi arma non accipiant, Patria vel propria Civitas ab hoſtibus capietur. Jta cum communi ſententia Palaus Dicaſtillus [c] Et idem dicendum eſt, quando id eſt neceſſarium ad defenſionem Parentum, vel filiorum Jta cum communi ſentent: Candidus [d] Idem dicendum eſt, ſi Clericus hortetur militem, vel conſulat, ut pro tuenda fide moriatur vel ſi militem hortetur, ut pro defendenda Patria, vel Republica moriatur, etiamſi ſecuta ſit mors ipſius militis, ita Henriquez [e]

Ex his Collige Poſſe Monachos & Clericos etiam in Sacris ordinibus conſtitutos ex licentia Summi Pontificis militiam exercere, tormenta bellica dirigere, milites ducere, ſuis manibus pugnare, mutilare, occidere hoſtes in caſu neceſſitatis, quando ſcilicet aliter peritura eſſet Reſpubli-

ea, vel exercitus, vel propter obtinendam aliquam insignem victoriam redundantem in maximum bonum commune Christianitatis. Jmò Caiet: 2. 2. *quæst*: 40. *artic*: 2 Couarru: *select*: *in Clement*: *si furiosus p*. 2. *§*. 3. *n*. 2. Dominicus Bannes 2. 2. *quæst*: 40. *artic*: 2. & *alij* censent: in præfatis casibus posse Monachos & Clericos in sacris ordinibus constitutos pugnare, etiam non expectata licentiâ Summi Pontificis. Ratio est: quia tunc præsumenda est voluntas superioris, si enim Pontifex esset præsens, procul dubio dispensaret ob ingens bonum, quod inde oriretur Reipublicæ Christianæ. Tum quia in præcensitis casibus, quilibet tenetur ex lege naturali Charitatis defendere, & promouere commune bonum Reipublicæ. Tum quia contra legem naturalem lex Ecclesiastica non habet vim, adeò, ut non prohibeat Clericis aut Monachis, in præfatis casibus pugnam: sicut enim gratia non destruit, sed perficit naturam: ita nec Ecclesiastica lex pertinens ad ordinem gratiæ tollit obligationem naturalem ut notat Caiet: *quæst*: 33 *artic*: 7. quod si licet Clericis & Monachis pugnare, est etiam iisdem licitum ducere exercitum, præesse ijs, qui machinis, vel tormenta bellica dirigunt, excitare milites, ut irruant in hostes, pugnare suis manibus, immediate mutilare & occidere, exspoliare hostes, & illa omnia exercere, quæ jure bellico possunt alij milites facere.

a Malletus *bractea* 34. *ex cap*: 2. *immunit*: *Ecclesiarum*.

b Sayrus *lib*: 6 *Thesauri cap*: 19. *n*. 8 Candidus *tom*: 1. *disp*: 17. *artic*: 12.

c Palaus *tom*: 1. *tract*: 6. *disp*: 6. *p*. 6. *n*. 7. Dicastillus *lib*. 2. *de justitia tract*: 1. *disp*: 16. *n*. 486.

d Can-

d Candidus *disp*: 17. *artic*: 12. *n.* 2. *dicto* 3.
e Henryquez *lib*: 14. *cap*: 16. *n.* 4. *& alij.*

Si petas, An tunc incurrant Monachi & Clerici irregularitatem? R. *Negatiuè* ita Card. de Lugo cum alijs [a] cui adhæret Felix Veranus [b]. Ratio est quia irregularitas non incurritur nisi in casibus jure expressis, & cum Nauarro in manuali *cap*: 27. *n.* 194. censent plures, atqui tantùm ratione homicidij, fiunt expressè irregulares, qui vel illicitè occidunt, vel præstant auxilium rei illicitæ, ex qua homicidium sequatur: vel licitè occidunt tanquàm publici justitiæ ministri, ut patet ex sacris Canonibus quos citat Nauar: loco citato atqui secundùm regulam juris odia sunt restringenda non amplianda: ergo præfati Monachi & Clerici non incurrunt irregularitatem. Tum quia in Clement. *si furiosus* dicitur non esse irregularis qui ad defendendam propriam vitam injustum aggressorem occidit. Et cap. *si verò de sententia* excommunic: ille nec dicitur incurrere excommunicationem, qui ob simplicem defensionem proximi & innocentis Clericum percutit. Et cap. *dilecto de sentent*: *excommunic*: *in sexto* ex naturali illo principio, vim vi repellere licet, infert Summus Pontifex, licere etiam à proximo non minus quàm à se ipso vim vi repellere: cum igitur fauores sunt ampliandi, ex regula juris, omninò concludendum est præfatos Monachos & Clericos occidendo hostes in prædictis casibus non incurrere irregularitatem. Tum quia non videtur probabile, propter actum ad quem quis tenetur ex jure naturæ incurri Canonicum impedimentum, licitè exercendum suum proprium munus, ad cujus executionem, etiam tenetur jure naturæ: atqui hoc contingeret, si Monachi

& Cleri-

& Clerici in præfatis casibus, in quibus jure naturæ pugnare tenentur, irregularitatem incurrerent: siquidem tenerentur tunc ex jure naturæ pugnare, mutilare, occidere hostes ob bonum commune Reipubl. Christianæ & etiam ad propriam specialem defensionem, & ex alio capite non tenerentur pugnare, ne se redderent inhabiles ad proprium munus suorum obeundum & exercendum, quod quidem ex jure naturæ tenetur etiam cavere: atqui impossibile est, ut eodem tempore, & per eandem actionem quis satisfaciat simul duobus contradictorijs cujusmodi sunt pugnare & non pugnare, ergò præfati Monachi, & Clerici, pugnando, mutilando, & occidendo in præfatis casibus, non incurrunt irregularitatem.

Dices ex Bannes irregularitas etiam incurritur ob actum virtutis, judex enim (ut supra diximus) ob actum justitiæ punitiuæ, quo morte punit reum, incurrit irregularitatem, & redditur inhabilis ad suscipiendos ordines Clericales, ergò etiam Monachi & Clerici tametsi pugnent in bello justo, & ad defensionem, boni communis, occidendo hostes incurrunt irregularitatem? ℟. Neg: consequ: ratio discriminis est, quia ad suscipiendos ordines Clericales, nemo jure naturæ adigitur, vel tenetur, proindè non est mirum, si propter actum alicujus virtutis possit quis incurrere irregularitatem, ac fieri inhabilis, ad officium Clericale suscipiendum. Secus ad exercendum officium Clericale tenentur jam ex se Clerici, qui proptèrea non reddunt se inhabiles ad tale exercitium per actum, ad quem tenentur ex jure naturæ. Tum quia Monachi & Clerici in præfatis casibus, censentur pugnare cum facultate interpretatiua Summi Pontificis; cum enim agatur de bono pu-

blico

blico Christianæ Reipublicæ, quæ, si Monachi & Clerici non pugnarent, versaretur in summo discrimine, censetur tunc Summus Pontifex eis facultatem pugnandi concedere. Unde sic argumentor. Quotiescunque Monachi & Clerici pugnant ex licentia expressa Pontificis non incurrunt irregularitatem, tametsi mutilent, & occidant hostes; atqui in prædictis casibus supponitur saltem interpretatiua licentia Summi Pontificis, cum agatur de bono publico Reipublicæ Christianæ: ergò non incurrunt irregularitatem.

Dices. Ex Caietano *2. 2. quæst: 40. artic. 2* Irregularitas etiam sine peccato incurritur ob solum defectum, ut vocant perfectæ lenitatis & nos supra diximus; quando autem Monachi & Clerici in bello mutilant, & occidunt alios, deficiunt in lenitate, consequenter incurrunt irregularitatem. Ex quibus deducit secundùm jura antiqua solùm homicidium omninò casuale non inducere irregularitatem, alia verò homicidia voluntaria, quæ fiunt in bello etiam justo incurrere irregularitatem. ℞ hoc argumentum non videtur magni momenti, siquidem absque culpa non incurritur irregularitas ob defectum perfectæ lenitatis, nisi à publicis justitiæ ministris quatenus isti non tenentur statum Clericalem suscipere. Cæterum Clerici, jam constituti in sacris ordinibus quia tenentur ad exercitium proprij officij in præfatis casibus non incurrunt irregularitatem Neque quod adducebat, solum homicidium, omnino casuale non inducat irregularitatem, probat præfatos Monachos, & Clericos incurrere irregularitatem, quia in præfatis capitibus allegatis à Cajetano vel potius Bannes habetur quidem quod homicidium

omnino

omnino casuale non inducat irregularitatem non tamen habetur, quod illud solùm irregularitatem non inducat: inclusio autem unius non est exclusio alterius: unde ex præfatis capitibus non probatur, quod Monachi, & Clerici occidendo in præfatis casibus incurrant irregularitatem.

a Cardinalis de Lugo *in respons: moral: lib: 5. dub: 14.* Syluester *V. bellum 3 quæst: 2.*

b Felix Veranus *disp: 17. de bello sect: 9 n. 17. 18. 19. 20.*

Si petas. An in omni bello necessario defensiuo & certis casibus necessitatis, liceat Clericis & Monachis propria manu pugnare? R. *affirmatiuè*, nam ipsum jus naturale id permittit in certis casibus, quos casus enumerat Molina & Layman. 1. Si id necessarium sit ad defensionem propriæ vitæ. 2. si necessarium sit ad defensionem proximi innocentis, præsertim qui Reipublicæ valdè utilis, aut necessarius sit. 3. Si necessarium sit ad defensionem Patriæ, aut Civitatis, contra injustos invasores *Argum: cap: 2. de immunit: Eccle:* 4. Si necessarium sit ad consequendam justam victoriam ex qua salus Ecclesiæ vel Reipublicæ Christianæ multum dependet, qualis tamen necessitas in bello offensivo rarò occurit cum plerique milites laici adhiberi possint.

Si petas An autem Clerici, qui vel ex necessitate defensionis Patriæ aut Reipublicæ, ut supra dictum est, vel cum dispensatione Papæ, in offensivo vel defensivo bello militant, incurrant irregularitatem? R. Cum nostro Cardinal: de Laurea *disp: 34. Artic: 10 §. 4 n. 243. & 245.* qui de primis, habet dubium, non de alijs, idest Clerici, qui in casu justæ defensionis Patriæ vel Reipubl: militant, incurrunt irregularitatem nam licet *cl. element de homi-*

homicid: Volunt, dicat non incurrere sed Concil: Trident: *sess. 14. de Reform.* statuit oppositum de eo, qui vim vi repellendo, ut se defenderet alium occidit; sed loquitur de singulari persona; alium occidente non defendente Patriam vel Rempublicam. Sed existimat Cardinal: de Laurea eos incurrere, quia est eadem ratio, de se defendente, contra unum, ac contra multos dummodo tamen homicidia per Clericos ipsos vel per alios ipsis accidentibus acciderint. Quo ad illos verò Clericos cum dispensatione Papæ in offensiuo vel defensiuo bello militantes asserit eos non incurrere irregularitatem. Ratio est: nam beneficium; & gratia Principis non debet restringi, igitur si dispensatur antecedens, dispensatur consequens. Imò nisi sub intelligeretur dispensatio ab incursu irregularitatis, vana esset dispensatio ad bellum, hæc enim finem suum non sortiretur; quia Clerici nollent se periculo ejus pænæ subijcere, & si ad bellum procederent desides essent, & in casu prælij artificiose à certamine se subtraherent, ne homicidia committerent; & ne alios sua assistentia ad occidendum inflammarent. Tum quia, euntes ad bellum Cruciatæ cum redeunt dispensationem super irregularitate non quærunt: & ideò Valentia. *tom: 3. disp: 3. q. 16. punct: 4. asserto 7.* pro hac sententia, quam sequitur multos adducit Doctores.

§. II.

De his qui in bello se exponunt periculo mortis.

Notandum, quod tria sunt genera personarum, quæ

quæ possunt pergere ad bellum: Principes, quorum imperio bellum movetur; Duces, quorum Consilio bellum ordinatur: & milites, quorum opere bellum perficitur: de his omnibus agemus in præsenti ut videamus quando ista liceant & quando non.

Notandum 1. Quod triplex potest esse bellum, justum, injustum & dubium. Bellum tunc dicitur justum, quando habet tres conditiones scilicet quando adest auctoritas indicendi bellum, justa causa bellandi, & recta intentio, quarum una ex his conditionibus deficiente bellum erit injustum, recta tamen intentio ad faciendum bellum justum solùm requiritur in Principe. Ratio est; nam si particularis miles malam habeat intentionem, puta ulciscendi se ab inimico, licet peccet, non tamen reddit quo ad alios bellum injustum: tunc denique bellum dubium est, quando non tàm claré parent appositæ conditiones, sed aliqua earum manet in dubio. Hoc tamen dubium adhuc dupliciter cosiderari potest: uno modo, quatenùs taliter est dubium, ut pro neutra parte rationes faciant inclinare justitiam; alio modo, quatenus ratio potius pro una, quàm pro altera parte facit: si secundum tunc certum est bellum esse injustum pro illa parte, cui nec justitia nec ratio favet: si verò primum, aut neuter possidet rem, pro qua bellum committitur aut unus eorum defacto ipsam possidet: si primum possunt pari ratione pro ipsa bellum facere; si verò secundum tunc ratio & justitia illi patrocinari videtur, qui est in possesione rei, dicitur enim in 6. decretalium regula 65. quod *in pari delicto vel causa melior est conditio possidentis.*

Notan-

Notandum 3. Vt Certum apud omnes, quod in bello justo licet unicuique bellando suam vitam periculo mortis exponere: hoc enim bonum est, & pro conservando bono communi necessarium; sicuti enim omnia membra, corporis naturalis conservationem totius procurant, etiam cum damno sui ita etiam membra corporis mystici, communitatis, debent hoc facere ne bonum totius pereat.

Notandum 4. Quod peccat ille, qui in bello injusto exponit se periculo mortis, *dist.* 23. q. 1. *in prin.* quia cum ex mala causa non possit oriri bonus effectus, & bellum injustum de se sit malum & peccaminosum, malùm quoque erit exponere se periculo mortis in illo. Tota ergo difficultas devoluitur in præsenti §. ad bellum dubium bene ponderanda est natura & definitio in Notando 2. belli dubij apposita.

Notandum 5. Quod milites qui ad bellum pergunt, possunt considerari dupliciter: vel ut sunt subditi Principis, sub cujus vexillo pugnant, vel ut extranei; si hoc secundum, vel ante bellum, jam ad stipendia prædicti Principis vivebant, vel solùmmodò ut Mercenarij ad suscipienda arma adveniunt. Quibus sic positis & ad notatis incipiendo à Principibus.

Habes primo. Quod non sufficit ad justitiam belli, in quo Princeps, & se ipsum & alios possit exponere periculo mortis, quod Princeps credat se habere justam causam, aliàs bellum semper esset justum: nam omnes credunt se justam causam habere sed necesse est ad bellũ justum diligenter examinare justitiam, causas belli, audire rationes hostium, virorum prudentum &c. Aliter si negligentia adhibeatur facilè errabitur

bitur. Ratio est, quia Princeps indicens bellum gerit vices judicis in re gravissima, sed judex tenetur inquirere diligenter & eximinare causas, antequam sententiam pronuntiet, ergò etiã hoc debet facere princeps & hoc facere potest Princeps, sive per se sive per alios adhibito etiam consilio virorum sapientum. Ita Franeiscus Victoria cum alijs [?]

Habes 2. Quod si per diligens examen causa adhuc remaneret dubia & aliter sit in possessione rei, non potest aliter Princeps illi indicere bellum. Ita idem Victor *loco; supra cit:* Ratio est, ex Regul: juris in 6 regul. 11. ubi habetur. *Cum jura partium sunt obscura, reo potiùs favendum est, quàm actori,* sed possesor se habet ut reus. indicens autem bellum ut actor; ergò in bello dubio potiùs est favendum possessori, quàm Principi bellum indicenti.

Ex quo Collige cum Bannes, quod si stante dubio causæ possesor privatur vi possessione castri vel civitatis, potest interim illud per illum recuperare, donec constet de iustitia alterius partis, nàm tunc ex tali privatione, illata est illi injuria,

Collige in super quod qui sic per bellum eripuit castrum vel civitatem tenetur ad restitutionem eius, aut saltem illud in deposito servare apud tertiam personam, quò adusque per prudentes viros decidatur.

Habes 3. Quòd si illud de quo dubitatur non habet legitimum possessorem & dubium est æquale, & unus Princeps velit dividere cum altero partibus æqualibus, vel recumpensare alteram patrem, non poterit alter in dicere

bellum

rere bellum & exponere se periculo mortis contra illum, nec talem rem vi occupare. Ita Bannes. Ratio est, nam alias se quaeretur bellum esse justum, ex utraque parte absque ulla ignorantia, quod aperte implicat: Sequela patet: quia unus justè occuparet locum, alter vero justè ipsum defenderet. Quod si dubium non sit æquale, sed magis in favorem unius, ratio facit inclinare justitiam, tunc dividenda est res pro qualitate dubij, ita quod major pars concedatur illi, cui major ratio favet, & minor alteri, qui minorem habet verisimilitudinem, etiamsi iste rem possideat quod si hic nolit rem relinquere, potestis ei primus bellum indicere, & exponere se mortis periculo Ita Bannes. Ratio est, nam ubique debet seruari justitia distributiva, sed hæc unicuique distribuit, secundum sua merita, ergo habenti maiorem verisimilitudinem ac rationem major pars est conferenda

Dices Cum Sanchez & Bonac: *Tom: 2. disp. 2. qu: ultim: sess: 1. punct. ult: num: 8. de restit: propr. homicit:* Quod possessio est titulus valde favorabilis possidenti; Ergo ille qui possidet etiamsi minorem habeat verisimilitudinem, majus habebit jus in re possessa, ac per consequens &c ℟. dist: anteced: Possessio est titulus valde favorabilis possidenti cæteris paribus. Conced: antec: si maior ratio militet pro una parte, quàm pro alia, negant & consequenter quod cum eveniat in casu nostro, semper tenendum est cum Dominico Bannez.

Habes 4. Si constet Principi de injustitia belli certò, nullatenus potest licitè bellum aggredi, & pugnare, consequenter nec se expo-

nere periculo mortis. Ita cum communi noſterCardinal de Laurea *tom: 4. de ſpe & charitate diſp: XIV. Artic: X. § V num: 248.* [b] Ratio eſt, nam eſt contra legem naturæ Divinæ & humanæ nedum Chriſtianæ. De lege naturæ eſt, *quod tibi non vis, alteri nè facias.* Nemo autem vult ſibi inferri injuriam, turbari quietem, vaſtari agros, diripi domos, occidi ſuos, ſive amicos, ſive ſubditos, ſine cauſa, hæc accidunt in bello, conſequenter ſine juſtitia nullus Princeps de jure naturæ poteſt bellum aggreſivum gerere, & ſe exponere periculo mortis. De lege divina etiam patet, nàm in utroque teſtamento nihil aliud frequentiùs prohibetur, quàm injuſtitia *ex pſalm 7. pſalm: 16. pſalm: 54. &c.* Homicidium & concupiſcentia rerum alienarum prohibentur in Decalogo ex præcepto charitatis, quilibet proximum debet diligere, hæc omnia præcepta violantur per bellum injuſtum aggreſſivum, ergò de iure humano Canonico patet ex cap: *Sicut 16. 2. de Iurejur* in quo non ſolùm declaratur prohibitum bellum injuſtum, ſed præcipitur ut Princeps qui illud ſuſcepit, omnia quæ abſtulit in eo reſtituat, & milites, qui fidelitatis juramentum præſtiterunt ab eo abſolvantur, & ſi non pareat, cogatur ab Epiſcopo ad parendum ſub pæna excommunicationis, & eius terra ſupponatur interdicto. Patet etiam de iure Gentium id prohiberi, omnes enim nationes, etiam barbaræ aliquam prætexunt causam, cum bellum, aggreſſivum ſuſcipiunt.

Habes 5. Ex eodem Cardinal: de Laurea loco cit: [c] Si Princeps ex Doctorum & prudentum conſultatione probabiliter, ſed abſque

dubio

Habes 8. Quod si taliter sit inceptum bellum, ut jam aliqua cedes sit secuta, & mortes hominum, hinc inde intercesserunt, tunc non tenetur, qui habet justum bellum revocare, etiamsi hostis offerat satisfactionem. Ita Caiet: Ratio est, nam qui habet justum bellum uti diximus supra, gerit personam Judicis criminaliter procedentis; sed quando jam est bellum in medio, ipse effectus est Dominus causæ; cum res non maneat ampliùs integra: ergo non tenetur bellum revocare. *Dixi non tenetur*, nam si misericordiâ uti velit potest absque dubio. Sed *Felix Veranus disp: 18. de bello*, prout opponitur paci charitatis *sect: 3. dub: 11.* contra Cajetanum, si hostis ab initio noluerit satisfacere, sed paulò post bello jam securo, & inchoato pacem petat & debitam offerat satisfactionem, teneri alterum à bello cessare. Ratio est; quia quando hostis exhibet debitam satisfactionem parti læsæ, tenetur Princeps læsus post susceptum bellum acceptare condignam satisfactionem, & tunc bellum desinit esse necessarium, consequenter etiam justum & licitum: bellum enim instituitur propter pacem, & ut cuilibet satisfiat, juxta regulas justitiæ: vnde quoties hostis offert sufficientem satisfactionem parti læsæ, tenetur illam hæc acceptare, quando potest eam oblatam acceptare, quia si non possit; non tenetur, hinc si exhiberetur non solum quando jam conflictûs esset absolutus, sed etiam in tali aliquo ardore conflictus à quo non nisi difficillimè possent milites statim revocari, in hoc casu non teneretur pars læsa desistere ab incepto conflictu.

Dices. Ex Caietano, Non teneri desistere, & cessare à bello, si bellum jam inchoatum fuerit

erit, ut sit jam quasi in fine, aut medio, quando jam confligi cæptum est; nam quando eò usque bellum processum est, non sunt amplius adversarij in statu satisfaciendi, sed satisfatiendi ex parte læsa, tanquam à legitimo suo judice & vindice & culpam esse penes partem adversam, quæ initio belli noluit debitam satisfactionem præstare. R. ex Felice Verano *loco cit: num* 31. Rationem Caietani non esse magni momenti: quia ipse supponit hostes post conflictum, vel inchoatum bellum esse tantùm instatu satispatiendi, non satisfaciendi: Ratio est, quia causa ob quam hostes judicari debeant, esse tantum in statu satispatiendi, non est, quia sit jam bellum inchoatum; sedquia hostes nolint pacificè satisfacere sine bello: Hæc autem causa habere potest locum etiam post bellum inchoatum; sicut enim causa belli potest cessare initio belli, ita etiam in medio & fine; adeò, ut quoties hostes exhibuerint satisfactionem, desinant esse in statu satispatiendi, quia tunc desinit bellum esse necessarium, adeòque justum & licitum: & per consequens pars læsa, desinit etiam esse Judex partis lædentis, quia pars læsa non est judex ordinarius, sed tantùm in illo casu extraordinario, quo hostes detractant satisfacere. Præterea tametsi pars læsa, non teneretur tunc ex justitia desistere à bello; teneretur tamen ex charitate, quia bellum est gravissimum supplicium, quo non solùm punitur qui peccavit; sed etiam per accidens plurima damna patiuntur innocentes; proinde christiana charitas id semper videtur exigere, ut à bello cessetur, quoties qui nocuit debitam offert satisfactionem, nisi fortassis per accidens expediat, hoc est nisi talis sit hostis, contra quem pugnatur, ut bo-
no

ces ac legislatores ex eodem Scoto [g] qui tamen & in tali causa definienda debent ex recto conscientiæ dictamine, judicio, semper uti probabiliori opinione, de quo videndus est Vulpes [h] ubi fuse & erudite de hoc tractat: *tract: ult:* ex quibus omnibus satis constat, quòd in materia hac belli non sit licitum minus tutam & probabilem sequi in concursu tutioris & probabilioris. Sed de hac materia fusius alibi

a. Franciscus Victoria *in relatione de jure belli numi 20. 21.* Azor 3. *p. lib. 2. cap: 7. 9. 11 & 5.*

b. Cardinal: de Laurea *tom 4. de spe & charit: disp: 14. artic. 10. § 5, num. 48.*

c. Cardinal de Laurea *loc: supr: cit: Mastrius 2. sentent: disp 5. de actibi human. quæst 3. de conscient: probabili articulo 1. n. 145.*

d. Scotus *in 4. dist. 15 qu: 2. artic. 10*

e. Scotus *quæst: 3. § de secundo*

f. Scotus *in 4. dist. 13.*

g. Scotus *ibidem.*

h. Pr. Vulpes *tom 2. p. 2. disp. 72. artic. ultim.*

Habes 6. Si Princeps illaturus bellum in alium, non sit omnino certus de justitia, & adhibito Doctorum consilio sciat rationes pro justitia esse validas, & facere sententiam probabiliorem, potest eam sequi, & bellum gerere, indicere, & prosequi, & tutâ conscientiâ se periculo mortis exponere, secus verò si sciat oppositam esse probabiliorem. Ita Cardinal: de Laurea *loc: supr. cit: num. 159.* Primæ partis ratio est: nam raro & fere nunquam motiva bellandi sunt ita clara pro justitia belli, ut non ad-

mittant aliquam formidinem, ideòque semper ex sententia opinabili justitiæ inter fideles cōmittitur bellum justum, ergò. Quod verò opinio de justitia debeat esse probabilior facilè probatur, nàm agitur de re maximi momenti, de periculo tot homicidiorum direptionum, vastationum, incendiorum, ruinarum, tot domorum, Civitatum, Provinciarum, occisionum, tot infantium, aliorumque innocentiū, stuprorum, sacrilegiorum, & similium calamitatum, quas affert bellum, igitur sine maxima probabilitate justitiæ, non potest Princeps bellum indicere aut gerere, & tutâ conscientiâ se periculo mortis exponere. Ideò; si in alijs materijs (ut neruosè ac acerrimè eminentissimus Cardin: de Laurea tenet) quis nequit operari cum sententia minùs vel æquè probali, quia neutra est regula moralis operationis, multò minùs erit licitum, cum minus vel æquè probabili de justitia causæ bellum gerere. Quam opinionem sequuntur etiam laxiores Probabilistæ in causa equidem belli: Ita ille *loc: cit: num:* 260.

Habes 7. Quod si bellum sit indictum solùm, nec nulla cedes sit secuta, si aggressus petit convenire, tunc aggressor debet resipiscere, nec ad ulteriora procedere. Ita Caiet: v. *Bellum* Ratio est; ex illo D. August. *relato d.* 23. *qu.* 1 *C. Nolli* ubi habet, quod *bellum non est voluntatis sed necessitatis*: Subsumitur minor, sed in casu nostro cessat necessitas, eò quòd offertur satisfactio, re adhuc integra, ergò etiam debet cessare bellum &c. Consequenter aggressor, tutâ conscientiâ non debet se exponere periculo mortis; & bellum gerere.

Habes

dubio existimat bellum esse justum, potest illud movere, & gerere, & consequenter se exponere periculo mortis, si vero existimet dubium, vel minus probabile, quod sit iustum, non potest tutâ conscientiâ illud suscipere, ac gerere, & exponere se periculo mortis. Ratio est, nam utraque pars ex dictis de regulis conscientiæ sententia existimata probabilis à Doctoribus, sed absque dubio est sufficiens regula humani actûs. Non enim potest homo in omni operabili semper habere evidentiam mathematicam seu physicam de agibilibus, sed ei sufficit probabilis, dummodo sit probabilior: hanc enim in multis ipsamet generalia Concilia secuta sunt, ut patet de Vienensi *ex Clement: 1. de summa Trinitatis & fide Cath: § Ad hoc* dicente se probabiliorem sequi circa infusionem virtutum in Baptismo infantium. Si autem sententia justitiæ belli sit minus probabilis vel dubia, non potest esse regula gerendi bellum, quia eam sequens exponit se periculo ingentium & innumerabilium peccatorum. Cætera de opinione sequenda in agibilibus, & quod dubia non possint unquam admitti, neque minùs probabilis in concursu notabiliter probabilioris, satis egregiè & nervosè dixit & scripsit præcitatus Cardin: de Laurea *tom: 2. in 3. sent: disp. 11. art: 4. per totum.*

His omnibus arridet clarissimus Scotista Fr. Mastrius, dùm proponit modum & regulam quo modo se gerere debeat Rex ad bellum inferendum pro regno consequendo, nam si alter occupat tyrannicè, regnum ad se pertinens, nolitque illud restituere affirmat Scotus posse

illi justè bellum indicere, & se periculo mortis, tutâ conscientiâ exponere, directè quidem ad acquirendum sibi regnum iniustè ab illo occupatum, & indirectè ad necandos sibi obsistentes, quod addit ob doctrinam ab eodem Scoto ibi traditam [d] quòd homo pro solo furto non potest justè occidi, nisi fuerit simul fur, & invasor, paratus occidere sibi resistentes in quo casu præsumitur homicida. Quando verò clarè non constat regnum ab uno occupatum de jure pertinere ad alterum [NB] sed pro utraque parte sunt rationes probabiles, tunc unus rex adversus alium regem, vel Principem non sibi subjectum, nequit licitè causam examinare, sententiam ferre, & tantò minus eam armis, vel bello executioni mandare ut secundùm rectum conscientiæ judicium justo bello acquirat sibi regnum, de quo est controversia: & ratio est, quia in judice ut judicet secundùm rectum conscientiæ dictamen necessaria est judiciaria potestas ex Scoto [e] Sed nullus rex habet hanc judiciariam potestatem in alium regem vel absolutum Principem ex eodem Scoto [f] ergò ex nulla opinione potest recto judicio conscientiæ causam definire, ut justè bellum alteri indicet, & tutâ conscientiâ periculo mortis se exponat, & inferat ad acquirendum sibi regnum, sed in tali controversia debent reges & Principes stare judicio Imperatoris, vel summi Pontificis, cum enim judicium unius supremi Principis, non se extendat ad diremendam litem contra aliam, necessariò stare debet judicis alicujus tertii auctoritatem habentis ad talem causam definiendam: hic autem non est nisi Imperator vel summus Pontifex in toto terrarum orbe supremi Iudi-

ſtes, ergo licitum eſt ab eis petere auxilium ut nos juvent in juſto bello. Tum quia actus juſtitiæ loquendo præciſe ex natura rei, poteſt ab omnibus tam fidelibus quàm infidelibus exerceri, at agere juſtum bellum vel jurare in juſto bello eſt actus juſtitiæ : ergò poteſt ab omnibus exerceri. Tum quia in juſto bello licitum eſt uti ſubſidio, equorum, elephantium, aliorum brutorum, animalium : ergo etiam hominum infidelium. Tum quia, licitum eſt in juſto bello præbere auxilium infidelibus contra fideles, ergò licitum eſt etiam ab eis petere auxilium, cum ſit par ratio. Anteced: patet exemplo Davidis, qui auxilium præbuit Achis regi Philiſtinorum contra populum Iſrael 1. *Reg*: 28 & 29. videatur ibidem Abulenſis *cap*: 18. *quæſt*: 5. Itaque licitum eſſe Principi Catholico conuocare infideles, & Hæreticos, & illorum operâ uti ad debellandos hoſtes, aduerſus quos gerit bellum juſtum, quia actio illa debellandi hoſtes juſta eſt, ergò juſtum erit illi cooperari, ergò vocare alios ut cooperentur non eſt illicitum. Quod verò, qui vocantur, infideles ſint & Hæretici non reddit per ſe loquendo cooperationem inhoneſtam, nam infidelitas non deprauat omnes actiones, adhuc enim poſſunt infideles operari bene, aut certè non malè in ijs, quæ ad infidelitatem non ſpectant ; aut cum illa non annectuntur, ut non connectitur bellum. Ita ſentiunt plures famoſi Juriſtæ Oldradus *conſult*: 71. prout eum citat Zoezius *ſ. de Iuſtitia & jure num*: 4. Reinking: *de Regim: ſecul: lib* 2 *Claſſ*: 8. *cap*. 3. Tum quia jure æquum, ut quod quiſque ob tutelam corporis ſui fecerit jure feciſſe æſtimandus ſit. Tum quia neceſſitas nullam habet legem, hic autem ſupponitur graviſſima neceſſi-

tas,

tas, dum Christianus Princeps, ab alio Christianō iniquo bello opprimitur. Quare in hac grauissima necessitate, non possit quærere ab infidelibus suppetias? dummodo religio Christi non patiatur, nec blasphemetur nomen Dei. Tum quia ad finem licitum proportionata licet adhibere media, atqui talis confæderatio est tale medium, nam ut quispiam olim dixit: si lupus inuaderet gregem meum, possum illum eijcere per domesticos canes, aut etiam parum feroces leones, & tygrides, ergò si me non ualeo ab hoste liberare per Christianorum, & Catholicorum auxilium, petere subsidium, implorare à quocunque alio etiam infideli vel hæretico, seruatis tamen clausulis, nempe ut exercitus non commisceantur, nec communes fiant expeditiones, nam tunc infallibiliter pateretur religio Christi, multi peruerti possent, victoria Machometo adscriberetur, & plura alia inconuenientia subsequerentur, si tamen illa confæderatio fieret cum Turca de non se offendendo, sine instigatione tyrannisandi in terris Christianorum, sed solùm propter tuendos fines, & ad merces, aliaq; vitæ necessaria de una patria in aliam transportandi, non posset simpliciter inculpari talis confæderatio.

Dices. Hæretici sunt excommunicati, ergo non licet Catholicis cum illis agere. Si autem ad eorum exercitum vocarentur, necessariò, verbis, & actionibus communicarent. R. 1. Hæreticos (excepto uno vel altero) non esse excommunicatos nominatim, sed in generali; non teneri autem nos ad excommunicatos vitandum in generali post Concilium Constantiense de quo in materia de excommunicatione. R. 2. Licet teneremur vitare illos, tanquam excommunicato id

solum

ſimi. Ratio eſt & colligitrr ex authoritate Patrum nam: D. Auguſtinus *lib: 4. de Civitate cap. 6. dicit: Inferre autem bella finitimis & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum eſt.* D. Bernard Epiſt. 120. ad Duciſſam Lotharingiæ ſic eam admonet: *Ore veſtro Ducem ſalutamus: & tam ipſum quàm vos admonemus, ut ſi Caſtrum pro quo guerram facturi eſtis, veſtri juris non eſſe noveritis pro Dei amore relinquatis. Scriptum quippè eſt. Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur: ſe autem perdat, & detrimentum ſui faciat? Colligitur 2.* ex auctoritate Philoſophorum, nam ut refert Hugo Grotius de jure belli & pacis *in prologum n.* 23. Ariſtoteles graviter accuſavit eos, qui cum inter ſe neminem velint imperare, niſi qui jus imperandi habeat nihilominus in exteros quid juſtum, quid injuſtum ſit, nihil curant. Demoſthenes vero dixit: Bellum in eos debere eſſe, qui nequeunt coerceri indicijs, ſi judicijs obtemperare nolint, bello compelli poſſunt, *non minori enim Religione tractanda ſunt arma, quam, exerceri debent judicia* Vernulæus *Inſtit: polit: lib: 4. tit 4. §. 5. ait*: Pernicioſi ſunt & è ſchola Machiavelli Conſiliarij illi, qui non vitio ſed laudi tribuunt circumferre, per orbem arma, & aut fraude aut Marte augere regnum. Ita enim illi Conſiliarij Princepes feciunt latrones; & publica latrocinia, rapinas, & Provinciarum probant devaſtationes. Bellum ex ſtultitia, & malitia non rarò naſcitur: Tale eſt cum ejus cauſa non eſt alia, quàm ambitio, gloria, libido dominandi, nocendi cupiditas, mens impacata, lu-

xus

xus, nimia felicitas ita ille. *Colligitur 3.* probatio ex ipsa ratione; Quia hujusmodi bellum non potest fieri illæsa honestate, & jure salvo. Ergo iniquum est & injustum. Anteced: patet & consequ: Quia non sufficit dicere istud bellum erit meo regno, & imperio utile, quia honestas & æquitas nunquam debent sejungi ab utilitate, aliàs aliena rapere, proximi fundos occupare, quod utique est latrocinium, justum posset dici bellum Ex his patet, quid dicendum ad rationem Pseudopoliticorum, nam licet Principi cura esse debeat augendi sui imperij, id tamen aliter non est intelligendum, quàm si belli habeat justam causam, tunc enim juste agitur, si gerendo bellum augeat suum imperium, quod si causa belli non adsit justa, tunc conservandum est imperium ne patiatur detrimentum, aut si est augendum, id licitis modis est procurandum, videlicet per matrimonia, & alia familiarum pacta &c.

a Oviedo *Punct. III.* scitè monens, contrarium esse errorem Gentilium putantium regnorum jura collocata in armis.

Habes 12. Christianus Princeps bellum gerens, in societatem belli vocare potest infideles eorumque vti auxilio, & sic tutâ conscientiâ, se exponere periculo mortis, in bello justo etiam contra fideles. Ita Theologi maxime Carolus Morates Madritensis (a) & plures alij, Ratio est quia licitum est per se & ex natura rei inire fædus, cum infidelibus & hæreticis, implorando eorum auxilium in bello justo etiam contra fideles, nam etiam infideles possunt ex se suscipere justum bellum contra quoscunque hostes: ergò possunt etiam alios juvare in justo bello contra quoscunque hostes,

no communi expediat, eum vel subiectum esse alteri, vel omninò interire, quales erant Amorrhæi, quos Deus jussit penitus delere, ut legitur Deuter.

Habes 9. Princeps committere potest bellum ex justa causa, antequam ad executionem deveniat, tenetur monere, ac pacificè tractare cum adversario; an velit ei satisfacere in materia in qua se tenet offensum. Et si post aliquas diligentias, nequit obtinere intentum; tunc licitè poterit bellum gerere, & tutâ conscientiâ se periculo mortis exponere Ita Cardinalis de Laurea *loco cit: supra num. 261.* Ratio est; quia bellum est causa innumerabilium malorum, & est ultimum remedium. ac permissum à Deo non præceptum. Ergò tunc solùm adhiberi potest, quando nullum adest medium obtinendi æqualitatem; seu satisfactionem quæ prætenditur. Fieri autem potest, ut si satisfactio petatur pacificè postea per comminationem belli obtineatur: igitur ante has monitiones, amissa non est spes obtinendi justum, quod quæritur per bellum, & sic non adest casus, seu conditio permissionis bellandi.

Habes 10 Velut certum injustè indici bellum, quod indicitur alteri statui, vel Principi ut ejus nomen & potentia imminuatur, & ne nocere possit. Ita Cotonius *Contr. XI num: 7.* Grotius. *lib: 2. cap 1. num: 17.* Et talis rex vel Princeps non potest gerere bellum & tuta conscientia non potest se exponere periculo mortis. Ratio est Tum quia potius quis de hoc gaudere debet, & non invidere Tum quia non constat quod nocere velit, & si nocere vellet, deberet actu nocere. Tum quia quamdiu Rex præpotens

potens justè possidet sua, iniquè spoliatur suis rebus & ditionibus, ea tantùm ratione, ne possit postea alijs nocere: alioquin liceret regulo si, vires haberet, invadere Imperatorem, ad hunc tantùm finem, ne possit sibi nocere: ut etiam liceret uni regi armis aggredi alium regem se potentiorem, quo pacto totus mundus perpetuis arderet bellis, ac ubique locorum clades, & cædes sævirent, orbemque dilacerarent.

Quod si probabiliter timeatur illud damnum, eò quia rex præpotens jam ostenderit suum animum malum? R. Nec in isto casu ei licitum esse invadere armis aut molestare. Ratio est quia ob timorem dubium, non est licitum ei inferre de præsenti gravissimum malum, quale est bellum, quia sperandum est illum utpote Christianum, non tentaturum injusta bella. Quamobrem neque licet ob talem finem seu timorem excitare ad defectionem subditos regis præpotentis, nec rebellantes eos fovere Vnde Princeps, rex; vel respublica ob hunc finem tutâ conscientiâ non potest gerere bellum & illud indicere alteri regi, & se exponere periculo mortis.

Habes II. Velut certum injustè induci bellum, ut amplificetur regnum proprium, opes ac divitiæ augeantur, & tutâ conscientiâ ob hunc finem Princeps non potest gerere bellũ, & se exponere periculo mortis. Ita Theologi communiter [a] contra Pseudopoliticos, qui dicunt uniuscujuscunque Principis nulla major debet esse cura, quàm cura augendi imperij, quæ auctio aliter cum fieri non possit quàm per bella, consequenter ob causam hanc bellum est licitum, & inde acquirunt titulos Augusti, & Augustissimi

solùm haberet locum, quando nobis non esset necessaria, aut utilis communicatio, ut affirmant Doctores in eadem materia. Quarè eò ipso, quod Principi Catholico necessarium, aut utile esset uti operâ hæreticorum ad bellum, non obstaret excommunicatio. Et ita omnia supra dicta docent Martinus, Becanus, Valentia, & plures alij (b) Per se ergo & ex natura rei licitum est inire fædus cum infidelibus & hæreticis implorando eorum auxilium contra fideles, & absque conscientiæ labe id fieri posse si scandalum absit, nec aliunde periculum aliud timeatur, ita asserit Stephanus Menochius Soc: Iesu in suo Hieropolit. v.g. Si Principes Christiani cum fidelibus pactum inirent, ne mutuò noceant bellum inferendo, prædas agendo, mercatores aut peregrinos intercipiendo, innocentes opprimendo &c. quòd nihil aliud est, quàm pacem constituere, ac securitatem parare, plurimaq; incommoda auertere, quæ bella consequuntur. Est autem modus hic maximè laudabilis. Vel si mutuum auxilium sibi Principes polliceantur, ut si v. g. Christianus rex cum alio Christiano rege bellum gerens, arma infidelium aduocet, aut ipse illis præstò sit cum hostium suorum bello premuntur, id verò quamquam saluo officio, & absque conscientiæ labe fieri posse in aliquo raro casu non negat Menochius *loc: cit.* si scandalum absit nec aliundè periculum aliud timeatur. Sacræ tamen literæ pluribus locis damnant, ostenduntq; hujusmodi fædera, exitus plerumque parum felices, imò nonnunquam calamitosos, & miserabiles nancisci vnde per accidens, & ratione circumstantiarum ordinariè, & generaliter est hoc illicitum & grauissimum peccatum, nam suboriri solet maximum scandalum in Republica

blica Christiana ex aduocatione infidelium & hæreticorum ad castra Christianorum. Deinde etiam ipsis, qui infideles & hæreticos vocant in auxilium regulariter cædit in malum, non enim seruant jura belli, nec reuerentiam exhibent locis sacris, sed omnia prophanant, & captiuos ducunt infantes, ut apostatare faciant, & alijs plurimis calamitatibus, omnia perdunt. Vnde constanter asserit Carolus Morales Madritensis [d] eximius Theologus & Dogmaticus, quod si bellum fit inter Principes Christianos, vix unquam continge-re poterit, ut justè infideles in eorum auxilium admittant, præsertim eos, qui sunt manifesti Catholici nominis hostes, quoniam semper timeri debet nimia horum crudelitas, & profanatio templorum, ac rerum sacrarum, & virginum violatio, & ita docet Lorca D Thom: Granado, & plures alij [e] Nam inire fœdus cum Turcis, vel hæreticis imminet periculum ex natura infidelitatis, vel hæreseos. Quòd apud infideles vel hæreticos exercitium religionis Catholicæ non sit liberum; ita ut Sacerdos, capella, & ordinaria religionis Catholicæ exercitia, nequidem inter legiones Catholicas habeantur aut permittantur; ut modò in Holandia, in qua etsi Legati regum & Principum domi religionis suæ exercitium habeant, nihilominus in exercitu, ubi sunt Gallorum regimina in exercitu; & Legiones, nullus Sacerdos, aut capella, aut exercitium religionis Catholicæ admittitur. Unde nescio quid excusare possit Reges Catholicos, ut cum certo animarum periculo possint humanum subsidium præferre saluti subditorum, uti Sacramentorum Pænitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & aliorum mediorum, quæ tum necessaria sunt, tum multum utilia sunt omnis illis copia deest. Immi-

Imminet periculum respectu fidelium, contra quos bellum geritur, dum ipsi subsidijs armorum Catholicorum opprimuntur in exercitio fidei Catholicæ, & religionis & in salutaribus operibus, templa non modò vastantur, sed sacrilegijs operibus addicuntur, sacra violantur; sacerdotes exulant, Virgines Deo Sacræ vi opprimuntur, in oppidis & civitatibus, in quibus à principio Christus, & fides Catholica floruit plantatur Synagoga satanæ. Nec excusatio illa prophana aliquid concludit; quòd Catholicus miles id non intendat, quòd per accidens id fiat, quòd status politicus id attendere non debeat, quis enim potest intentionem diuertere ab eo, quod data victoria certò & infallibiliter fit, & fiet Principe aut Republica hæretica vincente, & si non necessariò physica necessitate; neque enim per accidens in re morali, fieri dicuntur, quæ certò fiunt, & consequuntur, minus status politicus salutis statum & Dei aras euertere, aut anteire debet, cum omnis potestas, sicuti à Deo est, sic Deo subijci necessariò debeat.

Imminet periculum ratione prauæ conuersationis, & permixtionis perfidiæ hæreticæ cum vera religione: undè si non hæretici qui tamen sic conuersantur, ut plurimum fiunt athei. Quæ pericula, etsi non tot, nec tam magna, frequenter tamen eueniunt, siue cùm Regum infidelium aduersus infideles est bellum, si Catholici milites seu religionis exercitijs uacare publicis in castris non permittantur; sive cum Principes Catholici milites hæreticos & infideles ad sua castra admittunt; nisi enim certâ disciplinâ eos coerceant, etiam quæ fidei Catholicæ sunt, non rarò conculcant.

Dices, Politici hujus temporis, materiam sta-

tûs à materia fidei separant, qui magis rationem status, quàm fidei apprehendunt, dicunt enim; præstamus auxilium & arma hæreticis in materia civili & statûs, seu politiæ, hæresi non fauemus: hæresis enim, à materia statûs secernitur. ℟. Propositio speculatiuè concludit, si cum vniuersalibus, & idæis Platonicis, in cornu lunæ remaneat: dic, agedum, mihi hæretico contra Catholicum auxilium præbes in materia statûs & politiæ quem scis & experiris, quocunque suis armis & tuis auxiliaribus copijs pertingit, Christum, Ecclesiam, fidem Catholicam, aut expellere, aut perdere, Synagogam satanæ introducere, templa sacra profanare, Sacerdotes fugare, aut opprimere: quinimò in tuis proprijs copijs auxiliaribus, Sacerdotes, & exercitium Catholicæ religionis non permittere: separa mihi ista in praxi, & cum illa sic certò & infallibiliter contingant, unum ab alio actu remoue & intentionem tuam salvas si potest coram Deo & hominibus. Quod si philosophari velis, agnosce quòd scienter & deliberatè ignem in domum inicijt quo scit infallibiliter arsuram. Jncendiarius culpam etiam coram judice quolibet, non euadet, & si allegaret millies se non intendisse domum comburere. Agnosce quòd, qui scienter applicat causam, ex qua infallibiliter & certò etsi non necessariò sequitur effectus, illi imputandus sit. Aut permitte, ut ardentem facem tuæ barbæ applicem cum intentione non comburendi. Si Theologos consulas, qui aliter fortè respondeant, Arioli sunt, & Pythones è ventre loquentes, non Theologi. Frustra igitur asserimus, causas dari ob quas Reges fœdera cum hæreticis contrahant, illisque faueant, auxiliaque mittant Principibus, non quâ hæreticis

sed

sed quà Principibus bellum ut credunt, aliàs justum gerentibus, in quo gerendo, si quid aduersus religionem committatur, esse id extra suam intentionem asserunt, atque contingere per accidens.

a Carolus Morales Madritensis, *in Diana dogmatico Vindicato tract: 14. de Princip: Christian: cum Turcis vel hareticis fad: Ref. li 14.* Pater Mastrius in Theolog. Moral: *disp. 10 pag: 305. n. 8d in fine.*

b Martinus Becanus *in Apolog: veteris testamenti menti cap: 17. q. 6.* Valentia *tom: 3. disp 3. q. 16. punct. 2.* Layman. *lib: 2. tract. 3. cap: 12. n. 6.* D. Thom: *quast 40. artic: 1. dubio 3.* Suarez *de bello, disp. 3. sect: 7. n. 25.* Turrianus *in 22. tom: 1 disp. 90. n. 2.* Caspensis *in Cursu Theolog: tom: 2. tract: 17. disp: 7 sect: 1 n. 19.* & alij.

c Stephanus Menoch, *in suo Hieropolit: lib: 2. cap: 4.*

d Carolus Morales *in Dogmatico Diana loco supra cit.*

e Lorca. *in 2. 2. D. Thom: sect: 3. disp: 51. n. 4.* Villalobos *in summ: tom: 2. tract: 5. disp: 9. num. 3.* Becanus *opusc: de fide haretic: seruandi lib: 2. cap: 8 num: 4.*

Habes 13. Pacta quæcunque à Principibus & Regibus in bello facta hosti sunt simpliciter seruanda, unde non est licitum indicere bellum, & se exponere periculo mortis, sine labe conscientiæ non seruatis pactis. Hæc assertio est contra diabolicam machiauelli doctrinam, qui impudenter affirmare ausus fuit, quod fidem datam Principi reuocare, & fallere liceat, si utilitas ejus id exposcat, & vehementer in Principe laudat eam prudentiam (melius perfidiam) qua princeps omnia pacta ad suam interpretatur utilitatem, mo-

nens licere ei sine vllo scrupulo vel remorsu conscientiæ aut honestatis respectu, si egregia amplificandi, aut confirmandi in ijs sese offerat occasio, fidem datam fallere, ac etiam ipsum jusiurandum violare, sed hæc temeritas & perversitas militat.

Primò Contra scripturam sacram *Ezechiel: 17.* ubi de Sedecia, qui à Nabuchodonozor constitutus fuerit Rex, posito inter utrumque juramento fidelitatis, quod tamen Sedecias ruperat ad Ægiptiorum recurrendo auxilium dicitur: *Vivo ego dicit Dominus Deus, quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem, cujus fecit juramentum irritum, & solvit pactum quòd habebat cum eo in medio Babylonis morietur, propterea hæc dicit Dominus Deus: vivo ego quoniam juramentum quod sprevit, & fædus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus.*

Secundò Contra auctoritatem Patrum, August: *lib:* 1. *Civit cap:* 15. vbi laudat Marcum Attilium Regulum, quòd captivus apud Carthaginenses, & adRomanos juramento prius constrictus ad eosdem Carthaginenses redijt, à quibus crudeliter interfectus fuit: D. Bernardi qui *Epist: 222* ad Iosthonem Suessionensem Episcopum, & Suggerium Abbatem Dionisij quibus scribens monet, pacta Regis Galliæ cum comite Theobaldo inita non esse propter suspiciones frangenda dicens: *Rex adhuc aliud addit, quod matrimonijs sibi moliatur conjungere contra ejus fidelitatem Comitem Flandrensem & Suessionem. Et de fidelitate quidem suspicio est non certitudo. Porrò inanes suspiciones certis pactionibus præjudicare, quale sit, vos videritis.*

Tertiò. Contra rationem: Tum quia talis Princeps mendacij & perfidiæ crimen committit: Tum quia contra lumen naturæ honestum postponit utili,

tili, quid autem prodest homini si mundum vniuersum lucretur &c. Tum quia tali modo totam civilem conuersationem, publicamque tranquillitatem, peruertit quæ omnia sunt abominabilia.

Quarto. Contra praxim Principum, qui ob crimen patratum vindicem senserunt DEUM. Cleomenes pactus fuit cum Græcis septem dierum inducias & tertia nocte eosdem ex fiducia induciarum dulci somno sopitos est aggressus multosque eorum occidit, & alios captivos abduxit, *aßerens se diebus pactum eße, nec noctes juramento eße addictas,* quasi verò noctes non pertinerent ad septennarium numerum dierū, sed is paulò post furiosus factus semetipsum dilaniavit à talis incipiendo, & miserè exspiravit. Henricus III. Galliarum Rex cum contra securitatis publicæ & hospitij jurejurando datas leges, ducem Guisianum & Cardinalem Fratrem ejus confodi jussisset à Monacho quodam (Iaques clement:) paulò post cultello transuerberatus obijt. Hæ sunt fidei malæ seruatæ pænæ, hæ calamitates, quæ faliaciarum artifices, plerumque à tergo sequuntur.

Dices 1. Machiauellicum axioma: *Princeps non debet esse sclauus suorum verborum*, ergò potest pacta pro libitu frangere? R. 1. Neg: antec: quia per observatum pactum non fit sclavus verborum, sed Deo & proximo obligatus, & stabilitatem mentis, ac constantiam immobilem denotat, sicut de Deo Paulus dixit ad Hebræos 6. *In quo abundantius, volens Deus ostendere poll.citationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit jusjurandum?* R. Neg: consequentiam Quia quod ante fuit libertatis, post pactum est factum necessitatis, unde etiam axioma negandum est, prout in prima responsione,

Dices 2. Prudentis Principis est uti occasione in augendo regno, quæ non facile est reditura, juxta tritum prouerbium, *fronte capillata post est occasio calua.* ergò oblata tali commoditate potest priora pacta frangere? R. Neg. conseq: quæ pessimè infertur, alioquin sequeretur, quòd etiam hac via possemus Ecclesias spoliare, bona aliena rapere, furari, quia hoc sæpè sæpius vtile est, & occasio adest, quæ frequenter, vel furem facit vel ostendit: & omnia scelera committere quia hoc utile est; & parentes occidere, cùm acquirat hæreditatem.

Dices 3. Turcæ frequenter usi sunt hoc stratagemate & hac prudentia cum magna eorum utilitate, & tamen eorum imperium adhuc subsistit: ergò licitum erit pacta frangere, & maximè in bello, ubi leges & jura silent & cessant? R. Neg. Conseq: à Turcarum impietate Christiano non est licitum argumentum; & quamvis imperium stet, committentes tamen talia, gravia subjerunt incommoda, & nondum est finis; imò magis culti & prudentes id non fecerunt, sicut legitur de Solimano, qui intelligens *Mercantinum Catinarium*, cum civibus suis captivum detineri à suis contra datam fidem, statim jussit eos solvi addens: Non esse hunc modum exteras gentes sibi conciliandi. Ad rationem dicitur Leges & jura scientificè in bello silere, in re, opere, & veritate tamen vigere, nam in bellis quoque sua seruāda est justitia.

Habes 14. Princibibus & Ducibus licitum esse in bello uti insidijs & stratagemmatibus, consequenter sic belligerando justo bello, possunt se exponere periculo mortis, absque remorsu conscientiæ. Ita docet D. Thomas, Scotus Magist. Cardinal: de Lauræa [a] Ratio est, quia

quia insidiæ & stratagemmata sunt media etiam necessaria, ad reportandam de hostibus victoriam, consequenter ad præfatos belli fines assequendos, neque enim tenentur Duces belli sua consilia manifestare hostibus. Tùm quia *Iosue 8.* DEUS præcepit Iosue ut insidijs uteretur ad repugnandam civitatem Hay: dixit enim DEUS: *Pone insidias Vrbi post eam.* Quæ verba perpendens D. Augustin: quæst: in Iosue ait: *Hinc admonemur non fieri hoc injustè ab ijs, qui bellum justum gerunt, ut nihil homo justus præterea cogitare debeat, in his rebus nisi ut bellum justum suscipiat, cui bellare fas est non enim omnibus fas est. Cum autem justum bellum susceperit utrum ex aperta pugna, utrùm ex insidijs vincat, nihil ad justitiam interest.* Tùm quia Scotus loco cit: infra, ait licere aliquibus cautelis uti, quæ per se veritati non repugnant nec mendacium includant. Tùm quia ex Gloss: Lyrani in Iosue *Cap: 8.* Vbi cum Augustino & Ambrosio docet, quòd non est licitũ dicere falsũ hostibus & fides eis data semper præstanda: tamen non tenetur quis sua secreta eis manifestare, & ideò insidiæ & cautelæ quæcunque ad eos decipiendum, possint licitè in bello justo adhiberi. Tales enim insidiæ pertinent ad prudentiam artis militaris.

Adverte tamen casum, quo quis fidem dedisset hosti non utendi insidijs, quia tunc deberet fidem servare, ac teneretur stare promissis, ut docet D Thom 22 *quæst. 4. artic. 3.* nisi fortassis fuisset ille coactus ad tale promissum; quia coactio irritam promissionem, quæ libera esse debet non vi extorta, Item non valeret promissio si cederet in grave damnum

Reipubl vel religionis, tunc enim tametsi promissio fuisset juramento firmata non esset implenda.

Dices. Mendacium est intrinsecè malum, at operari cum insidijs est operari cum mendacio: ergò est malum Anteced: ex multis scripturæ locis patet. Psalm 5. *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & Proverb: 19. 9. *Qui loquitur mendacia peribit*. Consequ: probat: Qui operatur cum insidijs decipit & mentitur facto, unum enim foris ostendit, & palam, ut credatur illud se facere, & tamen aliud facit in abscondito. R. ex Cardinal: de Lauræa loc: infra cit: Neg: Consequ: ad probationem nego assumptum. Primò quia dux belli non dicit hosti se facere id, quod foris, & in publico apparet & nihil aliud, sic enim mentiretur, sed nihil hosti dicens facit, quod conducit ad belli & victoriæ finem. Quod autem hostis, videns belli Principem vel ducem adversarium quasi in quiete otiantem, & nihil de bello cogitantem, putet nihil eum machinari sibi imputet: fatuus enim est, si existimat adversarium negligentem sibique non curantem insidiari. *Secundò* etiam si dux belli per se vel per alium hosti diceret se tunc nolle prælium inire, sed cunctari expectando opportunius tempus si fidem de hoc dicto, vel juramentum hosti non daret, hic non deberet ei credere, immò tunc magis cavere. Igitur ex hoc capite insidiæ non sunt illicitæ, nisi juratum sit de abstinendo ab illis. Et propterea, neque à scriptura, neque à consilijs, neque à Patribus unquam fuère reprobatæ, sed potiùs consultæ, & approbatæ ut patuit. Dixi *nisi juratum sit*

&c.

&c. Nam excipitur casus quo fidem dedisset, hosti non utendi insidijs, quia tunc fidem deberet seruare; ac teneretur stare promissis, ut docet D. Thomas 2. 2, *quæst*: 4. *artic*: 3. nisi fortassis fuisset ille coactus ad tale promissum; quia coactio irritat promissionem, quæ libera esse debet, non vi extorta. Item neque valeret promissio, si cederet in grave damnum Reipublicæ vel religionis, tunc enim tametsi promissio fuisset juramento firmata non esset implenda. Jtem promissioni neque standum esset, si hostis violaret in parte, vel in toto vicissim datam. Item si circumstantiæ, aut conditiones, cum quibus facta est promissio non perseverent eædem, sed mutentur, quarum mutatio si hinc prævisa fuisset, promissio non fuisset facta; vel non nisi imprudentissime, in hoc casu promissio censenda est nulla, quia videtur defuisse voluntas promittendi. Hinc si Princeps in magno discrimine vitæ constitutus promitteret hosti aliquam civitatem ad hunc finem, ut incolumis tale imminens evaderet periculum; & talis promissio esset ab hoste extorta, procul dubio non tenetur postea Princeps stare promisso, ut docet Bannes, *hic artic*: 3. Syluester verbo *metus* §. 1. de contractibus requirentibus liberum consensum, & qui redduntur nulli, per ejusmodi metum. Ratio est, quia promissio extorta per metum cadentem in constantem virum non est libera, consequenter habetur nulla: unde ut promissio sit valida, debet esse libera, & pars contraria debet itidem servasse fidem, quia juxta vulgatum effatum: frangenti fidem, fides frangatur eidem. Sic discurrit Felix Veranus *disp*. 18. *de bello*, *sect*: 4. *de modo belli gerandi*.

a. Cardinal. de Lauræa *Disp. 54. de vitiis charitati oppositis artic. 10. § 2.* D. Thom: 2. 2. *q. 40 artic: 3 in corpor:* Scotus *in 3 dist. 38. qu: vn:* Astesanus apud Mastr. in Theolo Moral: *disp: X quæst: 4. artic: 2. n. 110.*

§. III.

De Militibus qui in bello vitam suam exponunt periculo mortis.

Adverte. Quod milites qui ad bellum pergunt possunt considerari dupliciter, vel ut sunt subditi Principis, sub cujus vexillo pugnant vel ut extranei, si hoc secundum, vel ante bellum jam ad stipendia prædicti Principis vivebant, vel solummodo ut mercenarij ad suscipienda arma adveniunt. Item milites alij sunt superioris ordinis, & admittuntur ad consilia belli, alij inferioris ordinis; de singulis agendum est nobis investigando quando licitè & tutâ conscientiâ possunt in bello suam vitam exponere periculo mortis & se bello implicare, & quando non? sit ergò

DUBIUM 1. *An consiliarij tenentur scire causam belli justi, id est milites superioris ordinis?* R. *affirmativè*, alias non debent bello se implicare, cum remorsu conscientiæ, & exponere vitam suã periculo mortis Jta Franciscus Victoriæ (a) Ratio est, nam cum ex eorũ consilio non solum Princeps, sed etiam alij dependeant, si nescirent causam justi belli, possent alios in errorem inducere juxta illud Evangelij si *Cæcus cæcũ ducat ambo in foveã cadunt* Nec eos excusabit ignorantia, quia cum ad eorum

rum statum, & conditionem attineat hoc scire, non possunt sine culpa hoc ignorare.

DUBIUM 2. *An milites subditi inferioris ordinis vel extranei sed Principis stipendijs antea vivenies, possint se exponere periculo mortis militando in favorem Principis, etiamsi bellum sit dubium?*

R. *affirmativè.* Ratio est. Tùm quia ad eos non pertinet examinare justitiam causæ, sed debent habere bonam æstimationem de suo Principe. Tum quia excusantur ab obedientia suo Principi debita: Tum denique, quia etiam lictor potest exequi sententiam Iudicis, etiamsi de ejus justitia dubitet.

DUBIUM 3. *An milites spontanei possint se exponere periculo mortis in bello, quando de ejus justitia dubitant?* R. *Negativè* Ratio est, quia hujusmodi milites sunt liberi, & possunt & non possunt bellum gerere, ergò si bellum gerunt stante dubio exponunt se periculo, faciendo alijs injuriam, & peccandi, juxta regul. juris regul: 19, quod *non est sine culpa, rei, quæ ad eum non pertinet se ingerit*; Ex quo deducitur quàm malè faciunt, illi milites qui sunt parati ad quodcunque bellum, non attendentes justitiam, vel injustitiam causæ; sed potius ad maiora stipendia. Isti enim sunt in statu peccati mortalis, nec possunt à confessarijs absolui, si non resipiscant, ita docet Sylvester (b) & Bannes.

Sed quid si subditi cogantur à Principibus etiam stante injustitia causæ. R. quòd quando non possunt effugere, debent ad bellum pergere, & in occasione cædis propriam defensionem intendere, & non aliorum offensam, unde quam

do quam primum possunt debent recedere ita Armil: [c].

DUBIUM 4. Si milites omnes, vel aliqui certò sciant bellum aggressiuum esse injustum, sive sint subditi, sive conductitij an possint licitè in eo militare? R. ex Cardinal: de Lauræa negativè [d]. Nam eadem ratio est de his ac de Principe; Ratio est, quia nequeunt contra Dei naturalem legem vel positivam, vel Canonicam operari sic autem operarentur in casu, & ita essent manifesti transgressores legis Dei, occidentes diripientes, aliave hostilia exercentes, neque subditi in eo casu possunt bellare, nec Principi obedire *ex can: 92 Non semper 11. q. 3.* & est Augustini à fortiori de servo. *Non semper malum est non obedire præcepto, cum enim Dominus jubet ea, quæ sunt contraria Deo, obediendum non est.* Estque Ambrosij adducentis exemplum de Christianis militantibus sub Juliano Apostata qui in omnibus obediebant, quæ non erant contraria præceptis Dei; cum enim hæc imperabat, timebant Jmperatorem cæli: ergo.

DUBIUM 5. Si bellum sit iniustum, & ut tale notum Principi illud gerenti, milites nesciunt certò esse injustum, & dubitant de injustitia, an peccant militando? ex Cardinal: de Laurea *loco supr: cit: n. 255. Negativè.* Undè possunt militare, & se exponere sine labe conscientiæ, periculo mortis dummodò intentio eorum prava non sit. Citat S. Aaugustinus *lib: 22. Con: Faustum c. 75.* & *est in Can: Quid culpatur 23. q. 1. si humana cupiditate bellum geritur non nocet sanctis, in quos non habet quisquam potestatem, nisi desuper datam. Non enim est potestas, nisi à Deo jubente vel sinente. Ergò vir justus*

stius, si fortè sub Rege homine etiam sacrilego militet, rectè potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est: ita ut fortaßè reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi & Glos: iniquitas ibi dicit *Licet Dominus præcipiendo peccat, tamen subditus non peccat obediendo ex Can: contra morem dist: 100. & Can: manifestum 33. 9. 5. & cap. Debitores de Iurejur:* & Ratio est, quia in dubijs semper est obediendū, nam non spectāt ad subditū discutere rationes status Politici, & merita jurium sui Principis, & maximè ad milites, qui rationum & motivorum pondera librare & cribrare nesciunt, neque sunt eis nota iura Principum. Addidit enim Cardin: de Lauræa, *dummodo intentio prava eorum non sit.* Nam si milites in bello non intendunt justitiam belli, idest non militant pro causa justa intenta à Principe implicitè vel explicitè, puta pro recuperatione bonorum vel pro obtinenda satisfactione de injuria vel alia causa ex tribus justis vel alijs, quas initio assignavimus: sed militant pro rapina, cæde, violatione virginum, pro adulterijs, pro divitijs congregandis &c: cum contra Dei præcepta operantur, mortaliter peccant. Bellum enim propter eam tantùm causam, diximus á Deo permissum, ut scilicet Princeps, qui non est alteri subjectus & alium modum non habet obtinendi quod suum est, in bonis fortunæ vel famæ mediante bello possit obtinere, & sic neque milites aliud habere possunt pro fine. Et sicut diximus supra de Principe quod peccat, si ex cupiditate alia mala, gerat bellum, & cum labe conscientiæ, vitam

tam suam periculo mortis exponit, ita de militibus dicendum est. Vndè

DUBIUM 6. *An milites, qui pracipuè propter stipendium, & rapinam militant peccent, & consequenter non sine remorsu conscientia propriam periculo vitam exponunt?* ℞. *affirmativè* Ratio est, nam bellum non est inter artificia, sed res tam horrenda, ut etiam nisi summa necessitas aut vera charitas, honestum efficere nequeat. Peccat igitur miles qui militiâ ut modo acquirendi, vel di..scendi utitur D. Augustino enim judice militare non est delictum, sed ob prædam militare peccatum est. Ita D. Augustinus *de verbis Domini secundum Matth:* *allegat in jure Canonico causa* 33. *quæst:* 1. Imò & propter stipendium, si id unicè aut præcipue spectetur *Grot: de jure belli* Navarrus in Manual: (e) Peccat [ait] qui proficiscitur aut vult in bellum proficisci eò pergit stipendij solius intuitu, nihil attendens an justum sit vel injustum, sive sit subditus, sive non. Addit Pinellus talibus certe ex causis multis neque occidere, neque occumbere tutum est

DUBIUM 7. *An peccet miles, vel militia dux, qui venenatis medijs contra hostem utitur* ℞. *affirmativè* Historiæ docent nonnunquam milites arma & spicula sua ueneno inficere, aut ut fontes veneno corrumpere, aut alijs modis clandestino veneficio contra hostes grassari. Quamvis enim permissum est hostem occidere, modus tamen ille rectæ rationi videtur adversus. Tùm quia jus divinum talem modum nescit, cui aliàs jus naturæ consonat: Tum quia quòd ipsis sanioribus gentibus visum est, indignum homine, id etiam rectæ rationi, non conse-

censetur esse consonum Osiandi *in Grod: d. 1.* Fontes veneno inficere Florus *lib: 2,* ait non tantùm esse contra morem majorum, sed & contra fas DEUM *Clandestina scelera* vocat Livius *lib: 42.* de per se loquens *nefas* Claudianus, agens de insidijs in Pyrrhum apud Valers maximum *lib. 3. cap 4.* est, *armis bella non venenis geri debere* Est & magna ratio de non admittendo uenecificia contra hostem, quam Grotius *cit: loc:* adfert, quod scilicet consensus gentium meliorum multò magis Christianorum ortus sit ex respectu communis vtilitatis, ne pericula in bellis, quæ crebra esse cœperant, admisso veneficio nimium intenderentur. Difficile enim est, insidias per venenum structas effugere. Et noster Nicolaus *in flosculis* ait, non licere uti insidijs contra hostes, ad quas cavendas, nulla prudentia datur sed potiùs malitia, & mera vindicta grassatur: puta veneno inficere puteos, fontes, aquas glandes, panes, farinas, cerevisiam, vinum, & similia. Ita V. Bellum num 5.

DUBIUM 8. *An quando milites in classe maritima non possint aliter manus hostium effugere licitum sit ignem adijcere tormentario pulveri, ut ipsi & naves absumantur aquis, quàm cedant in prædam hostium, & ita potius propriam exponant evidenti periculo mortis vitam?* ℟. Quidquid alij dicant, cum Felice Verano [f] qui censet procedendum cum distinctione si enim omnes quotquot sunt in navi antequā inijciatur ignis pulveri tormentario possent in alijs scaphis salvari, tunc nulli est dubium, quin possint navim comburere, & aquis submergendam tradere, ne in prædam cederet hostium, & ne

& ne isti fierent fortiores & insolentiores contra Principem, tunc enim supponitur tacitus cõsens⁹ Principis ad quē pertinet bellica navis siquidem voluntas Principis est, ut vires hostium quantùm fieri potest minuantur, ne contra ipsum prævaleant. Sin autem omnes, qui sunt in navi non possent mortem effugere, neque in scaphis salvari tunc censet non esse licitum, ignem adijcere tormentario pulveri, ut omnes simul cum navi absumantur; quia ut docet D. Thom: *in 2. 2. quæst. 64. artic. 5.* se ipsum occidere est contra propriam inclinationem & charitatem; adeò ut homines, quantùm possint, teneātur vitam conservare; siquidem solus Deus est Dominus vitæ & mortis, & ad solum Deum pertinet judicium mortis & vitæ. Tùm quia in tali combustione navis, non potest præscindi voluntas occidendi se ipsum; quia licet milites præsidiarij intendant minuere vires hostium, adhuc tamen intendunt etiam se ipsis immediatè occidere. Tum quia, quòd omnes milites moriantur, cēdit per se in detrimentum eorundem, & per accidens in detrimentum hostium; illa enim combustio navis tendit per se in nocumentum ad mortem eorum, qui sunt in eadem navi. Peccat ergo miles, qui ad evitandum periculum, ne fortè in manus hostium incidat, sibi ipsi mortem consciscit. Unde Origenes *lib. 2. in Iobum ait*: Hi, qui semetipsos interfecerint, qui semetipsis mortem intulerint nunquam requiem habebunt, isti in infinita sæcula nunquam invenient refrigerium, sed animæ eorum mox ut corpore exierint in tenebras deducentur. Et D. Augustin; de Civit Dei *lib. 1. cap.*

c. 26. & Epist: 61. ad Dulc: Non de jis bene spera e potest, qui cum mente constent, consultò sibi ipsis mortem, quoquo modo consciscunt.

Dices. Iudic: 16 legimus Samsonem templi columnas euertisse, & ipsum una cum pluribus hostibus obrutum ruinis mortuum fuisse ℞ ex D. August lib contra secundam Epistolam Gaudentij Hoc exemplum non esse ad rem; nam Samson euertit columnas templi, ex instinctu Spiritus Sancti cui obedivit, in alio autem casu, non licet sibi mortem inferre.

DUBIUM 9 An milites teneantur etiam, cum vitæ discrimine non deserere arces, & stationem; & an obligentur damna inde prouenientia reparare? ℞ cum Felice Verano ibidem affirmatiuè. Procul dubio milites teneri etiam cum vitæ discrimine defendere arces, & locum sibi demandatum. Ratio est clara, quia ad hunc finem fuerunt conducti, & accipiunt stipendia Tum quia ad id etiam se obligarunt jurejurando propterea debent stare promissis; hinc ex leg. 3. ff. ad legem Iuliam etiam plectuntur capite delinquentes: sin autem deserere arces & stationem non esset delictum gravissimum, non possent pœnâ capitali puniri: ex quo sequitur quod etiam tenentur omnia damna inde prouenientia resarcire. Limitatur tamen conclusio in casu; quo nulla amplius affulgeret spes præualendi, quia tunc non tenentur milites mortem expectare, ut docent Becanus, Connich.

DUBIUM 10. Quomodo, & quando milites possint in bello peccare contra fortitudinem? ℞, tunc peccare, quando temere & gratis absque ulla utilitate se exponunt euidenti periculo mortis, ut si vnus solus frustra uelles irruere in hostes sine ul-

ne ulla probabili ſpe inde euadendi, & etiam abſque interendi hoſtibus grave damnum, undè aliquid utilitatis redundaret proprio exercitui in ordine ad victoriam obtinendam : ſi enim aliqua ejuſmodi ſpes adeſſet, tunc non ſine ingenti laude fortitudinis miles ille ſe exponeret vitæ diſcrimini. Ob hanc rationem peccaret militiæ præfectus contra fortitudinem, ſi abſque ulla cauſa exponeret temerè totum exercitum maximo periculo : quia ut ait Vegetius *lib. 3. de re militari cap. Ult. Boni duces publico certamine, nunquam niſi ex occaſione, aut nimia neceſſitate confligunt.*

a Franciſcus Victoria *in relectione de jure belli. n. 31.* (b) Syluestr: V. *bellum 1 q. 9. Concluſ: 4* (c) Arm: V. *bellum n. 4 ex c. quid culp: 23. q. 1.* (d) Cardinal de Lauræa. *diſp: 14. artic: 10. §. 5. n. 250.* (e) Grotius *de jure belli.* (f) Felix Veranus *diſp: 17 de bello prout opponitur paci charitatis ſect: VIII. n. 1. 2. 3* D. Thom: *in 2. 2. qu. 64. artic. 5.*

DUBIUM II. *An milites peccent contra juſtitiam, ſi bona ruſticorum, & aliorum apud quos hoſpitantur, aut per quos tranſeunt ſurripiunt, aut extorquent ab ipſis invitis aliquid ſupra illa, quæ ex conſtitutione Principis ſunt eis ſubminiſtranda?* R. *affirmativè*, neque milites excuſantur, ſi ruſtici ipſis petentibus dent pecunias & alia ſimilia, quia hujuſmodi donationes cenſentur coactæ, & exhibitæ ex metu majoris mali. Item ſi plures exigunt ſchedulas, à præſcribentibus hoſpitia, ut inde in una tantùm recipiantur domo, & ab alijs accipiant, quia ſic plures grauantur. Supponimus enim milites non eſſe conſtitutos in extrema neceſſitate, quia tunc poſſent exigere aliquid ne perirent, aut caſtra desererent. Non tamen milites

milites ab ijs possunt extorquere, nisi quæ ipsis necessaria sunt pro sustentatione vitæ; & in isto casu Princeps debet compensare grauamina hospitibus illata, si præ reliquis grauati fuerint. Ita Felix Veranus *loc. cit. sect. 7. n. 8.*

Quid si milites in solutione stipendiorum injustam imminutionem, aut dilationem patiantur? ℞. adhuc non propterea militibus est licitum subditos & alios innocentes spoliare, siquidem ut notat Cajetanus *V. bellum* aliena bona non sunt oppignorata militibus pro stipendio: stipendij enim tarda solutio, aut annonæ denegatio non dat militi jus in rem alienam; quamvis graviter peccent illi, quorum auctoritate bellum geritur, si non exactam curam provisûs rerum necessariarum præstent, & debita stipendia militibus præstent, Princeps enim stipendia debet militibus dare, ex prouentu totius Provinciæ, aut Regni secundum proportionem & facultatem singulorum, non verò ex bonis rusticorum. Ex his.

Collige quo ad praxim 1. Reges & Principes, qui bella suscipiunt, teneri ex justitia stipendia militibus persoluere, idque statutis temporibus quantum fieri potest. Ratio est; nam si Principes suâ culpâ non soluant hujusmodi stipendia, tenentur omnia damna resarcire ipsis militibus, si oppressi fuerint inediâ, si vili pretio debuerint propria vendere, si gravem morbum ideò incurrerint, & pecunias fuerint coacti expendere in medicos, ac debita propterea contraxerint, aut membrum aliquod amiserint adeo: ut inutiles inposterum fiant ad labores pro necessarijs sibi comparandis; in hisce enim casibus tenentur Principes damna resarcire; ut etiam si milites ex defectu stipendij, & ex inopia coacti fuerint ad se sustentandos ex-

traneis subditis non hostibus damna inferre, bona surripere, & eos etiam spoliare, quia tunc Principes dederunt causam militibus inferendi hujusmodi damna, per subtractionem stipendij; tenentur enim Principes milites impedire, ne hujusmodi damna alijs subditis non hostibus adferant.

Collige 2. Si Principes ex continuato bello exhauserint ærarium, adeò ut non possint stipendia persoluere militibus; tunc tenentur antequam bellum justum gerendum suscipiant, prius sibi persuadere, an idonei sint ad rectè sustinendum bellum, an divitias possideant, quibus possint, quamdiu bellum geritur stipendia soluere; quod si re maturiùs & seriò considerata deprehenderint, pecunias eis non sufficere pro soluendis stipendijs, tunc bellum debent intermittere. Sin autem necessitate coacti bellum suscipiant defensivum ad arcendos præsertim infidelium, & hæreticorum incursus, vel ad propria bona defendenda, & etiam subditorum, tunc potest accidere, ut sine culpa Principum gerentium diuturnum bellum stipendia militibus tenuiora prouenian, quàm ipsi mereantur; & tunc partim milites, partim subditi tenentur hujusmodi incommoda tolerare prò bono publico Potest itidem contingere, ut supremus militiæ præfectus cupiat disciplinam militarem seruare, & tamen non possit, eò quia milites & etiam eorum duces cogitent exercitum deserere, & ad illum aduersariorum transire, si nimia seueritate arceantur, in hoc enim casu subinde permittenda sunt minora mala, ut majora evitentur.

Collige 3. Iuvat tamen advertere, quòd ad solutionem stependiorum spectanda est consuetudo, siquidem in aliquibus regionibus mos est, ut

ut milites non recipiant totum stipendium, sed tantùm partem ejusdem adeò; ut altera pars servetur pro vestitu, quem duces tenentur dare eo pretio, quo mercatores principi vendiderunt. Alijs etiam locis mos est, ut singulis tantum quatuor mensibus stipendia militibus soluantur, & fortassis ob hanc rationem, ut milites retrahantur à fuga, dum hanc debitam sibi pecuniam depositam quasi apud duces sperent habere: quod si ob dimissionem militum aliquid debiti stipendij ipsis detrahetur tanquam in pœnam; tunc examinandæ sunt causæ dimissionis, si enim justæ fuerint, tenentur duces totum stipendium persoluere, quia detractio stipendij est pœna quæ culpam supponit.

Collige 4. Agunt contra justitiam officiales, quando tenentur ex officio victualia ad exercitum transportare, & id negligunt; adeò ut milites subinde inediam, & alia incommoda patiantur. Peccant item contra justitiam, si ex negligentia aut auaritia dent militibus corruptum panem, ex quo morbi oriuntur.

Collige 5. Peccant si lucri causâ pulueri tormentario aliquid extraneum admisceant, ut minimè aptus sit ad explosionem tormentorum & sclopetorum, ut vim non habeant ad victoriam comparandam. Jtem peccant duces, quando plus pecuniæ à militibus exigunt, pro cibo, potu, vestibus, & alijs necessarijs, quàm præscriptum sit; & etiam contra justitiam agunt, quando in designandis hospitijs dant alicui militi, tria vel quatuor chirographa ad tres vel quatuor domus distinctas, ut in unaquaque earum hospitio excipiantur; tunc enim cum miles non habeat hospitium nisi in una domo, injustè ab alijs pecuniam accipit, quia miles non potest prætendere nisi quæ

ipsi debita sunt pro congruo hospitio. Jta Molin: *tom:* 1. *tract:* 2. *disp:* 117. Petr: Nauar: *lib:* 2. *cap.* 3. *n.* 285 Diana *p.* 6. *tract.* 4. *Resol:* 28.

Collige 6. Duces & Ministri Principum grauissimè & mortaliter peccant, si plures milites repræsentent, quàm secum habent ad eum finem, ut plura inde accipiant stipendia, ac sibi retineant. Quia tunc surripiunt injustè pecuniam Principis, vel Reipublicæ, quæ illis minimè debetur; & sunt etiam causa plurium damnorum: siquidem Principes credant, & Respublica, tot adesse milites ad castrum defendendum, vel inimicos oppugnandos, qui necessariò desiderabantur, & sic defraudantur à suis ministris, qui propterea sunt in causa, ut Princeps vel victoriam non reportet, vel fortalitium amittat; quapropter tenentur tunc ministri & duces, qui numerum militum præscriptum à Principe non compleuerunt damna exinde orta resarcire. Jtem peccant si ob lucrum proprium simulent se præparasse ea, quæ ad bellum sunt necessaria, ex voluntate Principis, cum tamen in minore quantitate ea præparauerint: tunc enim dolosè agunt, & pecuniam Principis vel Reipublicæ invito domino sibi usurpant.

Collige 7. Peccant itidem Duces transeuntes cum suo exercitu, si loca vicina suspensa teneant, nec manifestent, quo sint transituri ad eum finem, ut unusquisque ex illis locis magnam offerat pecuniæ quantitatem, ne duces permittant illuc exercitum transire; siquidem hoc modo incolæ locorum injustè grauantur: & quamvis ducibus concedatur electio unius loci præ alio, non tamen est illis concessum, ut electionem hanc venalem faciant, ac exhibitas pecunias sibi retineant: in illo enim casu consultius est, rès ita disponere, ut

alia

alia loca vicina concurrant ad leuamen illius media aliqua contributione, in quo milites ho. spitantur.

Collige 8. Peccant etiam duces, si proprios famulos signent in milites, ut stipendium accipiant à Principe. Jtem si milites suos absque necessitate temerè exponant periculis. Jtem si nulla urgente necessitate in locis palustribus, & valde insalubribus castra figant, cum periculo ut milites morbum contrahant. Jtem si dimissis veteranis militibus in eorundem locum substituant novos & inexpertos, ut illis dent minora stipendia, & reliqvum pecuniæ sibi retineant. Jtem peccant si subtrahentes militibus stipendia permittant eos à rusticis & alijs innocentibus extorquere, quæ sibi necessaria sunt. Jtem peccant si in solutione stipendiorum injustis & usurarijs cambijs vtantur.

DUBIUM 12. Si bellum justum progredi nequeat, & finem habere, nisi civitates hostium dentur militibus in direptionem & prædam, an sit licitum, eo furore belli eas tradere diripiendas? R. cum Cardinal: de Laurea [a] & pluribus alijs, *affirmat*ivè & tutâ conscientiâ in hoc furore belli possunt exponere propriam vitam periculo mortis, nam licitum occidere permiscuè omnes, si aliter hostis nequeat expugnari; ergò multò magis in eo præciso casu, est licita vrbium direptio. Cui enim licet majus, licet etiam minus Pluris autem facienda est vita hominum, quàm bona eorundem Et quamvis in Canone *dicat* 23. *q* 5. Ambrosius dicere videatur, *quòd secundùm militarem disciplinam Regi seruantur omnia*, & Glossæ illud declarent, tamen nobis nunc sufficit, quod si necessitas belli urgeat, possint ci-

vitates hostium tradi in prædam militibus, quomodo autem dividere debeant cum Principe, parum ad nos, pacta enim & consuetudines locorum, & gentium servari dedent. Tum quia, milites justè bellantes, per ejusmodi licentiam animantur ad prælium: & fiunt promptiores & audaciores. Tùm quia contra iustè bellantes statuitur, ut restituant bona occupata per violentiam *ex cap: sicut de jure jur:* Nil autem tale decernitur de occupantibus & diripientibus ab hostibus in bello *justo* Milites tamen privata auctoritate prædas agere, aut hostib⁹. damna inferre non possunt, quia sunt executores tantùm & ministri Ita Layman Sa V. *bellum* Filliucius [b].

DUBIUM 13. An si præfectus vel gubernator alicujus fortalitij pauciores milites ad custodiam & defensionem ejusdem introduxerit, quàm à Principe statutum fuerit, ut si Princeps præscripserit pro arce illa custodienda & defendenda duo millia militum, & præfectus imminuerit hunc numerum, ac solùm mille & ducentos habeat præsidiarios milites, & interim stipendia quæ Princeps soluit pro ijs, qui desunt sibi præfectus arcis attribuit, an tunc peccet, & censeatur retinere pecuniam invito Domino? Re. cum Duvalio [c] cum distinctione: si hostes sint proximi, vel immineat periculum, ut possint illam arcem aggredi & expugnare, tunc procul dubio gravissimè peccaret præfectus, & posset capitaliter puniri, si numerum militum à Rege assignatū minueret, ad eum finem, ut sibi retineret stipendia absentiū, tunc enim illam pecuniā retineret invito Domino, & maximum inferret præjudicium Principi, quia exponeret arcem periculo ut expugnaretur ab hostibus, & propriam
vitam

vitam cum labe conſcientiæ & remorſu exponeret periculo mortis. Sin autem ſit tempus pacis, & nullum adſit periculum, hoſtes eſſe aggreſſuros arcem illam, tunc cenſet præfatus auctor poſſe præfectum minuere numerum talem ſtatutum à Principe, eò quia nullum immineat arci periculum: Ratio qua nititur eſt, quia cenſet probabile eſſe Principem, tunc tacitè conſentire, eò quia id fit ſatis conſultum inter nobiles, ex quo infert præfectum illum non teneri ad reſtitutionem ſtipendiorum, quæ in proprios privatos uſus convertit. Verùm Felix Veranus *loco ſupra citi n. 10. pag. 353.* cenſet, tùm tempore belli, tum tempore pacis non poſſe præfectum arcis, imminuere numerum militum à Principe ſtatutum ad eum finem, ut ſtipendia abſentium ſibi arroget: quia tametſi nullum immineat periculum proximum, ut arx illa ab hoſtibus obſidione cingatur, nihilominus non eſt certùm, quòd alius Princeps non poſſit ex improviſo arcem invadere, neque enim ſcire poteſt, quale jus habeant alij Principes in arcem illam. Tùm quia tametſi ſit tempus pacis, non tamen cenſendum eſt, Principem tacitè in illum diminutum numerum conſentire, quia cùm id in nullam cedat principis utilitatem, imò potius in periculum damni, non eſt præſumenda voluntas Principis ex ſuppoſitione, quod neſciat ſtatutum à ſe numerum militum eſſe ita imminutum, unde probabilius eſt, Principem tacitè non conſentire; & præfectum arcis teneri ad reſtitutionem. Ita & benè.

DUBIUM 14. An liceat uti repreſſalijs ſeu pignorationibus, hoc eſt, quando una Reſpublica injuſtè damnum patitur ab alia, & hæc non

vult

vult pro eâ ſatisfacere, an tunc liceat Reipubli-
cæ læſæ occupare bona innocentum pertinenti-
um ad Rempublicam lædentem, ad eum finem,
ut Reſpublica læſa ſibi ſatisfaciat, vel alteram
adigat ad ſatisfaciendum. R. Cum Felice Ve-
rano *loc: ſupra cit: n. 25. pag 344.* Quod ſi
talia bona non pertineant ad innocentes Eccle-
ſiaſticos, ſed ſæculares, tunc licebit, quia hu-
jusmodi bona pertinent aliquomodo ad com-
munitatem, proinde poſſunt ab altero habente
jus in bona Reipublicæ uſurpari, quantùm ne-
ceſſarium eſt, ad ſatisfactionem, ut docet Mo-
lin: *diſp:* 121.

Dices Ex hac reſponſione ſequeretur, quòd ſi
unus fur alterius Reipubl: combureret in alia
domum aliquam, liceret cuilibet civi hujus al-
terius Reipublicæ damnum repetere, quod eſt
abſurdum: ſed negaretur ſequela, quia in tali
caſu tantùm obligatur ea Reſpublica, cujus fur
erat membrum, eundem cogere ad reſtitutio-
nem ſi poſſit, ſin minus ſaltem illum punire,
ne quid ſimile amplius tentet: quod ſi malefa-
ctor aufugeret ad nihil tenetur Reſpublica, ni-
ſi fortaſſis damnum illud factum fuiſſet ex
conſilio illius.

Hinc ſi Gallus in terra Hiſpanorum aliquid
furetur, aut alio modo noceat, ad nihil tenetur
Gallia, niſi receperit in ſe talem furem, &
noluerit eum cogere ad ſatisfactionem, caſu quo
habeat, unde poſſit ſatisfacere. Notandum ta-
men eſt, quòd tametſi hujusmodi rapinæ ex ſe
licitæ ſint, nihilominùs ſunt prius alia media
tentanda & recurrendum ad Principem ipſius
læſoris, ut ille ad reſtitutionem obliget Rempu-
blicam ſibi ſubditam: rurſus cauſa debet eſſe

æquiva

æquivalens illis damnis, quæ ex talibus rapinis oriri possunt. Demum non debent fieri majora damna, quàm necessaria sint pro compensatione.

DUBIUM 15. *An ante & post prælium liceat occidere aliquem etiamsi sit bellum justum?* ℞ Cum Cardinal: de Laurea *negativè* [d] *sed* malefactores tantùm juridicè convicti possunt licitè occidi. Ratio est, nam ijs temporibus potest tractari pax vel tregua & alio modo obtineri satisfactio ab adversario. Ergò licitum non est quenquam occidere: Consequ: prob: pro tunc non datur dispensatio homicidij, quæ solùm datur dispensatio quando alius non suppetit modus, nisi prælij, at in ijs temporibus non adest prælium, ergo neque licentia occidendi. *dixi* malefactores tantùm possunt licitè occidi, Ratio est: rei criminis capitalis, quocunque tempore à Principe possunt homicidio puniri cum non fiant melioris conditionis ob patratum prælium, si ante illud vel in illo, vel post, ut tales convincuntur mortis pœnâ plecti posunt. Tum quia si per vim capta sit civitas, in potestate seu libertate ducis militiæ est occidere nocentes, eos nempe qui fuerant authores, ut bellum moveretur, & ne traderetur civitas obsessoribus justè dimicantibus, ergò multò magis occidi possunt malefactores seu delinquentes, qui etiam extra casum belli pœnâ mortis essent plectendi.

DUBIVM 16. An extra furorem belli possint occidi innocentes, & infantes, sive fidelium sint, sive infidelium filij. ℞ Cum Cardin: de Lauræa *loco supra cit: num: 305. negativè.* Ratio est, nam nullus titulus nullumque motivum

tivum justitiæ potest eorum homicidia iustifi-care, nam jure naturæ mors innocentium prohibetur. eò vel maximè quia nullam injuriam duci uictori in bello justo intulerunt ut supponitur, & præsertim infantes. *Si dicatur in* Patrum pænam fieret, sicuti in scriptura Deus sæpe faciendum jussit, ex alibi dictis. sed est contra *Deuter* 24. 16. expressè hoc prohibetur *Non occidentur Patres pro filijs, nec filij pro Patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Quod autem aliquando id Deus præceperit, non facit ad rem nostram, quia ipse est dominus vitæ omnium, nec valet instantia; quod eatenus bella, & homicidia in eis licita sunt, quia Deus ea permisit, ergò idem dicendum de occisione innocentium & parvulorum videtur. Disparitas enim est, quia bella permisit, aliquando indulsit, ut patuit, & nuspiam prohibuit, at homicidia innocentium & parvulorum, ratione supremi dominij, aliquando jussit. At universaliter prohibet. Quòd verò neque infantes infidelium occidi possunt, ex eodem motivo probatur, quia nemini nocuerunt & successu temporis possunt ad fidem trahi. Ideoque ex charitate pro eorumdem salute reservandi sunt. Neque obstat, quòd illi, nisi convertantur, evadent Christianorum hostes, id enim nemini tribuit jus eos occidendi. Tum, quia fieri potest ut convertantur, ut de innumeris compertum est, integra enim regna, à Christianis devicta aliquando ad fidem venerunt. Tum etiam quia fides est libera, & dubium futuræ hostilitatis, non dat jus occidendi nunc innocentes, & tandem, quia ante adultam ætatem possent decedere. Et ideò hæc barbari-

à Chri-

à Christianis ducibus non committitur, sed isti potius in servitutem redigunt ejusmodi infantes & paulatim ad fidem perducere conantur domini, ad quorum manus perveniunt, ut experientia constat de multis captis & judæis conversis.

DUBIUM 17. *An extra prælij conflictum possint occidi, aliæ quadam personæ?* R. Ex eodem *loco supra cit: num 308. negativè.* In quo personæ non discernuntur, occidi non possunt, Presbyteri monachi, conversi peregrini, mercatores, rustici, existentes in agricultura animalia, quæ arant, & fæminæ &c. Hi omnes per se non possunt occidi. Ratio perspicua est, quia bellum est pœna, & innocentibus non potest justè ulla pœna imponi, secùs per accidens potest innocentibus damnum inferri, ut quando milites ad expugnandam, & occupandam urbem injectis jaculis, & tormentorum globis occidunt in foro vel plateis, aut domibus, innocentes; quia milites non tenentur abstinere ab obsidione nè tormentorum globi lædant innocentes, possunt enim subjectis cuniculis & admoto nitrato pulveri igne mænia urbis evertere, & turres, etiamsi nocentes simul & innocentes corruant & opprimantur. Ratio est, quia occisio innocentum est omninò accidentaria, & præter intentionē obsidentium: neque tenentur, qui justi belli caussam habent desistere, à consequutione proprij juris propter incommodum, quod inde redundat in infantes & innocentes. Tum quia occisio innocentum, non est imputanda belligerantibus, quia isti illam non intendunt; sed tantùm utuntur jure belli.

Quares, an pro confirmanda securitate in futurum licitum sit occidere æque innocentes, ac

nocentes.

nocentes, quando eorundem timetur rebellio aut defectio. R. Cum Felice Verano *loc: supr: cit: n.* 89. *pag.* 343. præsertim quò ad innocentes absolutè *negativè*; alioquin punirentur, non propter quod egerunt, sed propter *quòd* possent inposterum agere, quod procul dubio iniquum est. Tum quia hoc pacto licitum esset cuiq; Principi omnes suos occidere subditos, quia omnes possent rebellare, quod impium & absurdissimum est. Quò ad nocentes neque licitum est, quia non punirentur propter id quod egerunt, sed propter quod acturi sunt; quod etiam est iniquum. Tum quia hæc futura rebellio est incerta; & si adsit periculum non desunt alij modi; quibus caveri possit, ne sequatur. Tùm quia hoc pacto punirentur homines propter delicta nondùm commissa. Vnde securitas non est sufficiens causa inferendi mortem.

Quares, An saltem bonis innocentium poßit noceri; adeò ut eorum bona poßint in bello diripi? R. ex eodem & communiter per accidens posse inferri damnum in bona innocentum, quantùm fuerit necessarium ad finem belli consequendum, maximè si una pars hostilis credat, adversarios esse usuros ijsdem bonis in damnum illius, neque circa hoc adest difficultas: bene tamen, an bonis innocentum possit directè noceri, & sit eadem ratio de illis bonis, ac de vita, diximus enim directè & immediatè nullo modo esse licitum occidere in bello, & conflictu prælij innocentes, nisi ex speciali commissione DEI, qui est dominus vitæ & necis, sicut legimus in sacris scripturis; DEUM olim hanc jurisdictionem dedisse judæ-

is in

is, in multos populos terræ promissionis, undè difficultas est an bona innocentium ita æquiparentur vitæ, ut non possit directè ipsis noceri Respondent ad hoc plures non posse directe inferri damnum in bona innocentium, & ea utuntur retione, quia nunquam licitum punire sine culpa. Alij tamen cum Molina *disp.* 120. asserunt posse bonis innocentium directè noceri, quantùm ad satisfactionem victoris necessarium est Ratio hujus sententiæ, quæ probabilis est, in eo consistit, quia tametsi in bonis vitæ non efficiat civis unum quid cum Republica, perinde hæc non habeat jus in vitam civis, nisi ob delictum ejusdem, siquidem Respublica non potest directè occidere civem, ob ullam necessitatem, si civis innocens sit: in bona tamen cujusvis ciuis habet Respublica dominum; adeò ut in casu necessitatis possit directè ijsdem uti, hoc autem jus transit in victorem, quia ratione justæ victoriæ fit dominus eorum omnium, quæ ad debellatam Rempublicam, vel victum regem pertinerent: ergò si tunc ad satisfactionem pro expensis necessarium fuerit ea bona etiam innocenti arripere, licebit: Neque inde sequitur, innocentem puniri sine culpa, quia id non fit per modum pænæ, sed ad compensationem damnorum: quemodmodum si Respublica in casu extremæ necessitatis, ob bonum commune & publicum uteretur bonis innocentum non diceretur eos punire sine culpa, sed diceretur uti jure suo tametsi inde damnum aliquod redundaret in innocentes. Præterea asserunt nonnulli, etiam in ordine, ad punitionem pecuniarum. posse dici peccasse per modum partis Reipublicæ eos, qui

qui alioquin in sua persona innocentes sunt, proinde in bonis quæ ijsdem sunt cum Republica communia cujusmodi sunt bona fortunæ, possunt puniri. Idque ex eo firmant, quia quando una Respublica peccavit, omnes cives amittunt sua privilegia, etiam illi, qui censentur fuisse innocentes, & possint novis tributis gravari. Verum Felix Veranus, priori sententiæ adhæret, alioquin liceret [ait ille] victori etiam per modum pænæ auferre bona innocenti, quod non conceditur.

Adverte tamen, quod in tali casu, hi qui nocentes sunt, teneantur postea compensare innocentibus damna ipsis illata, qui soli nocentes fuerunt causa illius damni, recta ratio exigit, ut illud compensent. Item ab hac regula nocendi directe bonis innocentum excipiuntur ordinarie Ecclesiastici, qui, cum ut superius diximus, nullo modo sint pars Reipublicæ in ordine ad bellum, non possunt eorum bona auferri compensationis gratiâ: est enim discrimen inter bona innocentum sæcularium, & Ecclesiasticorum, quia bona sæcularium constituunt quid unum cum bonis Reipublicæ, non ita bona Ecclesiasticorum, quia hæc utpote specialiter DEO dicata sunt omninò exempta. Tum quia Ecclesiastici constituunt partem distinctam à Republica civili, proinde ob culpam Reipublicæ non debent puniri, sed & quidem bene.

Quæres. An in aliquo casu liceat tempore belli nocere rebus etiam Ecclesiasticis. R/. ex Felice Verano *loco cit. supra num. 24. pag. 341.* *affirmativè.* Et quidem *primò* si Ecclesiastici se immisceant bellis civilibus, & juvent hostes, quia

quia tunc non habentur amplius, ut Ecclesiastici, sed ut hostes. *Secundò,* quando damnum non infertur ex proposito, sed præter quasi intentionem, ut quando victoria non potest aliter obtineri nisi damnum inferatur bonis Ecclesiasticis. In isto enim casu qui justum bellum gerunt, quando ex professo intendunt tantùm hostibus nocere, possunt ex accidenti nocere rebus Ecclesiasticis. *Tertiò* quando Ecclesia est in castellata seu munita more castri, quod fieri prohibetur *in cap. SS. Patrum 30, quæst.* 1. undè lego apud Busembaum *de bello artic. 3, tract. 4. cap.* 1. quod per accidens liceat aliquando comburere etiam Ecclesias, & hostes ex *ijs* extrahere, in ijs spoliare & occidere, si v. g. Ecclesiâ velut castro ad repugnandum utantur. Ita & Sylvest: *V. bellum num. 10.* Sa. Bonac: *p.9. l. §.3.* Ecclesia autem duobus modis potest intelligi incastellata: uno modo ad inferendam vim vel injuriam hostibus, & hoc est, quod in præcitato capite prohibetur. alio modo intelligitur Ecclesia incastellata, solùm ad defensionem, vel personarum Ecclesiasticarum vel laicorum innocentum, qui non possunt alio modo se defendere; & hæc secunda incastellatio non est prohibita, proinde tunc non est inferenda vis Ecclesiæ, neque personis innocentibus quæ in ipsa recipiuntur, licet possint auferri omnia arma, & tormenta bellica ibi congregata ab hostibus, nè isti postea illis utantur in damna partis contrariæ. Quod si Ecclesia fuerit incastellata priori modo prohibito, censent plures cum Reginaldo *tom, 2. lib 21. cap. 8.* posse expugnari ac destrui.

DUBIUM 18. *An finito bello & parta victo-*

via sit licitum tradere civitates in direptionem militibus? R. ex Card: de Lauræa *loc: supra cit: pag. 281, n. 338. negativè.* nisi probabiliter timeatur de rebellione, & pervicacia eorum, qui jam justi sunt. Prima pars patet, hac ratione, nam nullum apparet in victoribus jus hæc faciendi, non justitia belli, quòd jam terminatum supponitur, ex parta victoria, omnia enim mala, homicidia & strages quæ in bello tolerantur, ob finem obtinendi jus læsum tolerantur; cum autem subjugati sunt hostes, victor obtinuit intentum, poteítq; à victis, absque alia hostilitate exigere, quod justè prætendit, sive humiliationem, sive resarcitionem expensarum, sive aliud simile. Cessavit ergò necessitas hostiliter operandi, quæ ex Augustin: cit: cap: *Noli existimare*, facit in bellante circa hostem licita, quæ de se illicita essent. Secunda pars etiam patet, ex eo casu duraret motivum bellandi, seu bellum prosequendi, una enim ex justis belli causis est rebellio etiam attentata. Victor autem timens cum fundamento de victorum obstinatione, ac rebellione, ad eos debilitandum jure belli posset eadem prorsus facere quæ in actuali prælio sunt ei licita. Si enim opes civium & situs civitatis possunt eos reddere fortes atque audaces, per ejusmodi direptiones ac eversiones posset eos infirmare & ita videmus factum, nedum in Sacra Scriptura de Jericho alijsq; multis civitatibus; sed & in chronicis per multos Principes, eosq; sanctos, & aliquando Ecclesiasticos; neque ab alio propter hoc improbatos

DUBIUM 19. *An si Princeps impediat mercaturam, peregrinationem, navigationem & transitum per sua Regna civibus alterius regni, possint alij Principes justè contra illum bellum indicere?*

R. cum

R. Cum Felice Verano, quidquid alij dicant: *affirmativè*, cum alijs inter quos Franciscus Victoria Lorca (et qui asserunt justo titulo Hispanos potuisse Indos debellare, & eorum regiones occupare, eò quia ijsdem, impedierint mercaturas, peregrinationes, navigationes, transitus, & piscationes. Tum quia omnia prærecensita sunt communia jure gentium, adeò ut non possint justè negari, præsertim quando ijs negantur, qui absque ullo nocumento possidentium ea expetunt. Et reuera si post negatum transitum alicui exercitui, qui absque negantis detrimento petebatur, non posset Princeps alteri neganti transitum bellum indicere, qua ratione *num: 21.* Filij Israel pugnauerunt contra Seon, & Og Reges impedientes transitum Israelitarum; siquidem hujusmodi transitus censetur de jure gentium: ita a fortiori videtur sequi, non posse Principem impedire mercaturam, peregrinationem, navigationem, & transitum per sua regna, cum hæc minora damna inferant, quàm transitus armati exercitus.

DUBIUM 30. *An milites in bello debeant habere conscientiam à peccatis liberam?* R. *affirmative* Ratio est, quia de bona conscientia procedit militaris fortitudo juxta illud D. Pauli ad Hæbr: 11. *isti per fidem vicerunt regna fortes in bello facti sunt.* Alia versio legit. *Sancti per fidem vicerunt regna.* Et meritò dicitur *Sancti*, ut ostendatur quod militaris fortitudo hostibus terribilis, ex conscientiæ puritate, & sanctitate exurgat. Tum quia miles offenso Deo infeliciter præliatur. Vnde D. Hieronymus in Epist: 3 ad Heliodor de Epitaph: Nepotiani ad finem postquam innumeras strages, Romani imperij commemorasset, sic concludit: *Nostris peccatis barbari fortes sunt, no-*

strùs vitijs Romanus superatur exercitus. Et infra: *Infelices nos, qui tantùm displicemus Deo, ut per rabiem barbarorum illius ira in nos desæviat.* Quasi diceret non externi hostes, sed domestici peccatores extremam perniciem Romano imperio moliuntur. Non sua hostes arma, sed nostra eos peccata in nos roborant & confirmant: Consequenter milites tot peccatis aggravati & onusti, victi ab hostibus non sine labe conscientiæ, & remorsu etiam evidenti, propriam vitam exponunt periculo mortis. In quibus autem milites in bello possunt peccare, sequentia dubia demonstrabunt: sit ergò.

DUBIUM XI. *An milites Christiani, diripientes bona Ecclesiæ peccent lethaliter contra justitiam, si bona clericorum vel religiosorum diripiant quando post obsessam & captam urbem conceditur ipsis facultas exspoliandi domus civium?* Rx. *affirmativè.* Ita Suarez cum alijs [f] Ratio est, quia tametsi bellum ardeat inter Hispanos & Gallos, non possunt Galli religiosos Hispanos capere, neque eorum bona diripere: quia ex communi Theologorum sententia, bona religiosorum & Ecclesiasticorum sunt bona innocentium, quæ ob delictum alterius non possunt occupari. Tum quia cum sint specialiter Deo dicata, sunt exempta à jurisdictione sæculari; consequenter non possunt Ecclesiastici ob delicta aliorum molestari, neque gravari. Tum quia Ecclesiastici sunt separati à Republica civili, proinde propter delictum Reipublicæ civilis non possunt puniri; consequenter bona Ecclesiasticorum non posse auferri compensationis gratiâ, eò quia nullo modo censentur pars Reipublicæ in ordine ad bellum: & ita non possunt bona Ecclesiasticorum diripi,

quia

quia quò ad bellum inter Reges non habentur tanquam pars populi; sed tanquam alia pars omninò separata & exempta; & cum fundamentum belli sit compensatio pro irrogata injuria, & Ecclesiastici supponantur, nullam intulisse injuriam; non potest à militibus aduersæ partis ullum ipsis inferri damnum, aut gravamen. Hanc eandem assertionem tenent etiam ipsi hæretici, etenim Hugo Grotius *de jure belli & pacis capi 11. m. 10.* loquens de ipsis insontibus, quibus in bello non est nocendum ait: In hac classe primum ponendi sunt hi, qui sacra curant. Nam ut hi ab armis abstinerent, mos ab antiquo fuit, gentium omnium; atque ita vicissim vis in illos temperabatur. Sic Philisthæi, hostes Iudæorum non nocebant collegio Prophetarum quod erat Gabæ, eò quia locus erat sacer. Et sic ad alium locum vbi simile erat collegium, tanquam sepositum ab omni armorum injuria, cum Samuele confugit David, ut tutus esset. Cretentes, narrat Plutarchus, cum bellis intestinis collidergentur, omnem noxam abstinuisse à Sacerdotibus, & ijs, quos humandis mortuis præpositos vocabant. Notat Strabo, olim cùm tota Græcia armis ferueret, Eleos, utpote Iovi sacros & eorum hospites in alta pace vixisse. Sacerdotibus hac in parte meritò æquantur, qui vitæ genus simile elegerunt, ut Monachi & conuersi, idest pænitentes, quibus proindè æquè ut Sacerdotibus parci volunt canones naturalem æquitatem sequuti. Hactenus Grotius. R. 2. cum Iosepho Angles Scotista [g] cum distinctione, vel bellum justum contra prælatum Ecclesiæ injustè pugnantem geritur, & tunc clerici exspoliari possunt. Ratio est quia sunt subditi prælati injustè pugnantis. Si bellum non est con-

tra prælatum, sed aduersus temporalem dominum, neque clerici, neque monasteria exspolianda sunt, & damna à militibus illata, sunt restituenda, hæc conclusio definitur in cap. *Innouamus de treuga & pace*, & est Concilij Lateranensis sub Alexandro III. sunt etiam milites excommunicati excommunicatione Papali, ut in cap. *conquesti de sententia excommunicationis* habetur similiter exspoliantes terras Romanæ Ecclesiæ: ut in Bulla cænæ Domini habetur.

a Cardinal: de Lauræa *disp: 14. artic: 10. §. 7. n. 8 7 pag. 81.*

b Sa verb: bellum Layman: *de bello lib: 2. tract: 8. cap: 12.*

c Duualius 22. *quæst:* 16 *artic:* 4 [d] Cardinal: de Lauræa *loco supra cit: n: 301 & 302 pag. 2 0.* [e] Felix Veranus *disp:* 17. *de bello sect:* 8. *pag:* 355. *n.* 11. & 2. [f] Felix Veran: *loco cit: pag* 341. *n.* 13 & 14 & 15. Suarez *disp:* 13. *de charit: sect:* 7. *n.* 14. [g] Angles Scotista in Flor: Theol: quæst: de restit: in bello dist 5.

DUBIUM 22. *Est ne licitum militi Christiano pro redemptione alterius Christiani in bello justo capti, exigere & recipere pecuniam?* R. cum Iosepho Angles Scotista *loc: sup. cit dist:* 2. *pag:* 183 *affirmatiuè*: Ratio est, quia Princeps durante bello justo est Iudex contra hostes iniquum bellum gerentes: atque ita non solùm morte, verumetiam priuatione bonorum illos castigare poterit, integrùmque erit non solùm bellantes, verum etiam cuiuscunque Principis iniquum bellum gerentis subditos capere, & pro illorum redemptione pecuniam exigere. Princeps injustum gerens bellum, omne damnum suis subditis illatum ab aduersarijs, resarcire tenetur, est enim

causa

causa damni subditorum, & qui causam damni dat, damnum dedisse videtur. *ut ex cap. finali de injuriis constat.*

DUBIUM 23. *Ne sint milites restitutioni obnoxij, tenentur ne causam belli, justa ne sit, an non examinare, an sola Principis obedientia illos compellentium excusat?* R. cum Angles *loco supra cit: d sp: 9.* cum distinctione, nam milites qui sunt, Principi gerenti bellum subditi, belli justiam examinare non tenentur, sed ratione obedientiæ excusantur, si tamen injustitia fuerit illis ignota: nam ut carnifex non tenetur examinare causam hominis suspendendi, ita neque milites belli causam. Definita est *in capi quid culpatur 23. q. 1. & est S August:* milites autem conducti, vel vocati prius belli justitiam examinare tenentur: sin minus solùm ad illud in quo facti sunt locupletiores & ditiores restituendum obligantur. Ratio est; quia possessor bonæ fidei postea quàm destruxit alienum, non tenetur æquivalens, sed illud tantùm in quo locupletatus est restituere: vt si ex gemma in bello capta locupletatus sit, vsque ad quinque, licet ipsa decem valeret, quinque duntaxat restituere tenebitur.

DUBIUM 24. *Tenentur ne omnes milites injustè bellantes prædam civitatis in solidum restituere, an quod unusquisque tantùm abstulit?* R. cum Cajet. *1. 2. q. 62. artic: 7. affirmativè* idest tenentur in solidum ad totam prædam, nisi impotentiâ restituendi excusentur. Ratio est, quia quilibet est causa prædæ, mutuò enim se adjuvabant, quandoquidem unus solus totam civitatem exspoliare non poterat; si autem fuerit præda Romanæ vrbis, vel terrarum Romanæ Ecclesiæ, milites & ad restitutionem tenentur, & Papali excommu-

nicatione Cœnæ Domini ligantur.

DUBIUM 25. *Tenentur ne milites restituere, quæ ab hospitibus, & ex alienis vineis, aut agris accipiunt?* R. cum Iosepho Angles Scotista *dist:* 11. *pag:* 187. Potest consuetudine introduci, ut rustici alicujus Principis, justum bellum gerentes milites tempore belli alere teneantur, præsertim si bellum est ad rusticorum possessiones defendendas. Ratio est, quia talia alimenta naturam tributi habent, & ut est consuetudine introductum, milites hospitio gratis recipi, ita introduci potest, ut quilibet civis gratis suum militem alat. Tenentur tamen milites restituere omnia spolia ex omnibus vineis, vel eorum agris, qui non sunt hostes, ablata, ubi non fuerit talis consuetudo, quia alienum invito Domino auferunt.

DUBIUM 26. *Tenentur ne gerentes bellum, ad restitutionem quando bellum ex defectu tantum auctoritatis est injustum?* R. cum Adriano & alijs negativè, qui propria authoritate debitorem publicè, siue occultè exspoliat, ut rem suam siue æquivalens assequatur, cum possit illam judicis authoritate recuperare, si armis, aut cum scandalo istud faciat mortaliter peccat: non tamen est ad restitutionem obligatus, accipit namque contra ordinem juris, rem suam & agit contra legem naturalem, & divinam, juste enim dicit scriptura, quod justum est, exequeris, & cum rem suam titulo recompensationis retineat, non erit restitutioni obnoxius.

DUBIUM 27. *Qui plura intulit damna in bello, quam fuerit valor rei occupatæ, erit ne restitutioni obnoxius?* R. cum præcitatis auctoribus, & Iosepho Angles. *affirmativè*, nam qui defendendo seipsum plus æquo adversarium lædit, ad

restitu-

restitutionem damni illati tenetur. Ratio est, quia unicuique licet se ipsum defendere, & vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Et est definit: in cap. *olim primo de restit: exspoliatorum*, vbi habetur, excedentes modum in defensione teneri ad restitutionem excessûs: est autem moderamen in culpatæ tutelæ, quando quis tantùm ob defensionẽ, aut tantùm aduersario nocet, quantùm ad propulsandam injuriam, & non amplius requiritur. Intelligenda tamen est conclusio nostra de defendentibus se & habentibus superiorem, nam si non habent, poterunt non solùm se ipsos defendere, verumetiam hostes in pænam delicti punire & persequi. Jtem quando bellum est justum, & superioris athoritate infertur, qui plus abstulit quàm ab hostibus debebatur, siue aggressor siue defensor sit ad restitutionem minimè tenetur Et ratio est quia quando bellum est omninò justum, qui gerit bellum est minister justitiæ Divinæ & humanæ: atque ita poterit ut iudex, & minister in pænam delicti retinere omnia quæ ab aduersarijs, vltra rem à tyranno occupatam, abstulit, quemadmodum iudex punit latronem in septuplum ultra rei furtiuæ pretium.

Hinc quoque Reges & Principes, justa bella gerentes, civitates & oppida, quæ durante justo bello occupauerunt, restituere non tenentur, quamvis hostis non abstulerit castella.

Jnducens tamen bellum, sine superioris athoritate, & justa de causa ad recuperandas res proprias ab aduersarijs vsurpatas, quidquid vltra sibi debitum abstulerit restituere tenetur, quia cum justitiæ non sit minister aduersarium punire, vel ab illo quidquam, ultra sibi debitum auferre non potest, quemadmodum dominus rei furto sublatæ,

furem

furem in quadruplo punire nequit, ut poteſt judex.

DUBIUM 28 *An peccet miles qui ſub Turcis & infidelibus contra Christianos militat?* R. *affirmativè* Ratio eſt; nam inter Chriſtianos arctiſſima eſt cognatio, fraternitas, & amicitia, quæ naturali lege longè arctior eſt: propterea ſunt ejusdem civitatis, una eis domus eſt, eadem menſa, eadem via, ianua, radix, vita, idem eis caput eſt, idem paſtor, idem Rex, unus & idem magiſter iudex, conditor, pater, quæ omnia nobis æquali quadam inſunt communitate. Ita D. Chriſoſt: *in Matth. homil 33.* contra ergo hujus cognationis jus & contra fædus baptiſmale graviſſimè peccant filii, qui ſtipendium merent ſub Turcis infidelibus, ac Chriſtiani nominis hoſtibus, & contra fratres ſuos Chriſtianos ut externè non injuſto pugnant. Non Deo, aut Chriſto ſed ſathanæ contra Deum & Chriſtum ſerviunt. Longè alia mens erat militum ſub Juliano apoſtata militantium de quibus ſic D. Ambroſius: *Iulianus Imperator quamvis eſſet apoſtata habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites quibus cum dicebat: Producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant ei, cum autem diceret eis producite arma in Chriſtianos, tunc agnoſcebant Imperatorem cæli.* Talis & *multò ante fuerat Thebæa legio, quæ Diocletiano & Maximiano Imperatoribus contra Chriſtianos fratres in prælium ire recuſabat.* Vnde milites, qui parati ſunt, ſequi quemcunque ad bellum vocantem ſive juſtum ſit, ſive injuſtum, dummodò ſtipendium præbeat, in malo ſtatu verſantur, & niſi propoſitum corrigant, à confeſſario, non debent abſolvi. Ita Molina, Layman, Cajet & plures alij moraliſtæ [b] apud Baſſeum. Unde milites ſub ijs, qui diripiunt vel occupant terras, aut bona Eccleſiæ, ut

ſunt

sunt Turcæ, Saraceni, & alij infideles militantes incurrunt pœnam Excommunicationis Bullæ Cœnæ Domini. Sic etiam qui significant Turcis vel hæreticis, quæ sunt in damnum Christianæ religionis vel dant ad hoc fauorem auxilium, aut concilium. Ita Cardinal Branc: *in Epit: can* ¶. *Excommunicat Bulla Cœnæ Dom. Ex his.*

Collige 1. *Velut certum*: Reges Principes Christianos, qui præstant auxilium, favorem infidelibus, contra alium Principem Christianum, probabiliter & prudenter autumantes, ne potentior factus suum Regnum, & ditiones invadat, delinquere contra hanc Bullam Cœnæ Domini. Ita communissimè Theologi, Rodriquez, & alij, quos citat & sequitur Castillento *dist*: 16. Ratio est, quia nisi actu invadat, non servatur moderamen inculpatæ tutelæ, ut etiam supra diximus.

Collige 2. *Velut certum* dantes auxilium infidelibus contra Christianos incurrunt excummunicationem *Bull: Can: Dom*. Ratio est nam actiones, ob quas fertur hæc censura, sunt duæ principales, ut Theologi advertunt communiter. Prima est deferre, vel transmittere ad loca infidelium arma, & omnia illa quibus ad impugnandos Catholicos utuntur. numerantur autem ibi, & prohibentur equi, arma, ferrum, filum ferri, stagnum, chalybs, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, funes ex canabe, vel alia quacunque materia, & alia id genus. Rursus in particulari explicantur, qui sint hi, infideles: ad quos hæc omnia prohibentur deferri, & dicuntur esse Sareceni & Turcæ, & hæretici, per Romanam sedē expressè declarati, & generatī omnes Christiani nominis hostes, & inimici. Quamobrem

per hanc clausulam prohibentur deferri ad omnes inimicos Christiani nominis, arma tam defensiva, quam offensiva, quia vocabulm illud *arma*, utraque arma comprehendit: rursus prohibetur etiam, quidquid ad bellicas confert, vel ordinatur actiones sive sint proxima earum instrumenta, siva materia, sive animalia, aut res aliæ deferentes personas, victum, vel arma, vel eorum res adeò, ut prohibeantur ea omnia, quæ ad usum talium rerum necessaria sunt. Secunda Principalis actio hîc prohibita est illorum, qui per se vel alios de rebus statum Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas, & Christianæ religionis inimicos, nec non hæreticos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt; illisque ad id consilium, auxilium vel favorem præstant. Observandum tamen est, quod si quis deferat literas sigillo clausas, & ignoret ibi contineri hujusmodi revelationes, secretorum in perniciem Christianorum, non incurrit hanc excommunicationem, eò quia defectu cognitionis est id ipsi involuntarium; secus si latori constaret, ibi contineri secreta, quæ in perniciem Christianorum revelantur Turcis, incurreret hanc censuram: quia sicut qui applicat ignem moraliter dicitur comburere, ita applicans scripturam, continentem secreta, & præbens illam, moraliter dicitur revelare secreta. Rursus sub hac actione secunda pricipali, quatuor aliæ continentur, quæ prohibentur, scilicet revelare infidelibus, secreta nociva Christianis: *secundò* consilium dare ijsdem infidelibus contra Christianos, *Tertiò* dare auxilium & favorem: *Quartò* demum quoquomodo illis prodesse in damnum Christianorum. Idque con-
que

flat ex illis verbis hujus clausulæ. *Seu quocunque alio ingenio subsidia impendunt, vel machinis, aut quibus libet alijs: vel qui in piratica Saracenorum navibus pro cupiditate sua regimen, & curam gubernationis exercent*: Hæc ex contextu Bullæ Cænæ Domini. Si tamen tempore pacis, quo præfati infideles non gerunt bellum contra Christianos, nec etiam dispositi sunt ut bellum proximè illis moveant præfata [quæ in prima actione, enumeravimus] absque violatione Bullæ transportari posse. Ita Castillento *Dist*: 4. Ratio est; quia illa videtur mens Bullæ, ne nempe fideles ab infidelibus oppugnentur.

DUBIUM 29. *An licitum sit, ad evitanda tormenta, ac declinandam mortem, revelare secreta Principum, seu exercitûs*? R. *Negativè*. ita docent communiter, præsetim Navarrus, Malderus Facundez, (c) unde si aliquis secretum regis, vel præfecti exercitus sciat, ex cujus revelatione, vita vel fama Regis vel magnum aliquod malum publicum pendeat, nullo modo licebit ei illud revelare. Ratio est pe spicua, quia bonum commune semper præferri debet privato: unde si miles Gallus ab Anglo vel Holando captus sciret sui Regis secreta, ut præfecti exercitûu Gallorū quamvis tormentorum vi torqueretur, ac etiā occideretur, non posset tutâ conscientiâ hujusmodi secreta aperire hostibus; in alijs tamen casibus in quibus bonum commune non periclitatur, censent plures & quidem perquam probabiliter ad evitandum grave damnum, ut torturam, & alia gravia tormenta, posse patrum crimen occultum alterius sibi sub secreto revelatum manifestare, tametsi inde mors delinquenti immineat. Ratio est; quia si Petrus non te-

netur secretum servare, quando vergit in damnū proximi; multò minùs quando cedit in proprium detrimentum, siquidem nemo est magis proximus, quàm quisque sibi; tum quia non tenetur Petrus cum tanto suo incommodo servare vitam, aut famam proximi. Ita enim docent Lessius *lib. 2, cap. 11 dub: 54.* Navar & alij.

DUBIUM 30. *An præfectus exercitûs, vel officiarius bellicus peccet, qui militem annona ac stipendio defraudat* R. *affirmativè* Ratio est perspicua; nam Dux & officialis bellicus militem, quem sub se habet ut filium ac fratrem diligere, omnemque ac verè paternam curam pro ipsius salute adhibere debet. Cum primus exactā curam rerum necessariū habeat. Sic Romani Duces primam semper in bellis commerciorum curam habuêre Plini *lib: 26 c. 4* Habeat miles quod emat ne cogatur cogitare, quod auferat. Cassiodorus *lib 4. c. 13* Grauissimè ergo delinquit officiarius, bellicus, quando annonam ad sustentandum militem destinatam ad se rapit vel stipendium quod pro milite accepit, ei vel planè non, vel non integrum ac justo tempore soluit. Tales officiarij maximè peccant contra Deum, qui in septimo præcepto prohibuit, omne injustum lucrum contra Dominum superiorem cujus authoritate bellum geritur; contra militem ipsius fidei concreditum, quem stipendio suo defraudat contra publicam rem quæ non potest non inde grave detrimentum pati. Si enim militi stipendium non datur, ei occasio datur, ut ex desperatione vel militiam planè deserat, vel seditionem & rebellionem excitet, vel rapinas exerceat & innocentes provinciales opprimat, vel famæ & egestate pereat. Proinde querelæ militum

tum contra officiarios, & maledictiones sæpissimè audiuntur. Turpissimũ sanè est officiarium bellicum lautè vivere, & militem esurire. Officiarium auro & argento crumenam suam opplere; & militem in castris mendicare. Non immeritò hæc officiariorum avaritia, pecuniæ cupiditas & injustitia acerbitate pænarum coerceri solet, prout exempla vidimus & audivimus.

DUBIUM 31. *An licitum sit occidere obsides, quando adversari non stant promissis?* Aliqui respondent cum Azorio [d] *affirmativè*. Si hostes fidem fregerint; quia ea conditione dantur obsides ut hostes fidem servent, quia aliter pax & securitas non posset ex bello haberi. Tum quia habetur vulgatum effatum. Frangenti fidem fides frangatur eidem. Opposita tamen sententia quam docet Bonac (e) est probabilior quia non est licitum occidere obsides innocentes, tametsi qui eos miserunt non steterint promissis. Ratio itidem est, quia quod est intrinsecè malum, est omninò illicitum, atqui occidere directè innocentem, est intrinsecè malum, ergo non est licitum. Supponitur tamen quod obsides sint innocentes, & ut tales occidantur, quia si ex alio capite non supponerentur innocentes, tunc sententia Azorij esset tuta. Possunt enim occidi obsides quibus non est data fides de salute, si comperti fuerint nocentes.

DUBIUM 32. *An peccet miles qui rebellionis author est, vel ei adhæret?* R. *affirmativè*. Ratio est perspicua; nam præceptum Dei est, quòd & milites in conscientia obligat juxta illud *Rom*: 13. effatum *Quilibet subiectus sit magistratui, qui imperium in ipsum habet*. Contra hoc præceptum graviter peccat miles, qui

tumul

tumultûs, seditionis conjurationis, aut rebillionis in exercitu author vel suasor est, quive rebellium partes tuetur sub capitali pæna ejusmodi seditiones prohibentur. Nec militem rebellem ac seditiosum excusat stipendij militaris, fortè nimis parca vel tarda solutio, aut famis necessitas. Potius enim extrema omnia ferenda, quàm contra juratam fidem, bonam famam, ac conscientiam quid faciendum. Grave enim & atrocissimum crimem seditio, quippe, quæ publicam rem militarem vel perdere; vel in summum discrimen; præcipitare potest maximâ ergo curâ & studio malum hoc pestilentissimum miles cavere debet.

DUBIUM 33. An peccet miles, qui prior in acie fugam dedit? R. *affirmativè*. Ratio est, nam quisque miles sacramento militari adstringitur sanguinem ac vitam pro duce suo, sub quo meret ac pro publicâ causâ profundere. Qui verò ex metu, clypeum vel arma abijcit, ac commilitonibus fugiendi ansam præbet, is meritò pro ignavo & ignominioso habetur. De Romano jure is, qui in acie prior fugam dedit propter exemplum capite punitur *lib: 6 §. qui in acie de re militari*. Livius *lib: 2.* & Valer: Maximus. *lib. 3. cap. 2.* Sic apud veteres Germanos scutum reliquisse præcipuum flagitium erat. Tacit: *de moribus German: c. 2. in fin:* Lacædemoniis Clypeum abijcere, pro ignominiosissimo habitum fuit. Olim enim se juramenti vinculo milites obligabant, quòd starent pro Reipublicæ statu, quòd in acie non fugerent, & quòd vitæ propriæ utilitatem publicam præferrent. Sed & hodie enses, accipiunt de altari, ut profiteantur se filios Ecclesiæ, atque ad hono-

rem

rem sacerdotij, ad tuitionem pauperum ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem se gladios accepisse. Porrò in contrarium res versa est. Nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini & desæviunt in patrimonium Crucifixi, spoliant; & prædantur pauperes sibi subjectos, & miserabiliter, atque immisericorditer affligunt miseros, ut in doloribus alienis illicitos appetitus & extraordinarias impleant voluntates & voluptates: clypeos deferunt optimè de auratos, prædā potiùs hostium, quàm certamen, bella, & conflictus depingi faciunt. & legi, & se quadam imaginaria probitate delectant, in pugnis, quas actualiter ingredi, aut videre non audent ab expeditione, sine vulnere, & cicatrice, cum integris armis per Dei gratiam revertuntur. Curritur ad videndum; exhausta canunt prælia. Illuc Acac ides, illuc tendebat ulysses, hi sunt in prætorijs leones, in prælijs lepores. In pace prædam, inter arma fugas, inter victores victorias sectantur. Aristogiton vir nobilis, Athenienfis, aspectu terribilis, & magni corporis, sed pusillæ mentis. Portabat ille semper pulcherrimum gladium, & non loquebatur nisi de bello, de prælio, de sanguine, de strage; nec erat dies quo non devoraret, extra campum centum millia. Et ecce; quando insonabat tuba, incipiebat tremere, & egrediebatur domo sine gladio, innixus baculo & ostendebat femur ligatum multis fascijs. & claudicabat Vndè postmodum apud Græcos natum de militibus timidis & fugitivis proverbium: *Aristogiton claudicat.* Proscripserunt aliquando Spartani Archilochum civem suum, quod in poëmatibus suis scripsisset hunc

versum: *Melius est perdere scutum quàm vitam.* Indignum judicabant Spartâ, qui non haberet principia Spartana. Canta similes timidos & fugitivos lepores. Optimè scripsit Tertulianus *Pulchrior est miles in pugna amissus, quàm in fuga salvus. Malo miserandum, quàm erubescendum.* Eruditè Veber. *Gloria militaris non cedendo sed cadendo, non feriando, sed feriendo; non fugiendo sed fugando comparatur.*

DUBIUM 34. *An peccet miles, qui acceptâ pecuniâ militiam deserit.* R. *affirmativè.* Ratio est: nam talis miles pejùs conscientiam, quàm famam suam lædit, qui sponte sua semel operâ militarem promisit, eam postea temerè deserit. Et quod ab initio fuit voluntatis, postea factum est necessitatis. Quamvis etiam Princeps cives suos forte invitos pro defendenda aut liberandâ patriâ in bellum traxerit, non tamen inde habent jus cives, absque consensu sui superioris domum redire, & militiam deserere. Romano jure desertores militiæ capite puniebantur *l. non omnes s. §. desertori l. qui excubias 10. ff. de re milit: Livius lib: 24.* Quid verò, si quis ab extraneo per vim ac metum, qui cadit in constantissimum virum, vel per dolum ac fraudem invitus trahatur in militiam, quemadmodum non rarò literarum studiosi, artium mechanicarum professores, nolentes, volentes, rapiuntur, eisque invitissimis â collectoribus militum arma imponuntur. Anne & hi, ut desertores militiæ si aufugerint puniendi? Hoc minimè dicendum. Contractus enim voluntatis, non coactionis est. Extranei enim non habent jus cogendi, sed jus colligendi militem voluntarium. Pulchre argutatur Bauhusius Epigrammato

matographus de Anco Velio adolescente, qui fieri voluit miles ex studente. Audiuit ille.

Tympana, bombardasque, triumphalesque tonitrus
Contricesque tubas,

dixit: mi Pater sine me, *uado ad bellum.* Respondit Pater: *nego bellum.* Abijt tamen Velius, & brevi bella aurea sensit ferrea. Post paululùm redivit totus lacer, & squalidus, ac dixit lachrymabundus: Ah Patrer quàm pudet me. Ego miser credebam *Bellum* esse adiectivum, sed ô bellum non bellum! bellum est triste substantivum, quod omnem substantiam pessundat. Aliud est, si summa necessitas exigat. Principem subditos ad avertendum præsentissimum periculũ cogere, ut in prælium contra hostem eant. Tunc enim minimè [licet coacti fuerint] saluâ conscientiâ militiam deserere possunt. Tenentur enim subditi ob pietatem erga patriam, tam corpore, quàm bonis Principi suo servire.

DUBIUM 35. *An peccet civis vel subditus, qui non impetratâ licentiâ superioris in militiam abijt? ℟. affirmativè.* Imperantium enim officio conuenit, populum suum defendere, & imperio suo ad salutem, custodiam, & sustentationem civium uti. In arbitrio imperantium est, an subditis suis militiam permittere velint an non? Exigit scilicet nonnunquam salus publica prohibitionem justam, scilicet, ne patria in casu necessitatis, milite domestico privetur. Quando ejusmodi mandata, quibus collectio militum prohibetur, publicantur, eis omninò parendum est: si verò furtivâ superioris auctoritate subditus sese clam subducit, ut leves homines facere solent, is graviter contra Deum

& Rempublicam, ejusque regentem peccat. Contra Deum, cùm teste Apostolo, quia magistratui ejusque ordinationibus, resistit, Deo resistere dicatur. *Roman.* 13. Contra Rempublicam, quia violat summam istam obligationem, quâ ei ut civis ex communi voto gentium obstrictus est; ex qua obligatione summum genus imperantibus accessit, in omnia civium bona, adeò, ut nec vita nec libertas pretiosissima excepta sint; Nec excusare sese poterit civis; ejus operâ civitatem in præsens non opus habere; vel eum paupertate cogi extra patriam stipendium merere. Primò enim debuisset hoc casu, ab imperante licentiam petere eâque negata acquiescere: deindè patriæ commodis omnia posthabere. Respublica ait Cicero *lib.* 2. *de legibus* nomen universæ civitatis est, pro qua mori, & cui nos totos dare, & in qua omnia nostra ponere, & quasi consecrare debemus. Meritò igitur ejusmodi cives, qui absque præsentia ac consensu superioris, sub alio Principe vel Republicâ militant, licet in bello non injusto, nec contra patriam redeuntes, pænâ arbitrariâ plectuntur.

DUBIUM 36. *An peccat miles, qui mandatis avocatorijs superioris non paret? ℞. affirmativè.* Nonnunquam enim superior ex causa ingenti mandata avocatoria contra subditos, & vasallos, qui sub extero Principe militant decernere solet, Quemadmodum in imperio Romano Germanico, hujusmodi mandata ab aula Cæsareâ, vel Camerâ Imperiali sub pæna banni & publicationis bonorum emanere solent. Sic nuperrimè contra milites Germanos, sub Rege Sueciæ contra Electorem Brandeburgicum militantes, ejusmodi mandata à Cæsarea maiestate decreta fuêre, Ejusmodi imperan-

perantium mandatis milites præcisè parere tenentur; nisi ut impij & refractarij inobedientiæ pœnam incurrere velint. Omnium societatum ait Cicero. *lib. 1. officiorum* nulla gratior, nulla carior, quàm eâ, quæ cum Republicâ patriâ est, civibus esse debet. Chari sunt liberi, chari propinqui, familiares, sed omnium charitates patria una complexa est; nec magis vituperandus est proditor patriæ, quàm communis utilitatis, aut salutis desertor propter suam utilitatem & salutem. Idem lib: 3. de finibus.

DUBIUM 37. *An peccet miles, qui ob aviditatem vanæ gloriæ militat? R. affirmativè.* Ita S. Joannes Chrysostomus, qui sæculo quarto post Christum natum dixit / de militibus. *Milites nihil quod Christo, omnia pro ventre, pro quæstu, pro vanâ gloriâ faciunt homil: 12. in Matth.* Inanis autem gloria aut studium magni nominis, non est verus ac genuinus vitæ Christiani nominis scopus, adeòque nec militis, sed Dei gloria, ac salus proximi: eò omnis generis homines, nullo excepto tendere debent. Quicunque verò ab hoc scopo aberrant contra Deum peccant. Indè tamen non sequitur; præcipuè ob inanis gloriæ spem in militiam aliquem abire debere. Si enim juxta Aug: ob prædam militare peccatum, certè etiam ob vanam gloriam militare, coram Deo, erit peccatum, cum nulla diversitatis ratio dari possit. Dolendum sanè est omnium perversissimo ac depravatissimo hoc sæculo, inter centum milites vix unum vel alterum reperiri, qui non militando præcipuè, vel pecuniam, vel gloriam, quamvis non rarò infelicissimo successu, quæras. In horum numero jure recenseas famosum belli ducem Iudam Machabæum; cum enim contra vi-

ginti millia peditum, & duo millia equitum; exiguam octingentorum militum cateruam educeret, nec è communi omnium consilio, aliud vitæ conservandæ remedium, nisi è fuga superesset, ille tamen, ne gloriæ suæ vel minimam labeculum aspergeret, classicum canere, ac pugnam ordiri voluit, donec generosâ morte extinctus sit. Ita Machab: *lib: 1. cap. 9 legi.* His non absimiles sunt illi, qui militaris vanæ gloriæ desiderio stimulati, per iniquam sortem, & vitâ & gloriâ excidunt.

DUBIUM 38. *An peccet miles, qui delicatè se vestit, & fæmineo ritu comptus, & ornatus incedit?* R. *affirmativè.* Nam veteris disciplinæ rigor nesciebat milites, *ut fæmina comptos.* Nunquam compti, rarò loti, magis autem neglecto crine hispidi, pulvere fœdi, loricâ chaumate fusci erant: imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniebant, quatenùs armati & non ornati hostibus metum incutiant, non prouocent avaritiam. Equos habere cupiebant fortes, & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos; pugnam quippe, non pompam, victoriam, sed non gloriam cogitantes, & studentes magis esse formidini, quâm admirationi ut S. Bernardus *milites templi* describit, *in serm. ad milit. templ.* Tales etiam erant veteres Germani, ut Iul: Cæsare & Tacitò constat. Hodiè verò disciplina hæc militaris planè inversa est. In victu & vestitu nullum superfluum cauetur, nec soli necessitati consulitur. Multi in militiam proficiscuntur, ita compti & ornati. In hos invehitur laudatus Ecclesiæ pater dicto *serm: cap. 11.* Geritis inquit equos sericis, & pendulos, nescio quos, panniculos loricis superinduitis: depingitis hastas, clypeos & sellas, frena & calcaria, auro & argento, gemmisq; circum-

cum ornatis, & cum tantâ pompâ pudendo furore, & impudenti ſtupore ad mortem properatis. Militaria ſunt hæc inſignia, an muliebria potius ornamenta? Numquid fortè hoſtilis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, ſerica penetrare non poterit? denique quod ipſi ſæpiùs experimini, tria arbitror eſſe neceſſaria prælianti ut ſcilicet ſtrenuus, *induſtriuſque*. miles *& circumſpectus* ſit ad ſe ſeruandum, *& expeditus*, ad diſcurrendum, & *promptus* ad feriendum. Vos per contrarium, in oculorum gravamen fæmineo ritu comam nutritis, longis ac profuſis crinibus, ac camiſijs propria vobis veſtigia obvoluitis, delicatas & teneras manus amplis & circumfluentibus manicis ſepelitis. Non ſic Heraclius Imperator, qui bellum cum Perſis gerens teſte Theophane, Cedreno, & Baronio. Anno 621 & 622. magnum templum ingreſſus atratus calceos pronus occubuit quem ita animo demiſſo orantem videns Georgius Epiſcopus Piſidenſis ita allocutus eſt.

Nigrum Imperator, nunc indute alceum
Rubefacies tinctum cruore Perſico

Non ſic quoque Machabæus ut legimus *lib. 2. Machab. cap. 10. & qui cum ipſo erant*, appropinquante hoſte deprecabantur Dominum, caput terrâ aſpergentes, lumboſque cilicijs præcincti, ad altaris crepidinem provoluit; ut ſibi propitius, inimicis autem eorum eſſet inimicus

DUBIUM 39. *An peccet miles qui delicatè & luxuri ſe vivit?* R. *affirmativè*. Ratio eſt, nam miles ſvetâ annonâ contentus eſſe, nec delicatos cibos, ac potus pullos gallinaceos, piſces, vinum, ubi nullum eſt appetere debet. Ageſilaus olim, cùm per Thraſionum agrum cum copijs iter faceret, cibos delicatiores, quos illi offerebant, inter

mancipia distribuere jussit, dicens eos qui probitati, fortitudini studerent, non decere hujusmodi ganeis, gulæ irritamentis delectari. Pascenius Niger, Imperator militibus vinum petentibus, festiuè respondebat: *Nilum habetis & vinum, quæritis?* De militibus Turcis scribit Iovius *lib: 40. Histor.* Qui in castris ante civitatem nuncupatam Ouam, tractantes nuncium Austriacum, nihil aliud ad mensam, nisi potum ex fluvio Tonau, & Oryzam & carnem camelinam apponebant, hac parsimonia inferre Germanis volentes quatenùs suam energiam & emphasim, atque nobilitatem in cibo extendunt vltra naturam, & indigentiam, dùm insatiabili modo ventrem adinstar stultorum implent. Unde non est mirum, quod Turcæ hactenus in bello semper invincibiles fuerint, siquidem voluptatem in cibo quæ præcipua est apud hos milites, in bello verò, eam totaliter, ac si maximum hostem respuunt. Audiant hoc nostri milites ac officiales bellici, qui opiparas dapes & gulæ delicias requirunt ac mensæ liberalioris appetentissimi: legibus certè sumptuariis ad coercendum eorum luxum hodiè opus esset. Quantùm verò damni inde Reipublicæ emergat, experientia ipsa & exempla docent. Quidam miles hospitabatur (prout scribit *D. Iacobus Iunck Vesaliensis concionator & pastor concion: 19.*) apud rusticum à quo postulat optimis tractari ferculis; rusticus apponit ipsi pro posse quæ habet, tandem miles ad rusticum: tu rustice procura mihi confecturam (polonicè konfekt) rusticus simulans sibi ignotam confecturam saccaream, respondit: Domine nescio, quid sit kufect, miles: extemplò procura mihi confekt, alias ego te egregiis excipiam verberibus, & miserrimè tractabo

rusti-

rusticus accedit centurionem, conqueritur de suo milite, quòd licet ipsi dedisset sufficientia tractamenta, tamen adhuc petat kufect; audiens hæc centurio dicebat ego veniam & debo ei. Cui rusticus; quæso Domine dignetur comitari, miles anhelat, magnoq; tenetur desiderio, centurio satisfecit petitioni rustici: dum miles audit strepitum ianuæ clamat: rustice habes confecturam? respondet rusticus, habe patientiam adest dominus centurio, ipse dabit tibi. Centurio visis tot honestis & sufficientibus cibis accepto baculo delumbat militem egregiè, ita ut rusticus tandem aliqua tactus commisseratione ad centurionem diceret; cesset dominus, & si ego scivissem hoc esse confect, ego jam ante ipsi dedissem, nec domino centurioni molestias creassem. Talibus tractamentis, & ejusmodi confecturâ tractari deberent illi delicatuli milites, qui miseros rusticos atque pauperes cives tam malè vexant, miserè tractant volentes omnia habere in abundantia.

DUBIUM 40. *An peccat miles, qui viarum publicarum securitatem prædando violat?* R. *affirmativè.* Ratio est; nam militis Christiani est officium stipendio suo contentum esse, in sola pacata quiete viuere, ab omnibus violentijs ac latrocinis, prædationibus præcipuè in viis ac itineribus publicis penitus abstinere, nisi turpissimis nominibus grassatorum prædatorum infamari, ac suppliciorum gravitatem experiri velint. Certè nihil magis dedecet bonum ac fortem militem, nihilque magis eum infamem reddit quàm si grassatorem, latronem, ac prædatorem agat. Quàm exosi tales grassatores sint, etiam apud inferos ex sequenti exemplo patescit; quod in gratiam lectoris subijcio. Legitur de quodam milite, qui

venit

venit ad viduam, habentem vnicam tantùm vaccam, quam ipse viduæ abstulit, illa rogare & per Deum in mortalem obsecrare, supplicare manibus, in altum elatis & complicatis, genibusq; prouolutis in terram ut relinqueret sibi vaccam, cujus beneficio se suamque miseram familiam sustentare deberet, miles ad multiplices preces surdus respondit fœminæ, si ego vaccam non auferam, alius veniet & abducet eam, sicque ablatâ vaccâ recessit Quid! intra breve tempus miles infirmatur & moritur, ac propter malefacta damnatur; in his infernalibus tormentis ûnus diabolorum ipsum continuò majoribus atque gravioribus cruciabat, & affligebat pœnis. Cui miles: cur me magis vexas quam alij? cui diabolus (admodùm responsi dati viduæ) si ego non faciam alius faciet. Non sic ô generosi milites, non sic? audite & percipite pulcherrimam atque salutarem S. Joannis Baptistæ doctrinam, & præcursoris Christi, quam dedit olim militibus ad Iordanis flumen ad se venientibus & interrogantibus: *quid faciemus nos?* Respondit: *neminem concutiatis, neque calumniam faciatis & contenti estote stipendijs vestris.* Hæc obseruate, Deo sedulò, ac deuotè servite, eumque præsentem semper præoculis habete, quia omni horâ vita vestra morti exposita est.

DUBIUM 41. *An peccat miles, qui concubinas, ac meretrices secum ducit, ijsque clam vel palam se commiscet?* ℞ *affirmativè* Ratio est, nam peccant milites contra sextum Decalogi præceptum, qui concubinas alere & se meretriciâ turpitudine commaculare audent, sanè adulteri & malitiosi desertores hujus præcepti sunt illi milites mercenarij, qui invitis conjugibus abierunt in militiam, ac interim cum alijs mulieribus nimis suspecti-

suspectè, & scandalosè viuunt. Tum quia multùm ferè semper detrahit gloriæ præstantibus ducibus & militibus occursus & conuersatio fæminarum. Quod patet in cantatissimo Baraco, cui reseruata erat gloriosissima victoria de hostibus, quam ut ipse magis sibi confirmaret ausus fuit secum euocare Deboram Iudic: 4. cui illa respondit: *Ibo quidem tecum, sed in hac vice victoria non imputabitur tibi* in Hebræo autem legitur: *Eundo ibi tecum, verùmtamen non erit gloria tua in via.* Ita bellicosissimo Duci fæminæ comitatus, si non vitam, tamen non minimam gloriæ partem abstulit. Forsan ad cautelam, ne unquam fortes viri gloriosos euentus sperent, dum fæminarum conspectibus implicantur. Et quidem egregiè quidam ait. *Præstat enim milites in decoris armis, & militaribus equis, quàm in scortis, atque conviviis libidinem habere.* Carolus VII. Francorum Rex illaturus bellum Britannis, cum moras traheret, ut melius voluptati vacaret, Hyrus Polemarchus, sive belli Dux, cunctantem admonuit, ut exercitui de necessarijs provideret. Rex verò suarum appararus voluptatum, ludos & puellas, Hyro exhibuit, petijtque quid de illis sentiret. Cui Hyrus: *nunquam ait, Regem alium qui lætius sua perderet, me vidisse memini.* Cujus dicti aculeo tactus Carolus resipuit, teste Fulgobio *lib. 6. cap: 2.* Quod si scelus miles turpissimum commisisset, non jam dicti aculeo, & sermonis argutia, sed acerbâ puniebatur nece; miles enim qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, tali torquebatur tormento, ut duarum arborum supremi rami vi deorsum inflecterentur, quibus rei militis pedes deligarentur, ut dimissis ramis scissus miles vtrinque penderet ad cæterorum terrorem,

rem, qui acerbissimæ mortis timore, ab omni a-
uertebantur scelere. Opilij Macrimi Imperatoris
acerbissima itidem pæna fuit militibus, ob patra-
ta scelera injuncta ut refert Capitolinus inquiens:
Cum quidam milites ancillæ hospitis pudorem de-
pravâsse suspecti essent, & res constitisset duos bo-
ues miræ magnitudinis vivos subito aperiri jussit,
atque his singulos inseri, capitibus, ut secum colloqui
possent exertis. Ecce quale peccatum committunt.

Quam continentiæ militaris disciplinam ac stu-
dium *Germani* quoque posteris sæculis, *Imperato-*
res non *imitati* modò sed & *antegressi*, sunt: quo-
rum (& imprimis Friderici primi) *lex castrensis*
Lipsij Guntherique testimonio fuit. *Vt quisquis*
in castris fæminam haberet, spoliatus ipse, nudatus
que turpiter, & è militum convictu numeroque pro-
scriptus; in posterum intestabilis viveret, muliercu-
la verò contubernio pariter & naso (per abscissio-
nem) amisso; profligati pudoris notam & opprobri-
um sempiternum circumferent; fierentque viris o-
mnibus ob deformitatem suam execrabiles & odio-
sa. Hæc Joannes Bisselius *Decad: IV. ruinar: il-*
lustr: pag: 243. Nec mirum, jam enim non pro-
fanis *tantùm* heroibus, *sed etiam Biblicis*, vsu
plerumque uenit: uti *fortitudinis gloriam*, infa-
mi *mulierum amore* macularent: quasi verò
necessariò calor Martis, atque cupidinis conne-
cterentur. Quo, quid turpius fieri potest: *ut is*
qui vincere se gloriatur omnia, vincere seipsum non
possit? & qui muros etiam adamantinos perfrin-
git; à muliebri molitie frangatur, & intereat?
quibus sine fine omnibus alijsque producendis,
quænam alia fuit, ad repentinum occubitum via,
quàm interdictus legibus congressus. Hi cuncti
de lectulis descenderunt in Tartarum. Sed ista sin-
gula-

gulorum tantummodo parium fuêre fata; qualia *Zambri, cum Madianitide* Quid *multitudines*, ut *Beelphegovitarum* viginti quatuor millia commemorem: quid ipsorum Madianitarum, paulò post, cum *Balaamo* mago, mulieribusque trucidatam gentem? quid Beniaminitarũ, ob *Levitæ* vexatam uxorem cæsa gladio, *plusquam viginti quinque millia?* quid unicam ob Spartanam adulteram decennio circumfusam, Troiam? ac Troianorũ sexcenta septuaginta sex millia; Græcorum *octingengenta, prætereaque sex & octoginta millia deleta? videlicet latum est ac profundum damnatæ voluptatis barathrum? Proverb: 7. v. 27.* Illuc descendunt exactis desideriorum suorum annis *Gigantes. Proverb: 9. v. 18.* & pumiliones; Principes, ac plebeij; viri fæminæque; domus priuatæ, resque publicæ descendunt, civitates, insulæ, Regna, mundus. *His omnibus una mors voluptas est: sepulchrum, Gehenna; Libitina, venus: vespillo, diabolus: rogus funebris, æterna flamma.*

DUBIUM 42. *An peccat miles qui ebrietati se dedit? R/ affirmativè.* Ratio est; nam turpè, nefandum ac publicè privatimque perniceiossimum, est ebrietatis vitium. Nemini namque dubium est, ebrietatem, rixis, seditionibus homicidijs, cædibus blasphæmijs maledictis, adulterijs alijsque malis innumeris causam præbere, ut sanitatis & vitæ pernicies, omniumque vitiorum lerna verè dicatur. *Ebriosus*, ait D. Augustinus cum absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à Domino, despicitur ab Angelis, deridetur ab hominibus, destituitur à virtutibus, confunditur à dæmonibus, conculcatur ab omnibus, ipse confundit naturam, amittit gratiam perdit gloriam, incurrit damnationem

æternam

æternam. Quamvis ebrietas ſit crimen graviſſimum, nihilominus tamen proch dolor! inter Chriſtianos frequentiſſimum eſt; infectum enim hoc peſſimo vitio, velut lue quâdam peſtifera omne hominum genus. Sanè apud Turcas in ebrios non ſecus ac aliàs, in gravis criminis reos, animadverititur. Tantùm verò abeſt, ut apud nos Chriſtianos ebrij criminis alicujus rei habeantur, quin potius non rarò laudantur illi, qui heroes ſunt in poculis. Quemadmodum autem ebrietas crimen turpiſſimum, ac pernicioſiſſimum eſt in alijs, ita etiam in militibus. Cum enim milites ſemper præſumantur eſſe conſtituti in periculo mortis, ut alibi diximus, eò vel maximè qui in caſtris degunt, illique ſemper prompti, ac parati eſſe debeant ad pugnandum, neceſſaria ſanè eis vigilantia ac ſobrietas. Quomodo autem ebrij, ac temulenti vigilabunt, ſi ebrietate corpus, vires enervatæ ac debilitatæ, ſi neque manus, neque pes, neque lingua officium ſuum facere poſſunt? ſæpiùs compertum eſt, per ebrietatem totos exercitus ab hoſte cæſos ac diſſipatos: urbes, caſtra, ac fortalitia munitiſſima occupata fuiſſe. Quapropter conſtitutionibus imperij ſub gravi pæna malum ebrietatis militi prohibitum, quamvis maximè dolendum ſit eas per abuſum ferè obliteratas eſſe. Cùm quatuor legiones Germanorum militum Romani Carolo Borbonio Duce occuparent, vix anno vertente dimidia legio ſuperſtes in Germaniam rediit, cum nullam niſi à crapulâ offenſionem accepiſſent. *Guicciardinus.* Et ut verum fatear; plures milites infundendo vinum, quàm effundendo ſanguinem perierunt ait Veber *de Regim: milit.* Quàm tur-

pe spectaculum videre militem ebrium ¿ quàm tristis, ait D. Ambros; Christianorum oculis, & miserabilis species? cernas Juvenes terribiles visu hostibus de convivio portari foras, & inde ad convivium reportari. Ibi unus quisque pugnas enarrat suas: ibi fortia facta prædicat: narrat trophæa. Viri præliatores stare non possunt egressu vacillant. Rident servuli dominorum opprobria: manibus suis portant militem bellatorem: imponunt equo. Alij referuntur in scutis; fit pompa ludibrij. Quos mane insignes armis spectaveris, vultu minaces; eosdem vesperi cernas, & jam à parvulis videri, sine ferro vulneratos, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso juventutis flore arentes; sic diviné S. Ambros. *Notum est, quomodo Holofernes, non se ipsum modò, sed & tantas equitum peditumque copias vino perdidit. Ipsi nostrâ memoriâ non dissimilia audivimus superioribus annis captos è milite Christiano non paucos dicitur Imperatori suo Sinanum Bassa per ludibrium & ebrietatis exprobationem, Constantinopoli cum poculis, aleis, & chartis obtulisse.*

DUBIUM 43. *An peccet miles qui non in Dei auxilio. contra ictus gladij vel bombardarum vim, sed in amuletis characteribus & carminibus spem ponit?* R. *affirmativè* & quidem gravissime peccat, qui ejusmodi amuletis, ac remedijs contra tela, vulnera, & ictus armorum utitur, communissima est Theologorum sententia, atque in his præcipuè D. Chrysostomum laborasse, in hac amuletorum abominanda superstitione reprehendendâ hominibusque eripienda, & alios Sanctissimos viros Ecclesiæ qui non dubitant affirmare, quòd longè probabilius sit, mor-

tem appetere; si Deo sic visum fuerit, quàm hujusmodi impijs remedijs salutem, ac vitam sibi comparare. Tum quia eadem ars ut diabolica damnata est in Concilio. Toletano IV. *Can: 28. in synodo Turonensi can: 42.* & in alijs Conciliis. Tum quia testatur sanè experientia, sathanam fallere omnes cum quibus paciscitur, & quibus promittit immunitatem ab ictibus globi, gladij &c. cui rei clarum est exemplum, in Achab: de quo legitur 3. *Reg: 22. Congregavit ergo Rex Israel prophetas quadringentos circiter viros, & ait ad eos: Ire debeo in Rameth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: ascende & dabit eam Dominus in manus Regis.* Qui omnes Prophetæ falsi erant similes magis contra quos stetit unicus Michæas, cæsusque est Israel & Achab occisus. Pompejus magnus cum exercitu suo stabat ad conflictum paratus, ex una parte habens assistentes Reges & Princeps quinque potentissimos cum 32. Legionibus; Ex altera parte copiæ Julij Cæsaris, ad eas angustias redactæ erant, ut non nisi in sex Legionibus consisterent, insuper satis fame præmerentur; verùm Pompejus magosque nonnulos, inter quos præcipua erat Arcas Erichtho Saga famosissima, secum associatos habebat, quosque ante pugnam consulens, quibus Pompejus cæsus est cum ante semper esset fortunatissimus. Ariovistus Theutonum Imperator seu Rex cujus copiæ ex 400. hominum millibus erant cōstitutæ Sagas Germaniæ consuluit, & à Cæsare, qui sagas risit, funditus fuerunt eversæ. Et hæc ratio est, cur Reges & Principes non utantur magis & Sagis, ad fundendos, & cædendos hostes suos. Tum quia si hoc esset in praxi penè magnus totus mundus efficeretur magus, sicut ubique sunt bella & lites; Tum quia

quia Deum ordinariè nullum Regem, & Principem benedicere, qui in bello magos aut ſagas adhibuit, aut conſuluit, imò veriùs tales deſerit, & parti adverſæ aſſiſtit, quia illum implicitè deſerunt, dum ab alio conſilium, quàm à Deo quærunt, penes quem totius mundi conſiſtit conſervatio, per quem Reges regnant, & Principes imperant. Tum quia victoriæ ſunt particularia Dei dona, quod David perfectiſſimè cognovit, qui pro omnibus prælijs & victorijs gratias Deo agendo, ita benedixit Dominum. *Tua eſt Domine magnificentia & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim quæ in cælo ſunt, & in terra tua ſunt: tuum Domine Regnum, & tu es ſuper omnes Principes 1. Paralipom. cap. 24.*

DUBIUM 44. *An peccat miles qui de ſua fortitudine præſumens; gloriam victoriæ Deo non tribuit?* ℞. *affirmativè.* Eſt ſpecies quædam incredulitatis, & atheiſmi clandeſtini, robori ac fortitudini ſuæ, non Deo victoriæ laudem tribuere. *Victoria enim omnis à Deo Proverb: 21.* Pij ergo milites non norûnt ſuis præſumere viribus, ſed de virtute Domini ſperare victoriam, cui nimirum facile eſſe, confidunt juxta ſententiam Machabæi, concludi multos in manus paucorum, & non eſſe differentiam in conſpectu Dei cæli, liberare in multis & in paucis, quia non in multitudine exercitûs eſt victoria belli, ſed de cælo fortitudo eſt, quod frequentiſſime experti ſunt, ita ut plerumque quaſi perſecutus ſit unus mille, & duo fugârint decem millia D. Bernard. *ſerm: ad milites templi cap. 7. p. 4.*

DUBIUM 45. *An peccat Dux, qui imminente hoſte, ob litem de præcedentiâ in prælium ire detrectat?*

trectat? Non rarò accidit Duces atque officiales bellicos inter se de honore præcedentiæ litem habere, & quando contra hostem in prælium est eundum, vel pugnam penitus detrectare, vel periculo confusionis ansam dare. Id verò ut publicè perniciosum, ita maximè culpandum litem præcedentiæ, vel ob simulates & inimicitias privatas communem causam perdere. Vir salutis patriæ amans minimè suum officium deserit, sed publicam rem privatæ rei anteferre studet. Cogitandum nullam esse proportionem inter injuriam priuatam & damnum Reip: quod ex ejusmodi lite nasci potest. Duces bellici laudatissimum Alcibiadis de totâ Græciâ meritissimi Ducis exemplum sequantur, is à charitate patriæ, per invidiam magistratu depulsus recedere noluit, sed ad eam hostibus liberandam omni cogitatione constanter ferebatur. Sic Iphta condonabat patriæ injuriam, quam ab Israelitis passus erat, & eam à periculo liberare non detrectabat. Generosus certè animus est, qui in hac re affectui suo dominatur, contra, vilis & abiectus, qui illi cedit.

DUBIUM 46. *An peccat miles, qui esculenta, & potulenta temerè corrumpit?* ℞. *affirmativè*, Nam corruptissimo hoc sæculo, corruptissimi etiam militum sunt mores, & maximè laxa militaris disciplina, sæpissimè fit, ab eis, non in hostico, sed in solo pacato, esculenta ac potulenta corrumpi. v. g. vina effunduntur, frumenta perduntur, segetes conteruntur, carnes avibus aut canibus projiciuntur, & omnia aliaque, quæ ad victum pertinent, ex mera malitiâ corrumpuntur, non ut hosti noceatur, sed ut innocentium ruricolarum calamitas augeatur. Quod sanè peccatum non leve est, à vindictâ divinâ non rarò graviter puni-

tum,

tum, subtrahendo exercitui omnem victum, quo: inediâ, & fame milites consumpti.

DUBIUM 47. *An peccat miles, qui ea perdit, quæ nec hosti nocent nec perdenti prosunt?* R. *affirmativè.* Nam sæpè contingit, quod præceps barbarâ crudelitate militum animus, nec ijs rebus parcit, quæ suâ naturâ ad bellum faciendum, vel ducendum nihil momenti habent, quibus tamen rebus parci etiam manente bello ratio ipsa vult, & rectè Polybius *lib:* 5. rabiosi esse animi ait, ea perdere, quæ nec hosti perdita vires adimant, nec perdenti emolumentum adferant, ut sunt statuæ, ornamenta, & similia. Quæ neque nobis ad bellum futura sunt esui, nec hostibus incommodatura, ea ire perditum, quis neget malæ mentis, & præ irâ furibundi esse opera? quod malum est, dicunt Rhodij ad *Demetrium*, ut tu imaginem istam velis incendio ædium facto disperdere? nam si nos omnes superaveris, maximè quoque illâ integrâ & incolumi, per victoriam potieris: sin verò nos vincere nequieris, petimus, consideres, ne turpe tibi sit, quia non potueris Rhodos vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse. Majores nostri ait *Cicero* relinquebant ijs, quæ jucunda victis, nobis levia videbantur. Quantò magis militi Christiano convenit, qui majorem cæteris humanitatem debet ac profitetur. *Sed surdis narratur fabula.* Graviter etiam peccat miles vel Dux bellicus, quando incendijs in domos, & tecta grassatur, ubi planè nulla satis ingens belli ratio, ejusmodi rigorem exigit, eò vel maximè si id non in hostico sed in solo pacato fiat. Tam laxa hodie bellandi licentia, prorsus nullam fidei Religionis, ac pietatis Christianæ rationem habens. Et Alexandrum magnum narrant veteres,

nullius rei à se actæ magis ductum pænitentiâ quàm quòd Thebas evertisset. Grot: *d. Iure bel-lic. ac pac: lib. 3. cap. 12. §. Vlt.* Quod privatum attinet militem, à Theologis proditum est, eum teneri ad sarcienda damna, si in bello etiam justo ædificia hostium incenderit, agros vastaverit, atque id genus dederit damna, non jussus Grotius *de jure belli & pac: lib: 3. cap: 18. §. 6.*

DUBIUM 48. *An peccat miles, qui Vites, arbores frugiferas perdit & exstirpat?* R. *affirmativè* Ratio est; nam in lege Mosaica. *Deutor: 20.* cautum est ne arbores frugiferæ à milite Iudaico succindantur, etiam ad instrumenta & machinas bellicas, ad has enim construendas infrugiferæ arbores, à natura datæ sunt, cùm illæ ad alimenta & fructus subministrandos, magnâ cura, & indùstria nutriri, & excoli soleant. Multò magis barbariem sapit, in bello istiusmodi arbores vel fruges immaturas ullo fructu, succidere & demetere, nisi hæc via ad hostium expugnationem, & deditionem faciat. *Quoniam lignum est, & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum.* Hoc est quia tibi in bello nocere non potest. Legitur equidem quandoque contra illam legem generalem, arbores etiam fructiferas Moabitarum scilicet esse succisas *4. Regum 3. 39.* sed hoc ex dispensatione Divina in majorem punitionem factum. Non id odio hostili ait Grot de jure belli & pac. *lib: 2. cap. 12. §. 2.* sed injustam detestationem facinorum, quæ aut publicè erant cognita, aut Deo Iudice tanti æstimata. Hanc legem Mosaicam de non succidendis arboribus frugiferis communitèr etiam militibus Christianis commendant authores, & conditores juris bellici. Sed impietas militis, cui sæpe jus, & fas fa-

bula

bula est, etiam in vites, & arbores frugiferas, cum summo provinciarum damno, non rarò grassata est.

DUBIUM 49. *An peccat miles, qui in Clericos Ecclesiæ, ac scholæ ministros, senes, ægrotos, infantes, pueros, prægnantes honestas matronas, & virgines, insontes, ac miserabiles personas sævit?* ℞. *affirmative.* Ratio est ex Sacra Scriptura, nam Deus ipse in bellis Hebræorum etiam post pacem oblatam, & repudiatam vult parci fæminis & infantibus *Deuter: 20. v. 14.* Ratio est: quia in bellis ætas & sexus hoc ipsum suadet. Tum quia regulariter nullam injuriam inferunt pueri & fæminæ, quia bellum siquidem justum vel ad nocentes plectendos, vel ad eorum vim ac injurias arcendas & propulsandas ab innocentibus suscipitur. At generatim, ac communiter loquendo, non sunt fæminæ nocentes, neque vim & injuriam inferunt. Tum quia, ipse per ipsum sexus imbellis est, infirmus, & misericordiâ potiùs, quàm vi & ferro dignus. Gentiles & ipsi barbari agnoûere fæminis, ac infantibus parcendum esse. Num quis irascitur pueris, ait Seneca *lib: 2. de ira cap: 9.* quorum ætas nondum novit rerum discrimina? puerum ætas excusat, fæminam sexus; Arma habemus (ait apud Livium Camillus) non aduersus eam ætatem, cui etiám captis urbibus parcitur, sed aduersus armatos. Cum captivis inquit Alexander Magnus apud Curtium *lib: 5.* & fæminis gerere bellum non soleo, armatus sit oportet, quem oderim. Idem est de senibus, debilibus, ac personis miserabilibus, bellantibus resistere non valentibus. Nam & hisce parcendum esse naturalis ratio dictat. Sed barbara ferocitas militis minimè huic hominum generi, infelicissimo hoc, ac omnium deploratissimo sæculo parcere solet. Quàm dura ac dira senes

decapulares, & innocentissimæ fæminæ sustinuerint, doloris acerbitas referre non patitur. Sed unde tanta Christiani militis crudelitas, ferocitas, impietas, à qua & Turcæ, Tartari, ac Barbari ipsi abhorrûere? à sathana, qui horum militum corda occupavit & ex hominibus bestias, & incarnatos diabolos reddidit; sathanas horrendorum summæ crudelitatis facinorum auctor est, milites illius instrumenta. Quod Clericos ac Sacerdotes attinet, constat etiam Gentilis Religionis milites ac Duces eis pepercisse. Vide Grotium *de jure belli & pac. lib: 3. cap: 11 §. 10.* Sed quis potest enarrare mala, quæ contingunt ex bellis? non ne rapinæ fiunt continuæ, & non solùm ab inimicis, sed etiam ab amicis aufertur? o quot mulieres vituperantur! adulteria, stupra, meretricia multa sequuntur, confessiones, communiones, & cultus Divinus negliguntur, milites sacrilegia perpetrant, Ecclesias spoliant, & mercatores prædantur, incendia ponunt in segetibus, in domibus, arcibus, in Ecclesijs. Agri & vineæ incultæ remanent, arbores fructiferæ inciduntur; domus ad habendum ligna pro igne destruuntur, greges & armenta capiuntur, viæ inviæ efficiuntur, sicque artes & negotiationes pereunt. Blasphemiæ, detractiones, derisiones, injuriæ sacerdotum & religiosorum pro nihilo habentur. Ludi quantumcunque prohibiti crescunt, homicidia adducuntur, & sic civitates & castra ad solitudinem rediguntur. ait S. Antoninus *p. 2. tit: 2. de ira cap: 7 §. 3.* Iocus & ludus sunt in militia domos diripere, virgines rapere, solidas vrbes atque oppida incendere: magna propterea dementia corrumpere, quod retinere non valeas. Videant nunc mi-

lites,

lites, ac militiæ ductores quomodo in terribili illo judicio magno, barbaræ crudelitatis, quàm in innocentes homines exercûere, rationem reddere valeant.

PRACTICA IX.

De bello priuato idest duello.

§. I.

De his, qui in duello vitam suam periculo mortis exponunt.

Supponas; illud esse verè duellum quod fit ex conventione seu condicto partium cessato rixæ motu ac passione, unde optimè definitur à Cajetano, quòd *sit singulare bellum ex condicto*. Vnde ad duellum formale, quodcunque sit duo necessariò prærequiruntur, ex quorum defectu, non est amplius duellum. Primum est, quod determinetur tempus illius. Secundum verò, ut statuatur locus, ut si quis alteri dicat civitatem perambulo, semper gladium mecum fero, si mihi obviam eris petam à te satisfactionem de tali re, si ex hoc sequatur pugna, quamvis sit singularis, & ex condicto, non tamen erit duellum formale. His prænotatis accedit.

DUBIUM 1. *An tam provocans ad duellum, quàm illud acceptans secutâ alterius morte, præter alias juris pœnas, incurrat irregularitatem? R. affirmativè.* Ratio est; cum duellum tam jure civili quàm canonico sit prohibitum ut videri potest apud Iuristas, & canonistas, variæ pœnæ sunt constitutæ in eos, qui illicitum duellum suscipiunt,

sive illud obtulerint sive acceptauerint, & aliæ quidem sunt constitutæ jure antiquo, quæ apud Astescenum nostrū videri possunt, aliæ jure novo, tum à Concilio Trident: *sess: 25 c. 19. de Reformat*; tum à pluribus Pontificibus Gregorio XIII, & Clemente VIII. quarum summa hæc est, ut refert Becanus. *c. 26. q. 8* *Primò* excommunicantur omnes, qui duellum exercent 2. Excommunicantur Imperatores, Reges, Duces, & Domini qui in suis locis facultatem faciunt duelli, ac etiam privantur dominio eorum locorum, in quibus fit duellum, vel permittitur 3. Excommunicantur omnes qui præbent consilium, fauorem, auxilium ad duellum, & qui præsentes adstant vel intersunt. 4 ipsi pugnantes non solùm excommunicantur, sed etiam omnibus bonis priuantur, ac etiam Ecclesiasticâ sepulturâ si in duello moriantur. 5. tandem Clerici, præter excommunicationem etiam dignitatibus privantur, beneficijs, & officijs Ecclesiasticis, si aliquo modo ad duellum cooperentur; circa quas pænas hoc aduertendum est, excommunicationem ipso facto incurri, ut constat ex illis verbis *eo ipso sint excommunicati*; aliæ verò omnes pænæ, præter pænam excommunicationis & interdicti requirunt judicis sententiam, ut incurrantur, quia natura harum censurarum est talis, ut judicis sententiam non requirant, quando sunt latæ sententiæ, & idem de pæna irregularitatis dicendum est, quia ita usu receptum est, aliæ vero pænæ sententiam judicis requirunt; ita apud nostrum Mastrium in Theol. Moral: *disp. X. num. 114.* Salon, Arragon, Corduba, Casp: Sanchez, Steph: à S. Gregor. & alij communiter.

DUBIUM 2. *An duella per Pontificias constitutiones,*

tutiones, & Decretum Tridentinum eſſe prohibita, tum viris, tum fœminis; laicis, & Eccleſiaſticis, ſæcularibus & regularibus, Principibus, Regibus, Imperatoribus, Epiſcopis & Cardinalibus, & quidem ubique locorum etiam extra Italiam? & *affirmative* Ratio ipſa ſvadet, quia quando lex eſt generalis, non reſtringitur ad certas perſonas, vel loca, ſiquidem, qui omne dicit, nihil excludit, & ubi nihil extinguitur, nihil excipitur: atqui præfatæ, conſtitutiones ſummorum Pontificum, & decretum concilij Tridentini fuerunt leges generaliter in omnes latæ: ergò comprehendunt omnes Chriſtianos, tum mares, tum fæminas, tum laicos, tum Eccleſiaſticos, proba: minor quia in Conſtit: Clementis VIII. habetur expreſſe: *Excommunicamus & execramus omnes quoſcunque* ubi nullus excipitur. Item in Conſtit: Pij V. habetur *Etiamſi prædicta ſeu cujuſcunque alterius dignitatis, nobilitatis, ſtatûs, gradûs, & ordinis tam Eccleſiaſtica quam mundana exiſtant, etiam ad hoc, ut ipſi ultra pœnas prædictas excommunicationis majoris latæ ſententiæ pœnam, a qua non niſi à nobis, ſeu à Romano Pontifice pro tempore exiſtente abſolvi poſſint, eo ipſo incurrant.* Patet etiam ex Concil. Trident: *loco ſupr: cit:* neque audiendi ſunt Layman, & alij cenſentes Concil: Trident: tantum egiſſe contra duella publica ſolemnia, ſiquidem in citato Decreto Tridentini, neque levè aliquod verbum legitur, unde poſſit hæc fieri limitatio: nam licet ibi ſit mentio patrinorum, & dominorum, qui dant facultatem, aut locum duellandi, quæ omnia pertinent ad duellum ſolenne, non propterea inferri debet, fuiſſe Concilium locutum de ſolis publicis duellis, ſed potiùs inferendum eſt, ut declarârunt ſummi Pontifices, omnia duella com-

comprehendiſſe, ac concilium excommunicare o-mnes duellantes, & patrinos, ſi fuerint aliqui, in ſuper & Dominos, ſi duella ſuſcepta fuerint cum tali ſolennitate: ſi enim concilium non excommunicâſſet dominos & patrinos, proculdubio omnes dicerent concilium comprehendiſſe, omnia duella: atqui mentio patrinorum & dominorum non reſtringit propoſitionem concilij quò ad duella; ſed tantùm eſt quædam extenſio etiam ad dominos, & patrinos, ſi interfuerint. Tum quia, cum patres concilij non ignorauerunt committi plura duella privata, & ea eſſe vera ac formalia duella, & nullam particulam excludentem interpoſuerint, proculdubio comprehenderunt omnia duella, tam publica, quàm privata, & ubique locorum commiſſa inter Chriſtianos.

Neque urget quod ait Layman: in Germania ſive ex ignorantia earundem Bullarum, ſive quia receptæ non ſint, non infligi eas pænas in duellantes privatim: adeò, ut nobiles, qui in partibus Germaniæ privata ſuſcipiunt duella, non incurrunt pænas ſtatutas in Pontificijs conſtitutionibus. Nam contra eſt, quia omnes Theologi includunt totam Germaniam, Belgium, Galliam, & alias partes Chriſtiani orbis, unde non niſi gratis excipitur Germania. Tum quia Tannerus & Valentia qui poſt Tridentinum quaſi immediatè ſcripſerunt in Germania, ideſt Ingolſtadij, eam non excipiunt, ſed abſolutè ſupponunt Pontificias conſtitutiones vim etiam habere per totam Germaniam. Tum quia conſtitutio Clement: VIII. expreſſè comprehendit partes omnes ſepentrionales dum ſubjungit. *Inſuper auctoritate & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus eaſdem conſtitutiones decretorum, locum habere, ubique gentium, & terrarum*

inter

inter quascunque personas etiam armatas, & in castris, seu propugnaculis militantes etiam, ubi nostrorum & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ aut fidei Catholicæ hostium furor impunè grassatur vel in dominijs per eos occupatis, & detentis. Hæc enim Bulla fuit promulgata taliter, ut ubique locorum valeat, adeò, ut non possit ostendi eam non fuisse admissam à Germanis magis quàm ab Italis, aut Gallis, vel Hispanis. Tum quia, omnes Christiani sunt oves dominici gregis, proinde tenentur audire vocem summi pastoris, seu Romani Pontificis leges pertinentes ad animarum salutem; cùm enim regimen spirituale summi Pontificis extendatur, ad omnes & singulas totius orbis Christiani partes, certè ubique locorum tenentur Christiani Pontificias leges servare: siquidem Christus S. Petro & ejus successoribus absque ullo discrimine. dixit: *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Si igitur omnes Christi fideles vbique locorum sunt oves dominici gregis & pascuntur spirituali pabulo à summo pastore seu Romano Pontifice, proculdubio tenentur exeqvi ejus mandata, Principes; Reges & Imperatores, & omnes Ecclesiasticæ personæ Episcopi & Cardinales. Ex his

Collige. Ex constitutione Clementis VIII. declaratur habere locum in toto Christiano orbe, & inter quascunque personas etiam armatas, & militantes in castris, & in terris hæreticorum. Vnde sub Clementina prohibitione comprehenduntur, *primò.* Milites etiam in bello justo, qui ob privatas inimicitias, provoçant ad singulare certamen milites contrarij exercitûs tametsi id à ducibus permittatur. *secundò.* paciscentes de dirimendo certamine statim ac alteruter vulneratus fuerit, aut certus vtrinque illatus ictuum numerus *Ter-*

tiò.

tiò. etiam qui bini vel terni hinc inde pugnant. *Quartò.* domini, magistratus, officiales, qui duellum permittunt, vel non impediunt, cùm possint, vel post commissum duellum, concedunt impunitatem & veniam duellatoribus. *Quintò.* componentes vel dictantes, vel scribentes, vel mittentes, deferentes, divulgantes, affigentes, subscribentes, intimantes, denunciantes, attestantes, & etiam imprimentes typis, suo, vel alieno nomine manifesta provocatoria ad duellum. *Sextò.* comprehenduntur etiam ij omnes, qui consilium, fauorem, opem, præstant ad ineundum duellum, vel quoquo modo se immiscent, ut descendatur ad singulare certamen, tametsi pugna, & accessus ad duellum peractum non fuerit, modò per ipsos non steterit, quominus duellatores pugnauerint.

§. II.
De malitia duelli.

Censent plures duellum ita intrinsecè esse malum, ut pro nullo eventu licitè sit ineundum, adeò ut nec pro bonis temporalibus defendendis, nec pro tuenda vita propria licitum sit duello assentiri, adeò ut teneatur quis permittere, potiùs se suspendi in patibulo, quàm assentiri duellicæ pugnæ. Ita præsertim Henricus Gandavensis cum pluribus alijs (a) vnde sit.

DUBIUM I. *An duellum ita sit intrinsecè malum, ut pro nullo eventu possit esse licitum? R. negatiuè.* Ita Cajetan: cum alijs pluribus (b) Ratio est ex Cajet: duellum est duorum bellum; sed bellum ex suo genere non est malum, & peccaminosum, imò existentibus conditionibus posi-

tis,

tis, justum & licitum: ergò neque duellum. *Confir:* hoc nam stante legitimâ causâ aliquando licitum est duellum, ut dicemus infra: ergò non est intrinsecè ex suo genere malum, *prob consequ.* nam quidquid est intrinsecè malum & peccaminosum, nunquam potest fieri licitum ut patet de mendacio, adulterio, odio Dei &c.

Dices 1. Duellum est contra naturam, natura enim ipsum abhorret, ergò est intrinsecè malum ℞. quòd licet natura abhorreat duellum, non tamen per hoc debet dici intrinsece malum; quia eâ ratione est contra naturam, utpote destructivum hominis, sicuti homicidium; cum ergò homicidium licet contra naturam, non tamen sit intrinsecè malum, aliquando enim licet; ut vidimus alibi, hoc etiam dicendum est de duello.

Dices 2 Non solùm duellum est, contra naturam, sed insuper prohibetur, à lege Divinâ & humana; imò multæ & gravissimæ pænæ pro ipso ponuntur: sed nihil prohibetur à lege quod malum non sit; sicuti etiam pæna non imponitur nisi pro culpa, ergò undequaque duellum malum erit ℞. quòd argumentum tantùm concludit dari aliquod duellum malum à lege punitum, & prohibitum, quod etiam nos non negamus, cæterum non concludit, quòd sit intrinsecè malum, ut de se patet, non enim omnia quæ sunt prohibita à lege, & in ea punita, sunt intrinsecè mala, ut de se patet.

Dices 3 summi Pontifices generatim absque ulla exceptione detestabilem usum duellicæ pugnæ, sub gravissimis censuris incurrendis prohibuerunt, eò, quia ex tali perniciosissimo usu gravissime offendatur Divina majestas, & periclitetur salus, tum animæ, tum corporis; quæ damna sequuntur ex quocunque duello: ergò pro nullo eventu

mentu licitum est duellare R. concedendo summorum Pontificum generatim usum duellicæ pugnæ detestari &c. negatur tamen hæc omnia in quovis duello cruento, & quovis fine commisso sequi; siquidem satis conspicuè infra ostendemus, omninò impunè, & licitè posse nonnunquam singulare iniri certamen, in quo tametsi interitùs sequatur corporis, non tamen mors animæ, neque ulla Divinæ majestati irrogatur injuria, ut liquet exemplis Davidis, & Venceslai, qui licitè & sanctissimè descenderunt ad singulare certamen, ut alieno sangvini, & toti multitudini parceretur.

Dices 4. Lex pænalis, cujus ratio exprimitur per legem, extenditur ad alium casum etiam non expressum, si vtrinque sit par ratio, dummodò legislator, aliter non disposuerit; idque probat Sylvester *in V. Lex S. 18. Versic: & dico.* Et habetur in cap. *dudum 2. de elect: &c.* Nam ratio comprehendit omnes casus etiam non expressos in lege & constitutione *L. his solis cod: de revoc: donat:* atqui ratio in Pontificijs constitutionibus, expressa est interitùs tum animarum tum corporum, & injuria quæ fit Deo prohibente homicidium: & hæc ratio semper est eadem, in quocunque duello cruento, ex quocunque fine suscipiatur: ergò pro nullo eventu licitum erit inire singulare certamen. R concedimus legem pænalem, cujus ratio expressa est per legem extendi ad alium casum quamvis non expressum, dummodò sit simpliciter par ratio; negamus autem parem esse rationem prohibitionis, pro quovis duello cruento, quia prædicta ratio tantùm militat de illis duellis, quæ suscipiuntur auctoritate privata ob finem particularem; non verò de alijs duellis, quæ infra recen-

recensemus clariùs, cujusmodi sunt, quæ suscipiuntur, vel ad parcendum multitudini, & alieno sanguini, vel ad tutandam propriam vitam, quando non supereſt alia via declinandi imminentem mortem.

Dices 5. In quavis dispositione, licet odiosa interpretatio debet adhiberi, juxta communem loqvendi usum, ut docet Glossa *in cap. nonnulli in Verb: Vltra de rescriptis doctorum in cap: olim de Verb: signific:* Panormitanus *in cap: 2. de arbitrio & in cap: 1. de judic.* Ratio eſt, quia usus loquendi præfertur proprio significatui vocabuli, ut colligitur ex cap: *de Verb: signific.* atqui juxta communem loquendi usum nomine duelli, intelligitur particularium personarum cruenta pugna, ex vtraque parte voluntariè suscepta in tali loco & tempore, ex condicto quocunque fine ineatur hoc singulare certamen: ergò omnia duella absque ulla exceptione prohibita sunt adeò, ut pro nullo euentu liceat duellicam pugnam inire. ℞ communem loquendi usum esse, ut ea intelligantur prohibita duella, quæ ex privata auctoritate; irrationabiliter, & ex fine illicito committuntur: non ita intelliguntur juxta communem loquendi usum ea duella prohibita, quæ vel bono publico defendendo, vel ad parcendum multitudini, & alieno sanguini, vel ad mortem declinandam, quando aliâ viâ non poteſt quis liberari ab injuſto aggressore; cùm enim hæc duella nonnisi rarissimè contingant; ideò communis loquendi usus invaluit, ut generatim duella dicantur sub gravissimis censuris prohibita, taliter ut sensus sit, ut ea intelligantur duella prohibita, quæ frequentissima erant, & suscipiebantur auctoritate privata ob finem illicitum.

Dices

Dices 6. Lex humana punit actionem externam, non verò intentionem, quâ actio illa fit, eò quia cùm intentio non cadat sub sensus, non possunt homines ullum de illa judicium inferre: atqui actio externa semper est eadem in quocunque duello cruento, sive suscipiatur ex odio, sive ex alia causa: ergò cum omnia & singula duella committantur eadem actione; pro nullo eventu poterit contingere, ut licitè possit duellica pugna iniri R. concedendo humanam legem punire externam actionem, sed illam tamen supponit directam ex prava intentione, seu ex fine operantis, á quo actio externa illa specificatur non tamen inde sequetur omnem actionem externam, quæ exercetur in quovis cruento duello eandem esse, & semper eodem modo directam ab eodem fine duellantis: siquidem potest quis ex simplici odio, provocare alium ad singulare certamen, & ea intentione, ut eidem lethale vulnus infligat; & potest etiam supremus generalis alicujus exercitus provocare ad singulare certamen præfectum adversi exercitus ad eum unicè finem, ut toti multitudini utrinque parcatur, & ne tanta ex utraque parte sangvinis copia fundatur; in utroque singulari certamine actio externa est eadem, seu pugna unius cum alio, ad infligenda vulnera adversario, & tamen finis non est idem, quia exercitus præfecti pugnant ad hunc vnicè finem, ut parcatur multitudini; & qui ex odio provocavit alium ad singulare certamen ad finem simpliciter occidendi adversarium, quem odio prosequitur.

Dices 7. Ex duello non habetur hæc justa defensio, quia in duellica pugna uterque duellator est aggressor, & vterque adversarium aggreditur ad internecionem: in defensione autem justa, unus

unus debet eſſe invaſor, & alter defenſor: adeò ut ille dicatur ſe defendere, qui vi repellit vim, injuſti aggreſſoris: ergò cùm juſta defenſio non reperiatur informali duello cruento ex quocunque fine commiſſo, ſequitur pro nullo eventu eſſe licitum deſcendere ad ſingulare certamen cum diſcrimine vitæ. ℞ negando abſolutè ſuppoſitum in duello non eſſe juſtam defenſionem, quinimò provocatus ad duellum ordinariè eſt invaſus, & ſi adigeretur, vel ad pugnam duellicam, vel ad mortem ſubeundam, ſi aliter non poteſt mortem evadere, utique juſtè defenderetur duellando cum iniquo aggreſſore.

Dices 8. Nunquam eſt licitum privata auctoritate alium hominem occidere, niſi injuſtum aggreſſorem, & quando aliâ viâ non poteſt invaſus propriam ſalvare vitam: atqui iſte caſus non contingit in duello, quia provocatus poteſt non acceptare duellum, vel non accedere ad locum pugnæ, & aliâ viâ defendere poteſt propriam vitam: ergò duellum nunquam eſt licitum. ℞. negans mino: ſcilicet non poſſe contingere, ut provocatus ad ſingulare certamen, non poſſit, ſi velit pugnam illam evitare, ſi enim injuſtus aggreſſor obviaret Petro extra civitatis muros, & ei diceret, vel tu debes mecum in proximum campum venire, & diſtricto gladio pugnare, vel ſtatim te hoc minori ſclopeto, interficio, ex ſuppoſitione, quòd nullus adeſſet, & Petrus non niſi gladium haberet, adeò ut invaſor arrepto ejus brachio dextro impediret ne eum evaginaret, & admoto ad pectus minori ſclopo minaretur illum explodere, niſi ſecum in campum iret, certè in iſto caſu Petrus adigeretur ad ſingulare certamen pro vita tuenda, neque in iſto caſu peccaret, quia ex jure naturæ

tenetur quisque se ipsum defendere, & vim vi re-
pellere, quando aliâ viâ non potest invasus vio-
lentiam declinare injusti aggressoris.

a Henricus Gandavensis *quodlibet 5. quæst: 32.* Alensis *4. part: q. 1. membr: 2. artic: 2.* S. Antoninus *in 3. part: tit: 4. cap: 3.* Turrecrementa *in cap: monomachiam 2. quæst. 5.* Abulensis *in cap: 17. libri. Reg.* Ostiensis, Alanus, & alij plures.

b Cajetan: *2. 2. quæst: 95. artic: 8. Color: 4. comment* Major *in 4. sentent: dist: 15. quæst: 16.* Vigverius *in Theolog: in stit: cap: 2. § 3.* Tolet: *lib: 5. cap: 6. tract: 3. sect: 1. quæst: 2.* Telix *Veranus disp: 18. de rixa.* Sed ut hoc clariùs pateat exponamus casus, in quibus liceat vel non liceat duellum fit ergò.

DUBIUM 2. *An sit licitum duellum ad veritatis indagationem? seu manifestationem?* quando quis videlicet putat innocentiam suam probare mediante victoria contra alteram personam in duello sibi certantem. R. *Negativè.* Ratio est, nam tale duellum omninò esse damnabile, & perniciosum diabolicâ astutiâ adinventum, ideoque rationabiliter in omni jure esse prohibitum, quia eo mediante exponitur propria, sive alterius proximi vita periculo mortis, sive gravis vulnerationis contra justitiam, & charitatem: nam in testimonium propriæ innocentiæ assumitur medium incertum, & inordinatum, quod ex natura rei non est ordinatum ad talem finem consequendum, cùm sæpe contingat innocentem in tali conflictu perire, & est quædam species superstitionis, & Deum velle tentare, ut mediante morte alterius certantis causam suam probet, ideòque meritò est omni jure prohibitum, & detestabile scelus; quare in lege Cæsarea ait Imperator, in

lege

lege unica de gladiatoribus: *cruenta spectacula in otio civili & domestica quiete non placent, ideòque gladiatores omninò esse prohibemus.* Item per constitutiones Apostolicas talia duella purgativa omninò damnantur, ut patet ex Canon: *Monomachia 2. qu. 5.* & ex cap. *2. de purgat vulg:* & ex Trident: *sess: 25. c. 19 de reform:* Ita Cardinal: Lauræa *disp: XIV. artic: XI. §. 8. n. 571.* & communiter omnes Doctores.

DUBIUM 3. *An duellum sit licitum, ad injuriæ vindicationem & ad tutandum proprium honorem?* ℟. *negativè* ita principaliores Theologi Cajet: Sotus, Bannes, Sanchez & plures alij (a) Ratio est, quia cùm homo non habeat dominium in propriam suam vitam, sed solus Deus sit Dominus mortis & vitæ, non potest se licitè exponere manifesto discrimini propriæ vitæ; atqui ineundo duellicam pugnam, ad tutandum proprium honorem, & vindicando convitia, ac injurias irrogatas se exponit periculo vitæ: ergò non potest licitè duellare. Tum quia falsò suscipitur duellum pro reparatione injuriæ illatæ, vel honoris læsi; siquidem non acceptare duellum vertitur Christiano homini summæ virtuti: ergò repudiando duellum jam sufficienter consulit proprio honori, quia apud sapientes & probos, si nobilis repudiat duellum, ne temerè vita alterius, vel propria exponatur periculo proinde ne peccetur contra legem divinam, non amittit sed acquirit magnum honorem, qui longè præponderat illi falso & mundano honori, qui apud homines vanos censetur amitti, in repudiatione duelli. Tum quia si ob defendendum honorem licitum esset acceptare duellum, liceret etiam ob eundem finem illud indicere, quando vulgi opinione id vi-

deretur necessarium : est enim utrinque par ratio, pro defendendo enim honore proprio semel quòd quis potest bellum acceptare, potest etiam illud indicere, quia finis duellicæ pugnæ est semper defensio honoris proprij: atqui nullus Christianorum concedit, licere mihi ob defensionem mei honoris alium provocare ad duellum, ergo nec mihi licebit illud oblatum acceptare.

Dices. tota ratio cur ad propulsandam injuriam, vel tutandum honorem non possit licite iniri duellica pugna, est, quia exponitur vita manifesto discrimini: atqui id non videtur illicitum, nec esse peccatum lethale, siquidem antiqui gladiatores, etiam ipsi ad singulare descendebant certamen, quod ipsis tanquam licitum permittebatur, licet exponerent vitam manifestissimo periculo : ergo allata ratio non probat, non licere viro nobili ad proprium tutandum honorem descendere ad duellicam pugnam. ℞. Neg: minorem. Ratio est, quia cùm homo non sit dominus propriæ vitæ & necis : ideò non potest homo, qui tenetur, quantum potest vitam sibi à Deo commodatam conservare, eam prodigere in duellica pugna : quia perinde hoc esset, ac uti re aliena, invito domino, eamque destruere, quod proculdubio aduersatur justitiæ, cùm enim Deus prohibeat homicidium; proculdubio, qui in duellica pugna occidit vel occiditur, utitur re aliena invito domino, quod nunquam est licitum. Ad id, quod afferebatur de antiqvis gladiatoribus. ℞ cum distinctione : vel enim voluntariè simul congrediebantur vel ad ostensionem virium, vel ad capiendam sibi gloriam, & tunc proculdubio illicitè ad talia descendebant certamina : vel decertabant, quia à magistratu jam erant damnati ad mortem ob

patrata

patrata scelera, & eis concedebatur ea digladiatio, ut qui vinceret, mortem evaderet; & hoc pacto non erat illis illicitum ad hujusmodi descendere certamina, quia cùm fuerint jam morte damnati non exponebant vitam ulli discrimini, sed potius certam mortem, quam promeriti erant, ac subituri fuissent, convertebant in dubiam vitam; quod erat potiùs meliorare conditionem Neque obstat quòd unus alium occideret, in digladiotoria illa pugna, quia id erat peccatum, quia cùm omnes quotquot pugnabant fuerint jam rei mortis; & a magistratu damnati ad ultimum supplicium; unde si unus ex gladiatoribus alterum occideret, id potiùs præstabat tanquam minister justitiæ, perinde ac carnifex, qui exequendo sententiam magistratûs in reum, non peccat eum occidendo: unde ex hoc capite non erat illicitum ita congredi proposito præmio, quòd occidens aduersarium esset liberandus à morte, quam promeritus jam erat.

Dices. Magna ignominia, & honoris, & nominis jactura, si duellum non acceptetur, ergò ad defensionem honoris poterit acceptari. Anteced: penes mundanos est evidens; quia non acceptans existimatur pusillanimis, & sui honoris nihil curans inter nobiles irridetur. Conseq prob nam *Ecclesiastici 41. 15.* habetur, *curam habe de bono nomine* R. cum Cardinal: Lauræa *loc: supracit: num: 376.* disting anteced penes mundanos prudentes transeat; penes sanctos prudentes ac penes Deum nego. Hanc autem prudentiam in suis operibus, fideles debent sequi, non mundanam, quæ ex Rom: 86. *mors est*, & de hac 1. *Cor: 19* dicitur *prudentiam prudentum reprobabo.* Ad aliud de bono nomine dico, bonum nomen esse. quod est

virtuti, ac legi divinæ conforme, ita Glos. *Curam habe, vt benè & religiosè vivas; sic autem acquiritur bonum nomen.* Lyranus etiam noster ait. *Curam habe de bono nomine* id est de re boni nominis, quæ est justitia legalis, nam includit omnem virtutem. Bonum verò nomen mundanum, ac vanum concurrens cum hoc divino ac sancto curandum non est, *quid enim prodest homini, si vniversum mundum lucretur anima verò sua detrimentum patiatur?* ait Salvator *Matth: 16 26* Hac enim via vir nobilis, qui provocatur ad duellicam pugnam salvo proprio honore, & absque ullo periculo incurrendi infamiæ, uel timiditatis notam, potest duellum repudiare. Neque ullus prudentum potest viro nobili vertere vitio, si legem Dei observet, periculum vitet amittendi vitam, cujus solus est dominus; unde ex hoc capite non est, cur debeat timere honoris læsionem, si provocanti ad duellum non respondeat. Tum quia nullus sapiens dicet, nisi sit mundanus, & vanæ gloriæ cupidus, ex obedientia divinæ legi & Ecclesiæ severissimè prohibenti Monomachiam amitti honorem, si enim quis recuset duellum non ex timore provocantis, sed ex timore peccati & censuræ, certè hic non est dicendus pusillanimis, timidus &c. quia quando repulsio propriæ injuriæ veræ, vel existimatæ est conjuncta, cum offensione Dei non est virtus, quia contra divinam legem non datur actio; quæ sit laude digna; eo enim ipso, quòd actio aduersatur divinæ legi, est mala, & illicita. Tum quia respuere duellicam actionem, ex se non est signum timoris, quinimo subinde est signum quòd provocans contemnatur. Hoc firmatur exemplo brutorum, si enim canis generosus & mollosus, non respondeat latratui canicu-

caniculi, non tamen id vertitur ignominiæ cani grandiori, quia non censetur minorem timere, sed potius contemnere: Ita si quis provocatus ad duellum, nihil respondeat, nec consentiat, potius censetur superbè provocantem contemnere: & illum judicare indignum ut secum pugnet: ex quo liquet: repudiare duellum, non est per se determinatum signum timoris, sed potiùs quid indiferens ad æquè significandam generositatem, & pusillanimitatem: quamobrem licet aliqui vani homines hanc repudiationem in malam partem usurpent, & tribuant pusillanimitati, non tamen per hoc tollitur illi ea significatio, quam potest habere apud viros prudentes, sicut igitur repudiatio duelli, non nisi ab hominibus malæ conscientiæ vertatur vitio & pusillanimitati; non ita ab hominibus prudentibus; ita provocatus ex eo quòd non respondeat, nec consentiat provocanti, nullam incurrit infamiæ notam, eò quòd talis repudiatio ex se possit etiam significare magnanimitatem, quâ provocatus contemnit provocantem, ideò non potest provocatus licitè pro suo honore tuando, descendere ad singulare certamen, quia defacto ejus honor non læditur apud viros prudentes, & probos quod debet ei sufficere. Vnde meritò ab Alexandro VII. propositio: 11. cujus tenor est talis: *Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat, est proscripta.*

Dices. Ea ratio est licita, quæ exercetur cum laude virtutis estque actus fortitudinis: atqui pugnare in singulari certamine est exercitium fortitudinis, & communiter duellatores habentur viri fortes, eò quia animosè se in pericula conijciant ad tutandum proprium honorem:

ergo possunt viri nobiles licitè inire singulare certamen ad tuendum proprium honorem. ℟. negando minorem, nam actio (ut dictum est supra) quæ ex sua natura est iniqua, non potest esse effectus virtutis, nec actus fortitudinis : non enim ille censetur vir fortis, qui audacter vel alacriter agit, & agendo sese in pericula conijcit; alioquin etiam feræ, & furiosi homines fortitudinis laudem sibi compararent cum & illi audacter sese in discrimina præcipitent: unde tantùm est ille vir fortis, qui præsuppositâ justâ causâ adeundi periculi juxta prudentiæ normam, periculum non declinat, sed alacriter in illud se conijcit, malens vitâ, si res exigat, quàm honestatis amore cedere: in duellico verò certamine auctoritate privatâ suscepto, pro tueudo honore vel ad captandum sibi nomen viri fortis ac generosi, summa est iniquitas, si duellum spectetur ex parte provocātis, sive provocati: etenim illa actio iniqua censetur, quæ injustitiam continet, & hujusmodi est duellicum certamen, cùm per ipsum imprimis injuria DEO irrogetur in cujus solius peculiari dominio est vita hominis. Undè nec est licitum duellum ad vires proprias ostendendas, quia contra omnem rationem eligitur atrocissimum medium, cum periculo propriæ, sive alterius vitæ ob finem omninò vanum, Jdeòque quando Duces exercitus voluptatis causâ, vel ad robur militum ostendendum permitttunt duella fieri inter milites peccant mortaliter, quia nefas est medium tam periculosum & atrox ob tam vanum finem permittere, quemadmodum enim his solis causis bellum suscipere non licet, ita nec singulare

certamen, quod prohibitum est in jure prout dicunt Cajet: Valentia & plures alij. [b]

a. Cajetanus 2. 2. *qu:* 64. *art:* 8. Sotus *lib.* 5. *de justitia quæst.* 1. *artic:* 8. Navarra. *lib:* 2. *de restit: cap* 3. *num* 2. *part: dub:* 13.

b. Cajetanus 2. 2. *qu.* 95. *artic:* 8. *ad tertium,* & *in sum: V. Duellum* Valentia 2. 2. *quæst:* 17. *D.* 34 *p.* 1

DUBIUM 4. An pro terminatione litis aut alicujus prætensionis & controversiæ, quæ aliter componi non potest, nisi proponatur singulare certamen inter duos, ut qui vicerit in duello jus in lite habere censeatur; aliàs non, an inquam tale sit licitum duellum? ℞. *negativè.* Nullo enim modo lites civiles tali modo illicito determinandæ sunt: & ratio est, quia tale duellum non est proportionatum medium pro tali lite determinanda: nam sæpè sæpius contingere potest, ut qui rationem habet vincatur ab altero, & remaneat occisus, decidatque in peccato mortali cum manifesto periculo suæ damnationis, non enim vires sed rationes cum judicis sententia decidendæ sunt & determinandæ prout dicunt Cajet: Valentia; Azor, & alij plures [a]

Quid si judices reo innocenti iniquè dicerent, vel tu debes duellum suscipere cum actore, à quo accusaris, vel statim debes capite plecti, an in hoc casu innocenti liceat duellum acceptare, tametsi judicum sententia iniquissima sit? ℞. *affirmativè*, potest enim quis licite duellicam pugnam inire ex publica auctoritate, & ad evitandum majus malum imminens, quod aliâ viâ non possit evadere, & ad defendendam propriam vitam, quam aliâ

viâ

viâ nullo modo poteſt tueri; ut docet Cajet; (b) & cum ipſo Bannes, Sanchez, Navarrus, & alij. Ratio eſt, quia tunc actor aggreditur reum per judices iniquè, & vult illum omninò occidere, neque aliter poteſt propriam vitam ſalvare, quàm acceptando duellum, cùm judices dicant contra ipſum, mortis ſententiam, niſi duellum ineat cum actore; in hoc enim caſu innocens habet jus defendendi propriam vitam & cùm non poſſit aliâ viâ niſi per duellum, erit proculdubiò ei licitum illud acceptare, cùm licitum ſit vim vi propulſare, & ab injuſto aggreſſore ſe defendere.

Si dicas: Non eſſe licitum acceptare duellum ſponte, neque poſitivè invadere ſuum adverſarium, cum hæc duo videantur intrinſecè mala. ℞. Quamvis innocens accuſatus voluntariè acceptet duellum, & in ipſa pugna poſitive irruat in adverſarium, nego tamen id eſſe illicitum; etenim qui injuſtum aggreſſorem occidit; proculdubiò id facit liberè, & poſitivè infligit vulnus invaſori, & tamen ad tuendam propriam vitam utrumque cenſetur licitum, quando aliâ viâ non poteſt invaſus ſe defendere ab iniquo aggreſſore.

Si dicas, reum innocentem non poſſe etiam per iniquam judicum ſententiam duellum acceptare, eò quia hoc perinde eſſet, ac ſe ex ponere vitæ diſcrimini, quod nunquam licitum eſt. ℞. Nego ſuppoſitum; quia cùm reus innocens niſi ad ſingulare deſcendat certamen, debeat ex iniqua judicum ſententia mortem inelu&ctabiliter ſubire, acceptando duellum potius ſe exponit ad lucrandam vitam, cum ex non acceptatione debeat certè mori: ergò acceptan-

ceptando duellum potiùs se exponit lucro salvandi vitam, si actorem vincat: ergo pro evitando majori malo seu morte certa, potest tunc innocens licitè eligere minus malum seu duellum suscipere, quo potest mortem declinare.

Si dicas in hoc casu duellum suscipi ad explorandam veritatem, quod perinde est ac Deum tentare ad facienda miracula in favorem innocentiæ, proinde est duellum purgativum, quod omninò prohibitum est; siquidem duellum omne initum ad purgationem sui, vel ad eruendam veritatem omninò prohibetur à sum: Pontificibus, ut constat ex cap. Monomachiam, *2. qu: 5. & ex cap: 1. &c* de purgat: & nos in dubio 2. satis probavimus. Tùm quia S. Agobardus in Epist: data ad Ludovicum Imperatorem eum omni ratione adigit, ut iniquā legem Gundebardi Burgundiorum Regis ariani duella ad sui purgationem, & veri probationem admittentis omninò abolere velit. R. Neg: Suppositum, quia in nostro casu innocens accusatus, non suscipit duellum ei oblatum à judicibus ad veritatem explorandam, neque ad tentandum DEum, ad facienda miracula in favorem suæ innocentiæ, sed eatenùs annuit duellicam inire pugnam, quia illi non superest, aliâ viâ tutandi propriam vitam, cum certò sit moriturus, nisi duellicam pugnam ineat.

Si dicas Indè secuturum, etiam licere in simili casu sacerdoti acceptare duellum. R. judices Ecclesiasticos apud quos solos potest sacerdos judicari non apposituros tam iniquam conditionem. Quod si sacerdos esset innocens, & non posset imminentem evadere mortem nisi suscipiendo duellicam pugnam; non video, cur

cur non esset ei licitum duellum acceptare.

Si dicas. Concil: Trident: & Pontifices sub gravissimis censuris prohibere omnia duella, consequenter vi harum Constitutionum nunquam esse licitum duellicam inire pugnam. R. Concilium & Pontifices prohibent omnia duella, quæ propria & privata auctoritate suscipiuntur, & sine necessitate tuendi propriam vitam. Tùm quia in casu nostro, cùm innocens falsò accusetur ab actore, & ex sententia judicum debeat certissimè mortem subire, nisi duellicam pugnam suscipiat; tunc non solum innocens pugnat ad hunc unicè finem, ut propriam defendat vitam ab injusto aggressore, qualis est actor, qui supponitur velle omni modo mortuum innocentem, verumetiam innocens iste constituitur à judicibus tanquam minister, in ordine ad puniendum falsum & iniquum accusatorem, & quemadmodum carnifex, utpotè justitiæ minister non peccat occidendo homines damnatos morte, ob patrata scelera, ita neque innocens in casu nostro pugnando & occidendo iniquum actorem censendus est peccare, quia id præstat ad simpliciter tuendam propriam vitam, quam non potest aliâ viâ defendere; & quia in nostro casu constituitur à judicibus tanquam minister in ordine ad puniendum reum. Cum Iudices exigant necessariò à tali innocente pugnam duellicam; ideò &c.

a. Cajetanus. 2. 2. *quæst*: 95. *artic: ad tertiam*. Navar: *in Man. cap*: 15 *ad finem*

b. Bannes 2. 2. *quæst*: 64. *artic*. 7 *dub*: 4: *in corpore ad* 2. Rodriquez *tom* 1 *summa in secund: edit: cap*: 73. *num*: 1. Valentia 2. 2. *disp*:

disp 3 *quæst.* 17. *p.* 1. *Col:* 2. Lessius *lib.* 2. *c.ap.* 9 *dub:* 8. *num:* 49. Facundes *lib:* 5. *in Decalog: cap.* 8. *num.* 4. *&* *novißimè.* Felix Veranus *disp* 18. *de rixa, duello, & sedit: sect.* 8. *num:* 7. & plures alij

DUBIUM 5. *An sit licitum bellum ad vitandum majus malum?* ℞ Cum Caietano Valentia & alijs [a] Quod quando tale certamen & modus bellandi assumitur ex mandato Principis pro vindicanda sibi injuria facta, & tunc pro vindicanda tali injuria proponitur tale singulare certamen inter duos alterum ex parte una, & alterum ex parte altera: tunc non esset licitum tale singulare certamen propositum acceptare, quia exponeretur innocens periculo mortis sine efficaci effectu: nam ad vindicandam injuriam contra talem Principem sive patriam illatam requiritur, ut ille qui debet tale certamen facere, sit potentior altero, qui injuriam intulit, & sit velut agens respectu passi. At in duello, hoc adesse non potest, quia æqualis debet esse conditio utriusque certantis, & sic exponeretur ille qui injuriam vindicare debet periculo succumbendi, quando esset imbecillior, & sic causa caderet, & non vindicaret injuriam. Quod secus dicendum est de bello: nam in bello major pars & potentior victoriam reportabit.

DUBIUM 6. *An & quomodo subinde liceat bellum dirimere duellicâ pugnâ?* ℞ det Felix Veranus cum pluribus alijs [b] *affirmativè* dum ait: in bello justo, quando duo exercitus sunt parati ad pugnam, posse licitè seligi paucos aliquos ex utraque parte, qui pugnent, ea conditione, ut victoria eis cedat, quorum

quorum pars fuerit superior, adeò ut ad eum duntaxat finem instituatur hæc duellica pugna, ut multorum sanguini parcatur. Ratio est. Tum quia, quando totum & integrum bellum est justum, quævis pars ejusdem est itidem justa & licita, siquidem totum includit omnes partes, & istæ sequuntur naturam totius: atqui hæc duellica pugna in nostro casu est pars belli justi, ergò hoc singulare certamen erit licitum & justum. Tum quia si in bello justo unus exercitus, qui justè belligerat habet jus in omnes & singulos contrariæ partis, ita singuli milites unius partis, ex facultate Principis habent jus in milites contrarij exercitus, consequenter ad dirimendum bellum possunt licitè utrinque seligi pauci, qui rem totam agant. Tum quia hoc singulare certamen propriè non est duellum, sed bellum paucioribus actum militibus: cùm enim tunc potuerint mille & mille pugnare, potuerunt, etiam centum, duo & duo, unus & unus. Hoc tamen animadvertendum, quod si præfectus militiæ exploratum haberet, se integro exercitu pugnantem esse adversario longè fortiorem; eò quia plures habeat milites, peritiores ac diutiùs in armis versatos, meliora tormenta, situm pro pugna instituenda opportuniorem, non prudenter ageret; si descendendo ad talia duella, ut bellum dirimeret per singulare certamen, quia cùm posset pugnare cum majori numero, non prudenter ageret, si vellet cum æquali dimicare, quia tunc se exponit evidentiori discrimini, quàm si pleno exercitu in hostes irrueret: neque obstat, quòd plerumque licitè non permittatur, ut totus exercitus pugnet; quia

quia id fit ea intentione, ut pars reservata si opus fuerit, succurrat ei, quæ pugnavit; atqui in duello non fit reservatio, eo fine ut succurrur parti quæ succubuit, quia non possunt alij juvare eos, qui pugnant in singulari certamine. Quod si belligerantes sunt utrinque viribus ac numero militum pares, & bellum sit justum, tunc non solum, ut parcatur multorum sanguini, licitum est duellum acceptare; verumetiam partem contrariam provocare ut singulari certamine dirimatur bellum. Ratio est; quia licitum est justum bellum gerentibus hostes ad pugnam provocare, ac prælium eisdem offerre, & rursus possunt etiam militiæ præfecti designare, ex utraque parte medietatem exercitus ad pugnam instituendam. Quod si possunt medietatem seligere, non video, cur non possint etiam pauciores, & pauciores & totum bellum reducere ad duos tantùm, qui simul dimicent ea conditione, ut victoria ei parti cedat, cujus miles fuerit superior. Tum quia, plures laudabiliter hoc idem præstiterant ut S. Venceslaus apud Æneam Sylvium, qui ad singulare certamen provocavit adversarium Principem, ut toti multitudini parceret. Aliud simile duellum fratrum contendentium de regno Hungariæ memorat Alciatus *lib. de singulari certamine cap.* 3. Notissimum itidem est Horatiorum pro Romanis & Curiatiorum pro Albanis duellum; quod tametsi ejusdem atrocitatem exaggeret S. Augustin: *3. de civit. cap: 14* potuit tamen esse non injustum, si nimirùm auctoritate publica, quasi bellum inter paucos initum esset ex consensu partium, ad stragem multorum vitandam, hoc

idem

idem præſtitum fuiſſe à Valerio Corvino, & M. Torquato à Hiſtorijs proditur, & ante hos omnes habemus in ſcripturis, Davidem cum Goliatho ſingulari certamine honeſtiſſimè pugnaſſe; & hoc idem ex eodem fine præſtari nunc quoque poſſet à paucis militibus utriusque exercitus, ſi id exigeret neceſſitas, & compreſſio adverſariorum, qui plus juſto ſuas vires oſtentarent.

Si dicas, eum ſe exponere vitæ diſcrimini qui ad ſingulare certamen deſcenderet. Id non obſtat, quia etiamſi cum toto exercitu in hoſtes irrueret eidem ſe exponeret periculo. Tum quia pro utilitate publica, poteſt ſe exponere quis morti, conſequenter poteſt ſingulare certamen inire ſervatis regulis prudentiæ nè temerè congrediatur cum adverſario à quo ſuperetur. Tum quia, docet etiam Cajetanus, quòd ſi Princeps ex juſta cauſa belligerans cognoſcat ſuas vires imbecilliores & ab hoſte adigi ad pugnam cum evidenti periculo, ut totus exercitus ſuccumbat, vel ad acceptandum duellum, & rem totam dirimere ſingulari certamine, in hoc caſu: aſſerit Cajetanus poſſe prudenter acceptari duellum, quia transfert quaſi certam jacturam in dubiam, imo & in ſpem victoriæ, quinimo cenſet, non ſolùm eſſe licitum in tali caſu acceptare duellum, verumetiam provocare adverſarium ad ſingulare certamen, vt toti parcatur multitudini, & alieno ſanguini. *Dixi in Concluſione in bello juſto.* nam bellum injuſtum & illicitum non poſſe licitè dirimi per ſingulare certamen ſelectis ex utraque parte paucis militibus, qui rem agant, & victoria ſtet pro parte illa, quæ

adver-

adversarios vicerit. Ratio est perspicua, quia quando bellum est injustum, & illicitum, duellum, quod instituitur inter paucos utriusque exercitus, est etiam illicitum: siquidem pars sequitur naturam totius, & cùm totum bellum illicitum supponatur ac injustum, adeò ut illicitè pugnent plenis agminibus exercitus; ita etiam illicitè pugnarent illi pauci selecti ex utraque parte ad ineundam hanc pugnam duellicam.

Dices. Metaphisicè non potest contingere, ut bellum utrinque geratur ex justis causis, quia cùm veritas sit una tantùm, semel quod stat pro una parte, altera contraria non nisi injustè belligerat, licet moraliter ob rationes probabiles possit utrinque iustè belligerari: atqui Princeps qui certè scit, se justissimè belligerare, non potest offerre duellum alteri injustè belligeranti, quia hæc pars non potest sine peccato duellum acceptare; & Princeps provocans concurreret, & esset causa peccati, quod committeretur à provocato: semel, quod unus Princeps scit habere pro justo bello ineundo evidentissimas rationes, cum hac evidentia non stat, alium Principem etiam justè contra ipsum belligerare, quapropter licet alius Princeps nitatur rationibus probabilibus, quibus existimet etiam justè & licitè belligerare, apud alium tamen Principem provocantem hujusmodi rationes non sunt tanti momenti, ut apud ipsum bellum, quod ab adversario geritur, censeatur justum: quod si ita est, Princeps qui bellum justum susciperet, non posset adversarium provocare ad rem totam dirimendam singulari certamine, alioquin cooperaretur peccato alteri-

us. ℞. Quia licet Princeps cognoscat habere pro justo bello ineundo rationes evidentes, & adversarium nonnisi injustè bellum suscipere; non tamen tenetur judicare alium Principem contra se pugnantem non niti rationibus probabilibus, quia tametsi aliqua ratio sit uni improbabilis; alteri tamen potest esse probabilis. Tum quia Princeps qui provocaretur ad duellum adhuc censendus esset inniti rationibus, quæ Principem provocantem lateant, hinc si provocaretur ad rem dirimendam singulari certamine, ex hoc capite, quia bellum esset injustum, Princeps provocans, non cooperaretur peccato, Principis provocati, siquidem moraliter tale bellum censeretur utrinque justum. Tùm quia Princeps provocans non induceret provocatum ad malum, sed ad minus malum; siquidem provocans petit directè jus suum, quod cùm adversarius reddere detrectet, potest ad vitanda majora belli discrimina petere, ut majus belli malum deducatur in minus, quale est illud duelli, ut parcatur toti multitudini; tunc cùm supponantur utrinque exercitus parati ad pugnam, nè ingens sanguinis copia effundatur, potest deduci pugna, ad paucos, imò ad duos solos ea conditione, ut victoria stet pro illa parte, cujus Princeps victor evaserit. *Si dicas* cum Comitolio *lib. 6. qu: 16 num. 10.* Duellum illud fuisse à Davide susceptum ex divino instinctu & impulsu. ℞. Si ita est exinde manifestè sequitur, non omne duellum esse ex natura sua illicitum & impium, adeò ut pro nullo eventu possit singulare certamen iniri: si enim duellum esset, ab intrinseco malum ut mendacium & odium Dei, Deus non jussisset

Davi-

Davidem inire hoc singulare certamen nec potuisset David hujusmodi acceptare duellum; quemadmodum non potest Deus præcipere mendacium, & odium sui, eo quia hæc sint intrinsecè mala, ita neque præcepisset Davidi hanc duellicam pugnam, si esset intrinsecè mala: ex quo mihi videtur perspicuum, non omne duellum seu singulare certamen esse intrinsecè malum.

Quæres. An Princeps catholicus bellum gerens cum infideli possit ad singulare certamen deducere totum bellum? Dubium necessarium. ℟. Felix Veranus *loc: cit: sect:* 9. *num:* 9 *negativè* ob periculum quod inde immineret religioni Christianæ, si Princeps in singulari certamine prosterneretur ab infideli: quapropter si exercitus Christiani Principis sit numero, bellandi peritiâ, locorum situ superior hostili, censet non posse tunc licitè bellum dirimendum deduci ad singulare certamen, siquidem victoria, quæ ex pugna totius exercitus esset quasi certa, anceps fieret in singulari certamine. Quod si Catholici Principis exercitus imbecillior foret hostili, & Catholicorum pertimescenda esset ruina, posset tunc totum bellum dirimi per singulare certamen, præsertim si Princeps Christianus descendens ad pugnam esset armis peritior alio, viribus fortior, & dexteritate corporis expeditior, quia tunc è converso victoria, quæ non speraretur in plena totius exercitus pugna, per quam probabilis affulgeret in singulari illo certamine, proindè posset Princeps Christianus suam meliorare causam per singulare certamen, ut censent Sanchez *lib:* 2. *cap.* 39 *num:* 15. Becanus *Cap.* 26.

quaest: 4. *num*: 1. Hurtadus *disp*: 170. *sect*: 17. § 150.

DUBIUM 7. An peccet mortaliter, & incurrat irregularitatem, qui acceptans duellum, aut singulare certamen, nè aliàs amitteret honores, aut publica munera, quæ possidet; occidit provocantem ad illud? Rdet Anton: à Spiritu S. Carmel: Episc: Angol: cum Hurtado & Diana *Negativè* [c] Ratio est, quia ad conservanda munera, & bona quæ possidet, est illud singulare certamen, medium unicè necessarium, ut supponit: consequenter licita est acceptatio illius, patet consequentia; quia tunc est inculpata defensio bonorum proportionatorum damno inferendo criminatori. Criminator enim mala fide objicit mihi crimen dignum amissione bonorum, cujus ego innocens sum: ergò conjectus sum in angustias, ut vel mihi pugnandum sit cum criminatore injusto, vel amissurus sim nobilitatem & munera: ergò tunc subire certamen est unicè necessarium ad tuendam nobilitatem.

DUBIUM 8. An possit quis acceptare seu offerre duellum, ad tuenda bona temporalia, quando certum habet, quòd auctor in judicio per fraudem ipsum opprimat, & si in eò illum occidat, immunis maneat ab irregularitate? R. cum Anton: à Spiritu Sancto Episc: Angol: cum alijs (d) cum distinctione, nàm si innocenti aliud remedium non suppetat ad tuendas res suas, nisi acceptare, vel offerre duellum, potest illud acceptare, vel offerre, & authorem interficiendo non incurrere irregularitatem. Secùs si eum occultè posset occidere extra duellum & sic bona sua defendere. Ratio, est; quia talis ac-

lis acceptatio,seu provocatio duelli, non inducit causam proprij duelli; sed defensionis justæ; sed hæc non solùm est justa & licita cum morte invadentis, pro vita & honore tuendis, sed etiam pro rebus temporalibus, ergo. Quod autem non possit provocare ad duellum authorem, quando eum occultè occidendo res suas æquè bene recuperare potest: etiam liquet; quia sic res suas defendit. sine periculo mortis in duello; & sine peccato authoris offerentis, vel acceptantis duellum, cùm alia meliori, & faciliori via possit res suas defendere. Et idem dicendum est, si invasor injustus velit te occidere, & inhonorare, bonis tuis privare, nisi duellum acceptes, potes namque in hoc casu licitè duellum acceptare, & licitè absque peccato vel irregularitate invasorem occidere, si aliter te, vel res tuas indemnes non possis defendere, siquidem in his casibus & circumstantijs acceptatio duelli est propria defensio. Jta Lugo Palao & alij [c] Et idem dicendum est, si quis acceptet duellum in defensionem divini honoris, quando aliter non potest vitare peccata, non quæ solùm lædunt peccantem, sed quæ cadunt in injuriam gravem proximi, vel boni communis aut religionis. Hinc fit te posse occidere hæreticum, si à conculcatione sacramenti, & profanatione sacrarum desistere nolit: defendis enim tunc divinnum honorem: ergò occidendo non peccas, nec incurris irregularitatem. Ita Palaus infra *num*. 14. *Petes* Quod si actor contra mea bona petat à judicibus, ut æquitatem suæ causæ sibi liceat duello probare, & judices hoc idem ei concedant, & me adigerent ad pugnam duellicam

ineundam, vel ad privationem omnium bonorum, si recusarem, an tunc possem pro bonis meis temporibus conservandis singulare illud certamen acceptare? Felix Veranus ait hunc casum esse purè speculativum unde respondet probabiliter negativè [f] quia non videtur licitum exponere suam vitam evidenti discrimini pro defensione bonorum fortunæ, quidquid respondeant alij, censentes esse licitum furem occidere, si districto gladio meam ingrederetur domum, ut bona occuparet, pluris enim censenda est vita, quàm bona temporalia, pluris enim, quia vita non potest ullo pretio æstimari, proinde non videtur ei utrinque esse par ratio.

DUBIUM 9 An si aliquando duo damnati essent ad mortem, ut quilibet illorum sit minister mortis alterius, ad pugnandum in duello, usquequo alter illorum decidat, alter verò qui victoriam consequitur, liberetur à morte, possint isti duo taliter condemnati licitè inter se decertare in duello? ℞. *Negativè* & talem sententiam omninò esse iniquam & inhumanam, respectu talis judicis, qui talem sententiam tulit, habet enim quandam speciem crudelitatis, ideòque licitè talem condemnationem facere non potuit. Ex parte autem damnatorum ad mortem, non esset illicitum tale certamen, quia in casu uterque constitutus esset minister justitiæ ad occidendum alterum, & quilibet illorum defenderet in casu vitam propriam; quia vim vi repellere licet, non potens aliud agere juxta judicis sententiam, quamvis talis sententia esset iniqua. Ita Major, Azor, Filliuc, [g] Ita dicendum est, quando quis inno-

innocens, à judice esset condemnatus, ut ve in duello pugnet cum suo adversário, vel suspendatur donec anima è corpore exhalet: ve si quis quandoque esset per calumniam accusatus coram judice, & certò videt se condemnandum esse ad mortem, vel ad membri amputationem, & percipit se non posse aliter evadere à calumniatore, nisi oblatum duellum acceptet: tunc non esset illicitum acceptare duellum sibi oblatum, sive á judice, sive ab iniquo calamiatore: hoc enim facit, non potens aliud agere, acceptat enim tale singulare certamen, ut se liberet à morte, & non ut duellum illicitum perficiat, sed ut à vi sibi injustè facta se liberet: Ita Cajetan: Navarr: Azor, Filliuc, [h]

a. Cajetanus Valentia, & Felix Veranus loco supra cit: *sect: 8. disp: 18. de rixa & duello: num: 14.* qui pro evitando majori malo viros alioquin sanctos descedisse ad singulare certamen adducit, vide ibid.

b. Felix Veranus *sect: 9. num: 3. disp: 18. de duello. rixa & sedit.* Cajetan: *2. 2. quæst: 95. art 8* Suarez *disp: 13. sect: ult. n. 8.*

c. Antonius à Spiritu sancto Episc: Angol- *tract: 13 disp: 2 sect. 13 num: 244,* Hurtard:

d. Anton: à Spiritu S. *loco supra cit:* Hurtardus *2. 2. disp 7: sect: 8. §. 7. & 17.* Lugo *de justit disp: 10. num: 165, & alij.*

e. Lugo supra Palaus *de charitate disp: 5. p. 7. num. 13*

f. Felix Veranus *disp: 18, de rixa & duello sect: 8. num: 27 pag. 401.*

g. Major *in 4. dist 15 quæst: 23,* Azorius *d. p. 3: lib: 2. cap 5. qu: 7, & 9.*

h. Cajetan: *d. 2. 2. quæst: 95. art: 8.* Azorius *d. p. 3. lib: 2. cap: 5. qu: 3.*

DUBIUM 10. *An licitum sit in pugna duellica potiùs velle se ab adversario confodi, quàm ejus beneficio vitam servare?* R. *Negativè*, ita ut nunquam licitum esse in duello potius mortem subire, quàm victorem adversarium agnoscere, & sese illi dedere, ac ejus beneficio vitam conservare. Ratio est, quia id adversatur inclinationi naturali, & opponitur charitati, siquidem res quælibet naturaliter se amat, & quantum potest nititur seipsam conservare, ac resistere eam volentibus corrumpere; ergò cùm præeligens in duello mortem non conservet se ipsum cùm possit, utique agit contra naturalem inclinationem & regulas rectæ rationis, consequenter omninò illicitè operetur. Quod etiam illa mortis prælectio adversetur charitati quâ homo tenetur seipsum diligere, ex eo claret, quia charitas non destructionem sui, sed potius conservationem considerat, & sicuti peccaret qui proximum occideret; ita etiam peccat, qui se ipsum directè occidit, vel sinit se ab alio occidi. Tùm quia homo non est suæ vitæ dominus, propterea non potest de illa disponere pro suo nutu, nec eam destruere per se ipsum immediatè, neque consentiendo ut destruatur per alios. Siquidem destructio rei est actus proprius domini, qui potest pro libitu de re sua disponere. Ergò &c.

Dices. Naturalis inclinatio non semper est bona, imò quandoque mala, adeò ut laudabile sit ejus subindè actus coercere, ut quando caro concupiscit adversus spiritum; ergò ex eò, quòd se ipsum occidere directè, vel indirectè assen-

assentiendo quis, ut occidatur ab alio sit contra inclinationem naturalem, non inde sequitur esse illicitum, sinere potiùs in singulari certamine, se confodi ab adversario, quàm ejus beneficio vitam retinere. R. aliam esse inclinationem naturæ rectæ, & aliam naturæ depravatæ; inclinatio ad vitam conservandam, est naturæ rectæ, & ex eo liquet, quia hæc inclinatio fuit in Christo, qui propterea mortem naturaliter fugiebat, hinc si inclinatio ad vitam conservandam, est naturæ rectæ; agere contra illam & mortem appetere, nunquam erit licitum; proinde prostratus in duello non potest licitè sinere se potius ab adversario confodi & interfici quàm ejus beneficio vitam servare.

Dices 2. Si concurrant duo mala, quorum alterum necessariò sit eligendum, tunc licitum est eligere minus malum, ad majus declinandum: ergò concurrentibus simul jacturâ vitæ & honoris, licitum erit vitam potiùs, quàm honorem amittere, si pluris æstimetur honor quàm vita. R. *falsum esse*, prostratum in duellica pugna, ex eo quòd beneficio victoris vitam retineat, honorem amittere, quia tunc cedit necessitati & prudenter agit, si vitam beneficio victoris conservet. Tùm quia jactura rerum omnium temporalium semper est minus malum, quàm perdere vitam, undè qui sinit se potius ab adversario interfici, quàm ejus beneficio vitam servare, eligit majus malum, ad evitandum minùs; quia ut docet Aristoteles 3. Ethic: *Mors est ultimum temporalium malorum*, proindè licet fieret jactura honoris, adhuc prostratus in singulari certamine non potest licitè præferre mortem jacturæ honoris. *Dices*

Dices 3: Quamvis homo non habeat dominium in propriam vitam; attamen per liberum arbitrium est dominus sui ipsius proinde potest concurrere ad sui internecionem R, dist: est dominus suarum actionum, de quibus prout subsunt libero arbitrio potest disponere, concedo, est dominus propriæ vitæ, nego: quia hæc est tantùm sub Dei, potestate adeò, ut solus Deus, sit dominus vitæ, & necis juxta illud Dueter: 32· *Ego occidam & ego vivere faciam.* Ratio est; quia dominium, & ratio dominij est quid relativum, perindè ac paternitas, & sicut nemo est pater sui ipsius; ita neque potest esse dominus sui ipsius ut liquet ex ipso conceptu domini, dicit enim superioritatem respectu illius, cujus est dominus; & nemo est respectu sui superior consèquenter neque dominus. Ex his.

Collige pro fundamento conclusionis, peccare demum contra charitatem talem, quam tenetur exercere in se ipsum & eò graviùs, quò moriens in eo statu propè certum incurrit æternum exitium. Non contendo esse ullam pænitentiam nimis seram; neque dico dolorem de peccatis sub mortem conceptum, irritum esse, cùm id abhorreat, à vera Theologorum sententia, & judicio adversetur Ecclesiæ: quamvis non immeritò S. Augustinus vereatur, nè pænitentia sub mortem concepta etiam ipsa moriatur. Neque enim in illo imminenti discrimine facilis est vera, ac sincera resipiscentis animi contritio, & præsertim in nostro casu duelliceæ pugnæ, cum prostratus malit pertinaciter occidi, quàm se victori dedere, ac vitam ejus beneficio salvare; cùm enim satis

opero-

operosum sit, sedata mente purum sinceræ contritionis elicere actum, & qui idoneus sit ad animæ sordes abstergendas, certè longè difficillimum erit in illo æstu, quem hinc mortis jam jam imminentis metus excitat; inde rabies in adversarium totam mentem perturbat; corpus per lethale vulnus saucium ægritudine tabescit; dæmon omnem suum adhibet conatum, ut secum in æternum exitium trahat mox moriturum; certè difficillimum erit in hisce circumstantijs formare talem actum detestationis peccatorum, qui ad retractandam illam pertinacissimam negationem deditionis, & ex sincero corde condonandam injuriam & vulnus sibi inflictum idoneus sit; proindè moraliter loquendo videtur actum esse de illius salute consequenter vel maximè peccat contra charitatem, quam tenetur in se ipsum exercere, qui mavult in duellica pugna confossus ab adversario victore interfici, quàm ejus beneficio vitam retinere.

§. III.

De personis juvantibus duellatores.

DUBIUM I. *Quo tempore cooperantes duello incurrant pœnam excommunicationis?* Cùm enim duellici cooperatores non excommunicentur absolutè sed tantùm conditionatè, si per ipsos non steterit quominus pugna duellica committeretur; oritur dubium, quando hæc conditio censeatur adimpleri, consequenter, quo tempore duelli cooperatores excommunicationem incurrant. ℟. duellicos cooperatores statim in excommunicationem incidere, cùm principales duellatores incipi-

incipiunt districtis gladijs pugnam vel minores sclopos explodere; quod si duellum non sequatur, & per ipsos cooperatores non steterit quominus sequeretur, tunc incurrunt excommunicationem eo statuto tempore, quo pugna ex condicto erat committenda, quod si tempus ad duellum præscriptum non esset, sed tantùm locus designatus, & condictus, tunc censuras contraherent, quando duellatores ad condictum locum accederent, & per ipsos cooperatores non staret, quominus pugnam inirent, ita sentiunt plures nominatimque Carafa, Peregrinus, Bonac: (a).

DUBIUM 2. An cooperatores etiam incurrerent excommunicationem, si principales duellatores, antequam pugnam inirent ab alijs impedirentur, ne duellum committerent; ratio dubitandi est, quia non sunt ipsi cooperatores, qui duellum impediunt, sed alij, unde per ipsos non videtur stetisse, quominus ad singulare descendissent certamen. Carafa *loc: cit:* censet probabile non incurrere tunc cooperatores excommunicationem, quia tametsi non ipsi, sed alij impedierint duellum; nihilominus, quia hoc duellum nondum erat inchoatum, adhuc potuissent cooperatores illud impedire, antequam committeretur condicto tempore. Sed Felici Verano opposita sententia videtur probabilior, quia summus Pontifex non infligit cooperatoribus pænam excommunicationis, eò quia simpliciter possint duellum impedire, antequam commitatur; sed quia cùm possint non impediunt, nec per ipsos stat, quominus duellum committatur: in casu autem nostro cooperatores potuissent facile duellum impedire, & tamen non impediuerunt; quod si quæras, quando incurrunt excommunicationem? R. eam incurrere, non eo

tempo,

tempore, quo fuit duellum impeditum, ſed quo erat ineundem, quia per ipſos non ſtetit, quominus eo tempore committeretur.

Si dicas Cooperatores niſi præventi fuiſſent, impedimentum fuiſſe præſtituros; ℞. cum diſtinct: vel cooperatores ſe declarârunt coram teſtibus velle omninò duellum impedire, & tunc non incurrerent excommunicationem, tametſi ab alijs præuenti fuerint, quia ſatis conſtat eos non habuiſſe animum, ut duellum committeretur; vel nihil prorſus dixerunt de hac intentione impediendi duellum, & tunc incurrere excommunicationem, quando pugna erat ineunda; quia in iſto caſu tantùm in meliorem partem interprætamur intentionem cooperatorum, Eccleſia autem de internis non judicat ſed tantùm de externis; & verba Pontificia prohibitionis intelligenda ſunt, ſicut ſonant unde cùm per nullum ſignum extrinſecum probari poſſit, quòd eſſent duellum impedituri, per ipſos extrinſecè non ſtetit, quominus committeretur duellum.

DUBIUM 3. *An excommunicationem incurrat, qui amico duellaturo cum armis minùs idoneis, alia magis apta ad duellicam pugnam accomodat?* ℞. cum diſt: vel illa arma data duellatori ſunt cauſa, ut promoveatur duellum, adeò ut duellator cum illis armis aptioribus ſibi accomadatis deſcendat ad ſingulare certamen, ad quod cum armis minus idoneis non deſcendiſſet; & tunc nulli eſt dubium; quin accomodans arma incidat in excommunicationem, quia eſt cauſa duelli, quod non fuiſſet ſecutum, ſi arma aptiora non exhibuiſſet amico: vel exhibitio armorum nihil influit ad promovendum duellum, adeò ut duellator paratus ſit etiam cum armis minus idoneis duellare,

eliare, & in isto casu ob simplicem & præcisam exhibitionem, & donationem armorum idoneorum non incurrere excommunicationem: quia Pontifex tantùm præsumitur prohibuisse eam armorum subministrationem, quæ aliquo modo sunt causa, cur duellator descendat ad singulare certamen. Tùm quia pænæ inflictæ non sunt, nisi ijs, qui iniquè arma subministrant, ut promoveant, & causent duellum. Tum quia qui arma subministrat lethaliter peccat, siquidem est causa ipsius duelli; & omnes actiones duellicæ, quæ prohibentur à Pontifice, sunt etiam prohibitæ jure naturali ac sunt peccatum lethale, unde quando actio non est peccatum lethale non incurritur excommunicatio, quæ utpote pæna gravis, supponit culpam itidem gravem; quòd verò in casu nosto illa exhibitio armorum idoneorum ejusdem tamen speciei cum illis adversarij non sit intrinsecè mala, nec peccatum lethale, ex eo liquet, quia hic & nunc, non est causa scandali, neque duelli ineundi, quod supponitur committendum etiam independenter à tali armorum exhibitione: ergo possint licitè subministrari, ut docent Hurtadus & plures alij (b) Et certè si viderem hominem malè armatum descendere ad singulare certamen, & viderem ejus adversarium incedere loricatum, tunc si non possem ullo pacto impedire duellum, ad quod tenerer; opus exercerem charitatis, si inermi loricam subministrarem, & aptiora arma æqualia illis adversarij, ut posset se defendere. Quando Pontifex sub excommunicatione prohibet duellatoribus arma subministrare loquitur de illa exhibitione, quæ aliquo pacto promovet duellum; in casu autem nostro exhibitio armorum nihil prorsus influit, & tantùm fit ad eum finem simpliciter ut duellator

lator possit se defendere, ac æqualibus armis pugnare cum adversario

DUBIUM 4. *An servi duellantium incidant in excommunicationem, si duellaturis dominus præparent equos, arma & alia similia?* ℞. cum dist; si famuli absque gravi eorundem incommodo, non præstando præfata servilia obsequia, possent duellum impedire, utique tenerentur talia servitia non præstare, & si ea exhiberent, incurrerent excommunicationem, quia essent quodammodo causa duelli, quod possent impedire, quia in Gregoriana constitutione expressè includuntur illi, qui arma subministrant equos, & alia similia, sine quibus duellum non committeretur Quod si famuli non exhibentes talia servitia, & detrectantes parere dominis essent dimittendi, & nihilominus domini vel per se immediatè, uel per alios pararent sibi equos, arma, adeò, ut ex servitijs non præstitis, à famulis non sequeretur impedimentum ullum in ordine ad executionem duelli; in isto casu, famuli præstantes præfata servitia non incurrerent pænam excommunicationis, quia tunc non dicerentur arma aut auxilia duellantibus subministrare; & omittentes parere dominis, adhuc duellum sequeretur; ratio à pejori est, quia hujusmodi obsequia sunt ex se actiones indifferentes, quæ directè non tendunt ad malum.

Dices si herus, juberet famulum ducere ad talem locum equum cum minoribus sclopetis, ut ibi eum expectaret; & postea herus non post multum temporis illuc rhedâ veheretur, ac famulo diceret, des mihi equum, quia debeo duellare cum meo adversario, qui brevi erit huc venturus, an famulus exhibens hero equum, & arma in ordine ad duellum, brevi committendum incurreret excommunicatio-

nicationem. R. *negativè* quia ille famulus tantùm equum illum detinet ad custodiendum & herus potest illum exigere ut suum, ut etiam arma: sicuti si herus pecunias custodiendas tradidisset famulo, quas postea vellet repetere ut ijsdem uteretur, pro duello committendo; utique non teneretur sub pœna excommunicationis eas exigenti hero non restituere, quia non esset subministratio pecuniæ, sed potiùs restitutio pecuniæ pertinentis ad verum dominum: ita à pari non teneretur famulus denegare domino petenti equum, & arma ad ineundum duellum; quia dominus exigit, quod suum est.

DUBIUM 5. *An amico eunti ad locum duelli subministrari licitè possit pecunia, ut post absolutum duellum fugiens illam secum deferat?* R. cum dist: si enim hujusmodi administratio pecuniæ sit causa, ut amicus duellum ineat; quæ si ipsi deficeret non committeret duellicam pugnam, eò quia amicus post duellum nesciret, quò sine pecunijs esset iturus, tunc non possent pecuniæ subministrari licitè, quia exhibens pecunias esset causa duelli committendi; quapropter in hoc modo subministrans pecunias amico eunti ad duellum, procul dubio auxilium præstat duellatori, ac incurrit excommunicationem. Sin autem hæc subministratio pecuniæ, non promoveat duellum, nec sit causa illius, adeò ut amicus, tametsi ei denegetur pecunia, sit pugnaturus in duello; in isto casu qui amico duellaturo suppeditaret pecunias, non incideret in excommunicationem, quia illa exhibitio pecuniarum, nec physicè nec moralitèr influit in duellum, nec promovet illud; siquidem pecunia non est persvasio, nec instigatio, nec aliud genus causæ moralis, nec promovet ipsum duellum, cum

suppo-

supponatur amicus, etiam sine tali pecunia, velle duellicam pugnam inire; unde illa pecuniæ subministratio perinde se habet ac si post absolutum duellum fieret, quinimo si duellator esset consanguineus, uel frater, & nullo modo possit impediri à duellica pugna, illa pecuniæ subministratio caderet quodammodo sub aliquam obligationem, quà frater tenetur consulere fratri indigenti: quod si, qui pecuniam subministrat, posset auertere amicum, vel consangvineum à duello suscipiendo, vel ob denegatas pecunias, vel alio modo & id non faceret, utique peccaret letaliter, & incurreret excommunicationem.

DUBIUM 6. *An Aurigæ, bajuli, lecticarij, deducentes duellatores ad locum duelli, incurrant excommunicationem?* R. quòd si aurigæ, & bajuli, scirent pro certo duellatores absque tali commodo vectario non esse commissuros, duellum inciderent in censuras, si duellatores ad locum duelli deducerent, quia cùm possent impedire duellum, non id præstarent; consequenter essent quodammodo causa duelli ineundi: sin autem duellatores, tametsi ab aurigis uel lecticarijs non deducerentur ad locum duelli, adhuc duellicam pugnam inirent in isto casu lecticarij, & alij deducentes non incurrerent excommunicationem, quia non essent causa duelli, nec possent illud impedire, cùm supponatur etiam sine illis esse duellum committendum ut docet Azor (c) Tum quia bajuli, & aurigæ non nisi materialiter se habent in ordine ad duellum deferentes duellatores ad condictum duelli locum, proinde non peccant, nec incurrunt excommunicationem; ut docent Tannerus, Layman, Turrianus, Sanchez, & alij (d)

DUBIUM 7. *An suadentes, vel consilium dan-*

tes in ordine ad ineundum duellum, si postea consilium revocent, & suadeant duellatoribus, ut omittant duellicam pugnam, & nihilominus ipsi pugnent, an tunc suadentes; incidant in censuras, & pœnam excommunicationis? ℞. *negativè.* quia tametsi suadentes influxerint in duellum, quod persuasiones promoverant, nihilominùs si conentur postea avertere duellatores à duello, ac impedire omni conatu, ne pugnent, tunc ipsi non influunt in duellum: quia revocare consilium & impedire duellum non est peccatum, imò opus bonum, proindeper talem actionem non possunt incurrere excommunicationem, quæ utpote gravis pœna debet supponere peccatum grave: neque obstat, quòd antea persvaserint duellum: quia jam tale consilium revocatur, & non amplius manet. Tum quia ut habetur *cap: 1. extra de regula juris,* res quælibet per easdem causas dissolvitur, per quas nascitur: atqui culpa contracta fuit ex dato consilio: ergò eodem consilio revocato, & dissoluto dissolvitur & culpa. Tum quia Pontifex punit pœnâ excommunicationis dantes consilium ad duellum, etiam non secuto effectu, non tamen simpliciter & absolutè eos excommunicat, sed conditionatè, hoc est si per ipsos non steterit quominus duellum committeretur: atqui isti supponuntur post primam svasionem adhibuisse postea omnem conatum ad avertendos duellatores à pugna: ergò non comprehenduntur Bullâ Pontificiâ, qua puniuntur excommunicatione dantes consilium in ordine ad ineundum duellum. Verum tamen est, quod si consiliarij tametsi per solam consilij revocationem, non possent duellicam pugnam impedire; possent tamen alio medio, tenerentur illo uti ad omninò impediendum duellum.

DUB.

DUBIUM 8. *An qui animo duellandi provocatorium libellum composuit, sed non affixit, nec intimavit per se, nec per alios, in duellicas incidat censuras?* R. *Negativè*: Ratio est; quia tunc delictum non est consummatum, proinde locum non habent pænæ impositæ contra delinquentes, quia ut supra diximus pænæ istæ tunc incurruntur, cùm delictum consummatur: leges enim pænales, cùm sint stricti juris, sunt contrahendæ, adeo ut non sufficiat sola malitia interna, sed requiritur actio externa consummata ut docent Suarez Panormitanus [e] & communiter alij asserentes pænam ipso jure impositam non incurri, nisi per delictum consummatum adeò, ut inchoatio ejusdem non sufficiat: ergò cùm in casu nostro sola compositio, uel scriptio libelli duellici non sit actio consummata provocatoria ad duellũ, sed consummanda per publicam affixionem, & intimationem, quæ intimatio in casu nostro deest; ideo qui tantùm composuit libellum provocatorium, non incidit in excommunicationem.

DUBIUM 9. *An saltem incurrant excommunicationem, intimantes, & publicantes libellos provocatorios ad duellum, tametsi postea non sequatur duellum?* R. *affirmativè* Ratio est quia in constitutione Clementis VIII expressè prohibentur sub pæna excommunicationis hujusmodi intimationes, & publicationes tametsi postea non sequatur pugna, ait enim Pontifex: *præterea pari ratione prohibemus omnia, & singula ejus generis, scripta manifesta, seu fides vulgò appellata, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, quasi tamen præparatoria quædam &c.* Vnde si Pontifex prohibet hujusmodi manifesta, tametsi non sequatur provocatio ad duellum, à fortiori sub ijsdem pæ-

nis prohibentur tametsi non sequatur pugna; hæc enim actio enumeratur in Clement: constitutione tanquam una ex principalibus quæ prohibentur; propterea ea solâ consummatâ, delictum intelligitur itidem absolutum, & consummatum, ita ut talis actio per se etiam seorsim, à duellicâ pugna sit sub pæna excommunicationis prohibita, ergò intimantes uel publicantes duellica manifesta, tametsi postea non sequatur pugna, incurrunt excommunicationem. Aduerte tamen, quòd non sufficit, si talia manifesta sint tantùm scripta, dictata, uel composita, sed ulterius debent esse denunciata, ac intimata, quia per hanc publicationem & intimationem consummatur hæc actio prohibita sub pæna excommunicationis.

a Carafa *tract: 2. de duello sect: 3. quæst: 54.* Bonac: *de censuris tom: 1. disp: 2. quæst. 6. punct. 1. proposit: 4. n. 33.*

b Hurtadus *disp: de charit: disp: 170. sect: 11. subsecuti 3. §. 184.* Layman: *tract. 3. cap: 13. n. 4* Cajetan: 2. 2. *quæst: 174. artic: 2.*

c Azorius *tom: 2. lib: 12. cap: ult: quæst: 8.*

d Tannerus 2. 2. *disp: 2. quæst: 9. dub: 5. n. 144.* Layman. *lib: 2. tract: 3. cap: 13. n. 5.* Turrianus. 2. 2. *disp: 95. dub. 3.*

e Suarez *de religione tom: 1. lib: 4. de simonia cap: 55.* Panormitanus *in cap: 1. de eo qui mittit in possession: n. 13.*

DUBIUM 10. *An præter pænas excommunicationis, etiam pænam privationis sepulturæ Ecclesiasticæ duellatores incurrant?* R. affirmativè. Certum est enim duellatores & patrinos, ex decreto concilij Tridentini & constitutionibus summorum Pontificum incurrere pænas excommunicationis: etsi duellatores decedant in ipso conflictu privari

etiam

etiam Ecclesiasticâ sepulturâ, adeò ut duas incurrant pœnas distinctas scilicet excommunicationis, & privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, dixi *distinctas*, quia potest casus contingere ut duellatores decedentes in ipso conflictu absoluantur ab excommunicatione, & nihilominus puniantur pœnâ privationis Ecclesiasticæ sepulturæ *Neque obstat.* cui conceditur majus esse, itidem concedendum minus, proinde si duellatori in conflictu decedenti, conceditur absolutio ab excommunicatione, concedenda ibidem absolutio à pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, cùm hæc secunda pœna sit minor primâ. Non obstat inquam, quia Ecclesia eatenus permittit, ut decidentes in conflictu absolvantur ab excommunicatione ne intereant, sine sacramentorum præsidio. Non permittit verò, ut absolvantur à pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, quia hæc infligitur propter inobedientiam, & ad terrorem cæterorum, ut notat Hurtadus *disp: 170. sect: 21. subsect: 1. §. 147.*

Si quæras, Quid per pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ intelligatur? ℟. privationem Ecclesiasticæ sepulturæ, dupliciter posse intelligi. *primò* pro privatione eorum omnium quorum mortui sunt capaces, eo pacto, quo excommunicati privantur ijs omnibus rebus sacris, quas cum cæteris fidelibus possent participare: hinc privatio Ecclesiasticæ sepulturæ in hoc sensu negat cadavera humari in loco sacro, negat suffragia, missas, officia, & alia bona spiritualia posse applicari defuncto; negat etiam exequias, apparatus funebres, quia hæc omnia pertinent ad mortuum, & ijs privantur, qui decedunt excommunicati, quia juxta sacros canones, institutum est, ut quibus non communicamus vivis, neque communicemus mortuis,

ut habetur, *cap: sacris de sepultura.* Et Abbas notat, eos qui privantur Ecclesiasticâ sepulturâ, non esse sepeliendos prope cæmeterium, sed in loco talem tam dissito ab Ecclesia, ut voces cantantium Clericorum audiri non possint. *Secundò*, pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ intelligitur minùs rigorosè scilicet ut cadauer sepeliatur in loco non sacro sine funebri apparatu, sine pompa, sine exequijs. Ratio est, quia cùm hæc privatio sit pœna & odiosa debet accipi strictè, ut sonat. Est enim regula communis, odiosa non esse extendenda ad alias pœnas non expressas in decretis: hinc censent Theologi inter quos Carafa, de prohibitione duelli (a) Duellatores in conflictu decedentes & absolutos ab excommunicatione, privari quidem Ecclesiasticâ sepulturâ, posse tamen pro eis offerri suffragia, quæ pro ijs omnibus offeruntur, qui sine excommunicatione moriuntur.

DUBIUM 11. *An duellatores qui decedunt in ipso conflictu, cum signo pœnitentiæ, quo ab occurrente sacerdote absoluuntur à pœna excommunicationis, & à peccatis adhuc privandi sint Ecclesiasticâ sepulturâ?* ℞. *affirmativè.* id est non esse sepeliendos in loco sacro, eò quia ille duellator nobilis decessit in ipso conflictu, & paulò post inflictum vulnus exspiravit, unde tametsi dederit signa extrinseca pœnitentiæ, quibus ab occurrente sacerdote potuerit absolvi ab excommonicatione, & peccatis, non tamen censetur absolutus à pœna privationis Ecclesiasticæ sepulturæ. Ratio est; quia Concilium Tridentinum absolutè statuit, ne decedentes in duello sepeliantur in loco sacro, nullâ positâ exceptione, nisi dederit signum contritionis, & nisi absolutus fuerit à pœna excommunicationis & à peccatis; sed absolutè prohibet ne

sepeli-

ſepeliantur in loco ſacro; quam pænam ad hunc præciſe finem impoſuit, ut cæteri deterreantur, ac avertantur à duellis: quamobrem, cùm prohibitio concilij ſit abſoluta & generalis non eſt limitanda, adeò, ut excludantur illi caſus, in quibus decedentes in duello dant ſigna contritionis, & abſolvuntur ab excommunicatione & peccatis.

Dices, cum aliquibus, Concilium eatenus prohibuiſſe ſepeliri in loco ſacro decedentes in duello, eò quia ſupponit eos in peccato lethali mortuos, qua ratione judicat illos loco ſacro indignos verùm hæc reſponſio nullius eſt momenti, quia Concilium, non adfert illam rationem, nec mens Concilij fuit eos privare Eccleſiaſticâ ſepulturâ, eò quia decedant in letali: ſed mens Concilij fuit eam pænam infligere ad deterrendos alios.

Dices cum alijs, non eſſe præſumendum Concilium Tridentinum eos voluiſſe deſtitutos Eccleſiaſticâ ſepulturâ, & in locis abiectiſſimis cum jumentis & beſtijs perpetuò ſacere, qui probabiliter cenſentur eſſe in numero electorum, ac gaudere in cæleſti patria, clara viſione beata: ideò &c. Sed & hæc ratio non convincit, quia etiam privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ non indicat eos, qui afficiuntur tali pæna eſſe damnatos, quia ſepeliri extra locum ſacrum, non eſt ex natura rei malum, plures enim ſunt, qui decedentes in gratia non ſepeliuntur in loco ſacro, ut ſunt illi, qui morientes in navibus proijciuntur in aquas, non enim eſt ulla obligatio ſervandi cadauera, ut cùm primum naves ad portum appulerint, ſepeliantur in loco ſacro; ſin autem ſepeliri extra locum ſacrum, eſſet ex natura rei malum, utique eſſent ſervanda in navibus hujuſmodi cadauera. Tum quia qui ex ſuſceptis vulneribus intereunt in bello juſto, non ſepeliuntur

tur in loco sacro, sed passim in campis, fossis, ad id excavatis, & tamen plures ex ipsis supponuntur decedere in gratia. Tum quia Ecclesia subinde comburit cadavera hæreticorum relapsorum, & etiam ipsos Hæresiarchas resipiscentes, confessos, & absolutos etiam ab excommunicatione, & prohibet eorum cineres sepeliri in loco sacro. Tum quia etiam magistratus sæcularis subinde ob enormia delicta jubet reos tametsi mortuos, præmissa confessione & communione, optimèque dispositos sepeliri in loco non sacro, relinquendo eorum cadauera, vel corvis discerpenda, vel sub ipso patibulo absumenda, vel etiam in plures partes divisa exponenda in locis publicis, ad cæterorum terrorem: ex quibus liquet, carere sepulturâ Ecclesiasticâ non esse ex natura rei malum, nec ullum indicium damnationis æternæ; proinde rectè potuit Concilium Tridentinum statuere has pænas, contra duellatores decedentes in conflictu ad terrorem aliorum, & ad illos avertendos à duellis.

Tum quia post Rituale editum jussu Pauli V. nulla potest superesse difficultas, decedentes in ipso duello esse privandos Ecclesiasticâ sepulturâ; siquidem expressè titulo de exequijs prohibentur parochi eos sepelire in loco sacro, qui obierunt in duello, tametsi signa dederint pænitentiæ, & absoluti fuerint à censuris: & Pontifex procul dubio allusit ad censuras inflictas à Concil: Tridentino, & alijs antecessoribus Potificibus; siquidem Pontifex in illo Rituali nullas de novo imponit censuras, sed tantùm Rubricas dirigit juxta mandata Pontificum præcedentium. Cùm igitur Romanus Pontifex sit optimus & legitimus interpres legum Ecclesiasticarum, perspicuè constat mentem Pontificum & Concilij privare Ecclesiasticâ sepul-

ſepulturâ occumbentes in duello, tametſi ſigna dederint veræ pænitentiæ, & abſoluti fuerint ab excommunicatione & peccatis. Tum quia hoc idem firmari poteſt *ex cap' felicis memoriæ* de torneamentis, ubi prohibentur ſepeliri in loco ſacro, qui in iiſdem occiduntur, tametſi ſacramentum pænitentiæ eis petentibus denegandum non ſit: ergò multò magis debent Eccleſiaſticâ ſepulturâ privari decedentes in duello. Et quamvis in legibus odioſis ob paritatem rationis non videatur bonum argumentari, ab uno caſu ad alterum, nihilominus inde evidenter probatur pænâ privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ poſſe etiam eos affici, qui ſigna dant pænitentiæ, & ſuſcepta abſolutione moriuntur in gratiâ; & ut probetur Eccleſiam non imponere talem pænam, eò, quia cenſeat eos decedere, in peccato letali, ſed tantùm ut cæteri deterreantur, ac auertantur à deteſtabili uſu duellorum. Tum quia, licet caſus de torneamentis ſit diverſus; moraliter conſideratus plurimum habet affinitatis cum duello, ſiquidem includit quid malitiæ quaſi ſpecificæ, quæ eſt in illo torneamentorum, ſcilicet congredi inter ſe in loco & tempore condicto, cum periculo vitæ; ob has rationes, ſiquidem ſtatuitur pæna privationis Eccleſiaſticæ ſepulturæ: atqui in duello etiam plures inter ſe congrediuntur, in loco; & tempore condicto, propterea eſt vtrinque par ratio: differentia autem inter utrumque caſum ex parte noſtri eſt multò gravior, ſiquidem in torneamentis non tenditur directè ad occidendum & lædendum, quod tantùm per accidens contingit: in duello autem directè intenditur vulnus, & mors adverſarij. Hinc ex ipſa intentione occidendi, graviſſimè peccant ambo duellatores, propterea duellum etiam vergit in æternam

nam damnationem ; non ita in torneamentis, quæ non supponunt ullum malũ animũ vel aliud peccatũ nisi quod ex periculo mortis licet casuali, reddi possit peccaminosa ea actio : ergò si Ecclesia prohibet sepeliri in loco sacro, qui in torneamentis occiduntur casualiter ; à fortiori sequitur potuisse talẽ pœnã imponere occumbentibus in duello.

DUBIUM 12. An vulnerati in duello, qui uno, aut altero die post completum duellum supervixerint, sint etiam privandi Ecclesiasticâ sepulturâ, supposito quòd moriantur in propria domo sacramentaliter confessi, & absoluti à censuris & peccatis? ℟. *Negativè* Ratio est, quia Concilium & Pontifices tantùm statuerunt pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ pro ijs qui decesserunt in ipso duello : in casu verò nostro duellatores non moriuntur in ipso conflictu. neque in loco pugnæ, & consequenter non verificatur de ipsis illa clausula apposita in decreto Concilij Tridentini : quæ est *si in ipso conflictu decesserint*; & cum sit regula universalis, odia & pœnalia non esse amplianda, sed restringenda, sequitur hanc pœnam privationis Ecclesiasticæ sepulturæ esse restringendam ad eos solos, qui in ipso conflictu decedunt, post breve tempus, non verò debet extendi ad illos, qui uno ab altero die, post conflictum contriti & confessi decedunt in propria domo; ita docent Diana & alij plures [b]

DUBIUM 13. *An cap. 19. de duello sess. 25. de ref.* locum habeat in eo qui absque assignatione loci ad monomachiam & absq; vocatione patrinorum, in primo iræ impetu in rixa, calore iracundiæ alium vulnerat, ita ut propterea hoc in casu is privari non debeat Ecclesiasticâ

siasticâ sepulturâ: ℟. cum Pignatellio non habere locum, & ideò non privari Ecclesiasticâ sepulturâ. Ita censuit S. Congregatio Concilij in una Segobiem die 25 Octobris 1644. Non enim est duellum, si non est assignatum tempus, & locus etiam in terminis Constitutionis Clementis VIII. vide Cherubinum *in d. Constit. 1. ac Bonac* Jdque etiam si assignetur locus. Et sit in continenti. Hæc compendio de bello tam publico, quàm privato, at defacto moderno tempore, omnia perversissima, ut meritò modernus aliquis doctor, moderna bella appellet latrocinia.

a. Carafa *de probib: duell: sect: 3. quaest: 17.* Hurtadus *tom: 8, disp: 170: sect: 1. §. 1705.*

b. Diana *p 2. tract. 16. resol: 54.* Sancius *in selectis disp: 39 num: 9*

c. Pignatellius *Tom. 1. Consult: 317. p. 317* Bonac. *tom: 3. disp. 2. quaest: 3, punct: 48. n. 24.*

§. IV.

De multis alijs, qui periculo mortis suam vitam exponunt.

Quia non solùm in bello tàm publico, quàm privato quis potest mortis periculo vitam suam exponere; sed etiam multis alijs modis ideò ad videndum, quid etiam circa ipsos dicendum sit, breviter hic non nullas difficultates, & dubia resolvemus.

DUBIUM 1. *An liceat se exponere mortis periculo in agitatione taurorum, & aliarum ferarum?* ℟. Negativè ex Bulla Pij V. quæ incipit

cipit: *De salute gregis Dominici* promulgata Calend Novembris 1569. Tùm etiam quia torneamenta in jure Canonico prohibentur *C 1. & 2. de torneamentis*, adeo ut qui in illis moritur, quamvis confessus, & sacra communione munitus decedat, non sit in sacro loco sepeliendus At agitatio taurorum, torneamentis similis esse videtur. Ergo idem dicendum prorsùs erit de ea. Tum denique quia nulla ratio ad id inducere videtur: ostensio enim virium & alia hujusmodi potiùs sunt vanitates, quàm rationes ut notat Navar: *in Manuali cap: 15. num: 18.* sed pro majori claritate. Adverte cum eodem Navar: quòd hoc non est intelligendum de ea agitatione taurorum & ferarum ex qua probabiliter non sunt secutura notabilia nocumenta personalia, puta mortes, vulnera, ossium ruptura, & alia hujusmodi; Tùm quia ratio & finis prohibitionis supra positæ est, quia frequenter ex hujusmodi agitatione sequebantur talia nocumenta, ut colligitur ex proëmio, ejusdèm Bullæ, quo causa finalis legis solet conijci, quapropter de electione, sed hujusmodi cessant in agitationé ita moderata, ut supra dictum est: Ergò etiam ejus dispositio cessare debet, quia juxta limites rationis ejusdem legis dispositio debet restringi vel adstringi. Tùm denique quia videmus in urbe, & extra quotidiè hujusmodi agitationes permitti; & esse in usu, & in ipsas intervenire Ecclesiæ magnates, quod tamen certè non fieret, si essent prohibitæ.

DUBIUM 2. *An liceat in aliquo loco se ipsum mortis periculo exponere, ut puta funambulis super funem &c.* R: negativè ex Sylvestro

stro *V. Ars qu: 8.* per hoc tamen non excluditur, quod funãbulos nullo modo possit sic supra funem colludere; Nam si prudentis arbitrio, ille funambulus talibus viribus, & velocitate pollet, locusque sic est aptus, & sine periculo verisimili talem jocum exercere potest; tunc absque dubio ludere potest, *ex extravag: 2. Ioannis 2. 2 de torneamentis.*

DUBIUM 3. Quid sit dicendum de his, qui sumunt, vel dant venenum ad experiendam teriacam, vel alia medicamenta. In hac re duplex est sententia, una affirmativa & altera negans: Inter quas nos respondemus, quod si prius sit facta debita diligentia, ut si qui composuit talem medicinam pro homine legali habeatur, & juxta consilium plurium medicorum insignium eam composuerit, juxta præcepta medicinæ, & prius in aliquo bruto animali sit factum experimentum, tunc licitè quis potest venenum haurire, & alteri dare ad experienda hujusmodi medicamenta, secùs tamen dicendum est, si hujusmodi diligentia non sit adhibita, cujus ratio est, quia, in primo casu nullum videtur esse periculum vitæ; benè tamen in secundo.

Advertendum tamen est; quod hic non est sermo de histrionibus qui in publicis plateis experimenta faciunt: Isti enim potiùs homines decipiunt, ut ab eis pecunias extorqueant, quàm quòd periculo mortis se exponant, ideò absque dubio licet non peccent, exponendo se periculo mortis, peccant tamen homines decipiendo.

DUBIUM 4. *An peccat ægrotans, aut sanus qui concedit, aut bibit aliquid, quod potest grave nocumentum illius saluti inferre?* ℟. *affir-*

mativè

mativè. Ita ex Innocent: *recep: in c. & alibi;* & maximè, si illa medicus interdixerit; quòd si damnum sit exiguum non erit amplius, quàm veniale peccatum secundùm eundem.

DUBIUM 5. *An ebrietas scienter non ex delectatione potùs, sed propter medicinam sit licita, ad recuperandam valetudinem?* Videtur respondendùm negativè: nam ebrietas non prodest, sed potius obest valetudini, efficit enim corpus fædum, imbecillum, ac enerve alterando, & corrumpendo humores, hinc sequitur oculorum lippitudo, narium coryza, oris graveolentia, membra tremula: hinc oriuntur capitis destillationes, tusses, fædique screatus, aapoplexia, paralysis membrorum, morbique articulares, ut rectè observavit S. Aug: serm: 23. ubi loquens de ebrijs ait: *Est in illis oculorum caligo, vertigo, fatigatio, dolor capitis, suffusio vultûs, membrorum omnium tremor, animæ ac mentis stupor.* Quinimò ex ebrietate non solùm in corpus, verùmetiam in animam plura & maxima redundant mala, quæ recenset D. Ambros: *lib: de Elia & jejunio* cap. 16. inquiens: *ebrietas fomentum est libidinis, incentivum insaniæ, venenum insipientiæ; hæc sensus hominum mutat, deformat, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes, siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore inflammati cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur.* R, cum Cajetano & Navarro *affirmativè* [a] qui concludunt ebrietatem non ex delectatione potus, sed propter medicinam esse licitam, si medicinæ ars disponeret ebrietatem esse necessariam ad evacuationem seu curam alicujus infirmitatis, quia ebrietas

etas in illo casu non est ebrietas formaliter, quæ est peccatum, sed materialiter tantùm quoniam non esset ex delectatione in potu vini, & excessus vini in potu non esset causâ voluptatis, sed fieret ex præscripto medicorum, & per modum medicinæ. An autem sit ita defacto ut medicina disponat in aliquo eam ebrietatem necessariam esse ad recuperandam valetudinem, non est Philosophi moralis, nec Theologi, sed scientiæ medicinæ opus. Sufficit nobis scire, quæ refert Marian: Soc. *in c. si consisteris num 20. de accusat*: se vidisse Florentiæ Magistrum Ugonem Bentium insignem Philosophum & medicum cognatum suum frequenti ebrietate quendam filium Bernardi de Vzano, à periculoso morbo liberasse. Quod videtur ex mente D. Thomæ [b] ubi ait: Cibus & potus est moderandus secundùm quod competit corporis valetudini, & ideo sicut quandoque contingit ut cibus vel potus, qui est moderatus sano, sit superfluus infirmo; ita etiam potest è converso contingere ut ille qui est superfluus sano, sit moderatus infirmo. Et hoc modo cùm aliquis multum comedit & bibit, secundùm consilium medicinæ ad vomitum provocandum non est reputandus superfluus cibus vel potus, Hæc ille. Et quamvis subdat: Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur potus inebrians, quia etiam aquæ tepidæ vomitum causant; & ideo propter hanc causam non excusaretur, aliquis ab ebrietate. Tum quia posset contingere ut quis esset talis complexionis, ut ex vino quantumcunque & qualitercunque sumpto inebriaretur, & ex alio potu gravis lædæretur in corpore; quo casu ei liceret vinum sumere

mere, & uti minus malo, se ebriando, alioquin esset perplexus, quod esset absurdum.

a. Cajetanus in summa verbo *Ebrietas* Sylvest: *quæst*: 3. *de jejunio* Navarr: *c*. 23. *num*: 119 Toletus *lib*: 8. *cap*: 61. Bonac: *disp*: ult: *de præceptis Ecclesiæ*.

b. D. Thom: 2. 2. *quæst*: 150. *artic*: 2. *ad tertium*, *PP*. *propos* apud Fagn: loco cit. n 15.

Dices 1. Non est licita inebriatio ad evitandam sævitiam tyranni ut sic relinqueretur pro bono communi. Ergò nec licita ad recuperandam valetudinem: ℞, nego paritatem; nàm cùm potus talis in ordine ad primum & proximum finem sit immoderatus, quia in ordine ad corpus & usum rationis est immoderatus- & hujusmodi immoderatio scienter facta sit peccatum ex suo genere; & non sunt facienda mala, ut eveniant bona, non excusaretur à peccato non solùm qui inebriaretur, sed nec si medium excederet in cibo & potu ut evaderet sævitiam tyranni, aut infidelis. Non sunt enim hæc congrua media ad hujusmodi finem. Non enim valet illatio, ad infirmitatem curandam licet se inebriare; ergò & ad evitandam tyranni sævitiam. Quoniam videmus ad evitandam mortem naturalem licere se ipsum mutilare, ut si membrum putridum sit corporis corruptivum. Ita S. Thom: 2. 2: *quæst*: 65. *artic*: 1. Sylvest: *Verb homicidium* adeo ut nec propterea incurratur irregularitas, nisi ex mutilatione inducatur defortitas vel impotentia ad ordinis executionem. Et tamen ad vitandam mortem à tyranno imminentem non licet sibi manum aut pedem amputare. Similiter propter infirmitatem in die-

bus jejunij licet carnes comedere. Et tamen tyranno sub minis mortem esum carnis præcipienti diebus prohibitis non posset obtemperari sine reatu mortalis peccati; ut patet exemplo Machabæorum. Et ratio disparitatis est quia ebrietas, abscissio membri, & esus carnium possunt esse remedia naturalia, & quandoque necessaria ad salutem corporis secundùm artem medicinæ ut dictum est supra. At mortem à tyranno imminentem naturaliter depellere non possunt, nec sunt media ad id ex necessitate ordinata, sed per accidens tantùm ob pravam intentionem tyranni. Ita D. Thomas *in quæst: 64. artic: 7. ad quartum* 2. 2. ubi assignans differentiam, cur liceat homicidium committere se defendendo pro conservatione propriæ vitæ, & tamen non liceat committere simplicem fornicationem, vel adulterium vel quodcunque aliud peccatum mortale pro conservatione propriæ vitæ, cùm vita spiritualis præferenda corporali. Actus inquit fornicationis vel adulterij non ordinatur ad conservationem propriæ vitæ ex necessitate, sicut actus ex quo quandoque sequitur homicidium.

Dices 2. ex Arsdechino *Tom: 2. quæst: 18. pag: 149.* Formalis ebrietas censetur esse intrinsecè mala, ac proinde nunquã licita: cùm per eam homo contra naturã reddatur similis bruto in actionibus suis, etiam dum vigilat. R: retorquendo argumentũ. Formalis ebrietas est intrinsecè mala & proinde nunquã licita; sed in nostro casu non est hic ebrietas formalis. Er: non est intrĩsecè mala, consequenter licita; nam ebrietas aliquando ex aliqua circũstantia potest sine peccato, maximè ebrietas non ex delectatione potûs, sed propter medicinam est licita, si medicinæ ars disponat

ebrietatem esse necessariam ad evacuationem seu curam illius infirmitatis, quia in illo casu non est ebrietas formalis ut prætendit argumentum, sed materialis tantùm, cùm non sit ex delectatione in potu vini. Argumentum currit ex falso supposito. Hoc enim casu nec respectu ebrij, nec respectu inebriantis videtur ebrietas formalis, non respectu ebrij qui fortè inebriatur ignorans potentiā uini, sicut Noe, qui primus vineā plantavit, deditq; naturam, sed ignoravit potentiam, & vinum nec suo pepercit authori, ut legitur, undè talis non peccat. Vel certè si inebriatur voluntariè, non tamen ex voluptate, & concupiscentia vini, sed ut pareat medico sic præcipienti: & sic ebrietas respectu ebrij non est formalis, sed nec respectu inebrieantis, qui principaliter non intendit ebrietatem, sed valetudinem recuperandam quæ licita est, voluntas enim specificatur ab objecto.

Dices 3. Ebrietas non est licita ad salutem Reipublicæ; ergò etiam non est licita ad valetudinem recuperandam ex præscripto & consilio medicorum. ℟; nego consequ: Ratio disparitatis est: Nam in primo casu potus in ordine ad proprium & proximum finem valetudinis, non est immoderatus, si medicinæ ars tantùm vini copiam requirat ad provocandum vomitum & morbum depellendum. Undè ebrietas tunc non est peccatum, quia est per accidens, & non provenit ex inordinata concupiscentia & voluptate vini, cum cognitione potentiæ illius vini ad inebriandum, quæ est ratio formalis ebrietatis. Jn secundò autem casu potus non ordinatur per se ad revelationem secreti, vel ad salutem Reipublicæ, sed propri-
us &

us & proximus illius finis est ebrietas, & revelatio postea contingit per accidens, quia ebrius perdit usum rationis, secundùm quam, id est rationem secretum occultabat. Cap: *Venter 35. dist:* & *cap: Jane 15: quæst: 1.* Moralia autem recipiunt speciem non ab his quæ per accidens eveniunt: sed ab eo, quod est primò & per se intentum: Quare hoc secundo casu ebrietas est formalis, & sic intrinsece mala. Quamobrem licet ex revelatione ebrij prodiret bonum commune Reipublicæ, tam nefas esset uti hoc medio ebrietatis, quia non sunt facienda mala ut eveniant bona. Tum quia, revelatio secreti quam quis faceret, dum laborat ebrietate nullius esset momenti, cùm ebrij testimonium non valet. Imò *jura* disponunt ne quis testimonium dicat nisi jejunus, ita Fagnanus *in 2. p. lib: 3. Decr: n: 56.* & *57.* & plura in hac materia vide ibi.

Dices 4. Licita est ebrietas ad evitandam sævitiam tyranni pro securitate vitæ propriæ. Ergò similiter licita erit pro securitate Regni aut Reipublicæ, cùm publicæ salutis & securitatis intersit. R. quòd licita sit ebrietas ad vitandam sævitiam tyranni, hanc sententiam aliquorum non esse tutam superius probatum est, & validiori fundamento firmatur: nam si non licet se inebriare ad evitandam mortem proprij corporis à tyranno imminentem, ob eam rationem, quia proprius & proximus finis immoderati potûs eo casu est ebrietas, & evitatio mortis est per accidens, Ergò ob eandem causam multò minus licita erit ebrietas ad hoc ut ea sequatur conjurationis revelatio. & ex revelatione liberatio Reipublicæ. Et ratio est convincens, siquidem jure naturæ magis astrin-

 gimur

gimur ad tutelam proprij corporis, quàm ad tutelam patriæ, vel parentum ut probat text. in Clem: *Si furiosus* juncta glos *in Ver: suum de homicid.*

Dices 5. Non videtur illicitum pro communi securitate confugere ad remedium ebrietatis, quia ob publicam salutem receditur à jure communi. Undè magistratus propter metum periculi, vel scandali potest leges transgredi ut notat Bald. R. cum Fagnano *loco cit: num:* 63 Jmò secundùm veriorem sententiam Iudici non licet leges transgredi etiam ob publicam salutem. Et quatenus liceret, non tamen fas esset uti medijs ex sui natura illicitis, & malis sicut est ebrietas,

Dices 6. Quamvis id non liceat judici, qui potestatem non habet transgrediendi leges, tamen non videtur negandum, quin liceat Principi id, qui legibus suis, vel prædecessorum non adstringitur; potest enim Princeps manu regia causas cognoscere & terminare omisso rigore judiciario, & consequenter quia potestatem habet legis condendæ, & conditas abrogandi, non videtur dubitandum, quin supremus Princeps, qui est supra genus positivum, possit illam tollere legem vel saltem super ea dispensare utendo ebrietatis remedio, ex causa publicæ salutis, quam Princeps præ alijs tueri debet. Cùm præsertim id novum non videatur: nam celebre est Apophtegma cujusdam Persæ, qui negavit tormentis opus esse ad exquirendum verum, eò, quia vino rectius eliciatur. R. cum distinctione, Princeps quamvis sit solutus legibus vi coactiua, illis tamen adstringitur vi directiva rationis. Unde; R. 2do. Principem esse solutum legibus humanis, sed non lege naturali & divina,

vina, ebrietatem verò lex Dei & naturæ vetat juxta illud *1. ad Corinth: neque ebriosi regnum Dei poßidebunt.* Unde D. Aug: serm: *231. de tempore* ait: *Quicunque ebriosus pænitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profectò peribit, quia non mentitur Spiritus Sanctus per Apostolum dicens. Neque ebriosi regnum Dei poßidebunt* Ex his ergò pro coronide & fundamento nostræ conclusionis.

Collige. Ebrietatem posse esse licitam, quando scilicet ad reparandam valetudinem, vel ad vitam servandam foret necessaria (nisi intentans mortem non bibenti, in contemptum legis temperantiæ ebrietatem referendam exigeret, quo modo nullam unquam actionem lege prohibitam ob quemcunque metum ponere licet, & in tali casu S. Augustinus serm: 232. inquit: etiamsi ad hoc veniretur, ut tibi diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat ut caro sua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur) ita apud Palaeo, quos ipse sequitur, tenent Valentia, Lessius, Toletus, Layman, & ex Thomistis Cajetanus 2. 2. *quæst: 150. a. 2.* consentit Navarrus, quem citatum sequitur Villalobos Ordinis Minorum in summa tomo: 2. tract 40 difficul: 6. num: 5. Neque tamen hinc sequitur, idem dici posse de alijs peccatis, fornicatione, adulterio, homicidio &c. quia hæc absolute sunt prohibita, adeoque propter nullius mali metum licita reddi possunt. Intelligo tamen citatos Doctores de eo casu, qui non facilè, ut puto continget, in quo morbus vel periculum vitæ sit graue, nec alio medio facilè curabilis · sine hac enim limitatione nec admitto nec colligo hanc licentiam & non displicuit hæc limitatio & observatio Toleti Nostro Patri

Bonaventuræ de Iano Theolog: Minorum, *Tract: 9. de peccatis titul: 3. num: 28.* scilicet prædictum casum licitum esse dummodò aliâ viâ, vel medicinâ non possit infirmus sanus reddi. Hujus mentis est S. Thomas *2. 2 q. 15. a. 2.* ubi ait: cùm aliquis multum comedit vel bibit secundùm consilium medicinæ ad vomitum provocandum, non est reputandus superfluus cibus & potus. Nec tamen ad vomitum provocandum requiritur ut sit potus inebrians: quia etiam potus aquæ tepidæ vomitum causat, ideo propter hanc causam non excusatur aliquis ab ebrietate. Subsummo. Ergò ut excusetur, debet inebrians potus nullo alio remedio suppleri posse, quod vix continget.

DUBIUM 6. *An bibere & comedere usque ad satietatem ob solam voluptatem peccatum sit? Re negativè* Et quidem asserere oppositum, attingeremus dogmata Epicuri & Aristippi Cyrenei Philosophi qui etiam nomen Canis Regis Dionisij ob hujus adulationem (eum quaqua versum iret sequendo) meruit asserentis, & statuentis, finem vitæ, & summum ejusdem bonum voluptatem esse: & licet tam parcus esset ut etiam ipsam abstinentiam pro nomine haberet, tamen hoc non ideo erat, quia à delectatione aufugeret, sed eò quòd in tenui victu se plùs voluptatis experiri ajebat, unde vilibus cibis utebatur; Ita Suid. apud Volater. *lib 13. cap: 4. Anthrop* Ideoque Socrates teste Plutarcho, in *Apophte.* affirmabat peccatum esse hos cibos edere, quia potius ex illis excitatur quàm depellitur fames, quod aversatur naturæ fini, illos creantis ad famis expulsionem, ex qua gravissimi Philosophi tale vitium summopere detestauêre, ut Arist: sic loquitur: 7. *Ethic cap: 14 Qui prosequitur voluptates propter se ipsas, & non propter aliud*

inde

inde proveniens, *intemperans est* Et *Tullius I. offi*: *Victus cultusque corporis ad valetudinem referuntur, & ad vires non ad voluptatem.* Et Architas Tarentinus: *ex Tull. in Cato.* dicebat nullam pestem esse voluptate capitaliorem, quia ex ea ut ex fonte nascitur quidquid est in hominum vita scelerum & calamitatum. Cato Major aiebat. *In voluptatis regno non potest virtus consistere.* Et quid denique fuit, quòd Alexandrū Magnū, exilē & non amplius magnū, etiā in ipso juventutis flore reddidit, quàm voluptas ex crapula, ebrietate & Veneris usu? ne igitur impingamus nos Christiani in dogmata Epicuri, Aristippi, Eliogabali, Sardanapali, qui omnes ultimum finem hominis in voluptate carnis locabant, uti Stoici in mentis virtute; sed neque illi, nec isti secundùm Deum viventes; ab opposita sententia, asserente *comedere & bibere ad satietatem ob solam voluptatem*, non esse peccatum tanquam à peste recedere debemus. Nam S Ignatius Martyr *in epist. ad Philadelphios* ait: *si quis beatitudinis finem voluptatem ponat, is neque Dei, neque Christi amans esse potest, sed suaque ipsius carnis corruptor, & idcirco Spiritu Sancto vacuus & à Christo alienus. Omnes enim hujusmodi cippi sunt, & sepulchra mortuorum, in quibus duntaxat nomina mortuorum hominum inscripta sunt.* Si meritò itaque ab Innocentio II. Pontifice Maximo proscripta est hæc propositio inter alias octava: *Comedere & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* In ipsa enim duo falsa reperiuntur, & quod quis possit suum ultimum finem ponere in voluptate absque peccato: & quod possit absolu-

tè appetitus naturalis suis actibus frui. Primum enim est contra D. Paulum in illo petito loco *quorum Deus venter est*: secundum verò omnibus Doctoribus contrariatur, qui solùm ponunt usum appetitûs naturalis juxta regulas rationis, à quibus discedens non potest non esse peccatum. Et adeo verum est, non esse nisi scandalosum dicere; quòd licitè possit appetitus naturalis suis actibus frui, ut id evidenter convincatur hoc argumento. Appetitus naturalis licitè potest suis actibus frui: sed appetitus naturalis non minus inest sensui gustûs, quàm alijs sensibus: ergò licitè possunt omnes sensus suis actibus frui, saltem donec damnetur ista consequentia quò ad omnes sensus, sicut fuit damnata quò ad sensum gustus in cibi & potûs sumptione. At quàm scandalosa sit dicta consequentia, patet, cùm non nisi in animarum perniciem dicatur, licere visui usque ad satietatem videre, tactui tangere, & sic de odoratu, & auditu per proprios actus, quæcunque objecta ipsi propria, & ita dicere adeò falsum est, ut etiam Alexan: VII damnauerit propositionem, quæ docebat non esse peccatum, osculum factum ob solam delectationem ex ipso insurgentem. Tum quia Doctores communiter damnant de mortali turpes aspectus, tactus inhonestos &c. Ergo undequaque dignoscitur scandalosa hæc octava propositio, cujus damnationis meritum, satis ostendimus per prædicta. Ex his ad propositam materiam.

Collige ex D. Thoma 2.2. *quæst. 148. a. 6. ad 2.* dicendum esse puto, quòd si quis inaduertenter comedat vel bibat superfluè, potest procurare vomitum ad exonerandum stomachum & alleviandam naturam ex nimio cibo vel potu gravatam: sicuti etiam licet ex consilio medicinæ adhuc

huc medicamentis hoc procurare; cæterum si aliquis huic necessitati se subdat ex intentione, & professo, & scienter, & quidem & consvetudine sicut faciunt aliqui nimiùm gulæ dediti, qui post nimiam sumptionem cibi vel potus statim vomitum procurant, ut iteratò possint nouo cibo vel potu stomachum satiare, atque ita usque ad satietatem comedere & bibere ob solam voluptatem cibi vel potus, & ad nimium se delectandum, non video dicit Angelicus Doct: quomodo possint à peccato mortali excusari, hoc enim facit actus de se immundus, hoc exigit iactura rerum, hoc uult scandalum, hoc petit valetudinis, & complexionis deperditio & naturæ aggravatio, quæ tandem succumbit juxta illud Virgilij: & Venus enervat vires & copia.

Quæres 1. *An combibonum provocationes ad exsiccandos æquales calices, sint peccata letalia?* R. ex Felice Verano *disp: 32. de part: temp: sect:* 3. *n.* 15. & nostro Bonauen: de Iano. *tract:* 9. *de peccatis tit:* 3. *n.* 28 affirmativè si tales provocationes fiant animo & intentione, se & alios inebriandi, vel si advertatur ex tali compotatione secuturam ebrietatem. Ratio est, quia se inebriare directè vel indirectè & ponere causam ad quam sequatur ebrietas, est procul dubio peccatum mortale. Tum quia hujusmodi provocatio aduersatur rectæ rationi, & est moraliter turpissima, quia tunc non statuitur pro regula bibendi necessitas naturæ, neque recta ratio, neque valetudo corporis, neque animi vigor, aut sensuum alacritas, sed sola ventris capacitas, hoc est quisnam venter valeat plus vini continere? adeò ut S. Basilius hujusmodi compotatores, meritò vocet utres, vel lagenas, quasi ad hoc nati, ut plurimum vini tanquam lage-

næ capiant: hinc S. Basilius *homil: in ebrietatem* pulchrè invehit contra hanc fœtidam provocationem inquiens: *deinde potatione procedente eò veniunt, ut de augenda hac insania certent, & de ebriatate per ambitionem contendant: cujus auctorem legis, diabolum habent, victoria verò præmium peccatum: nam qui plus hauserit meri, is præ cæteris laudátur, is victoriam refert, atque ita gloriam in ignominia capiant, inter se namque contendunt, & velut in judicio aliquo defensitant.* Dixi in responsione hujus dubij; *si tales provocationes fiant animo se, & alios inebriandi &c* nam non sunt reprehendendi vel censurandi (ut aduertit *loc: cit.* noster Pater Magister Bonau de Iano) qui vinum alijs apponunt illis libertate relicta, quantum bibere velint, & si putent illos usque ad ebrietatem bibituros, talis enim cooperatio est tantùm materialis, quæ non semper est illicita, si tres conditiones adsint: prima ut cooperatio secundùm se moraliter bona, vel saltem indifferens sit. Secunda, ut nequaquam intentio movendi alterum sit ad peccatum. Quare à quibusdam dicitur, nefas esse cooperari alterius peccato formaliter ut peccatum est; fas tamen esse interdum materialiter cooperari operi quod peccatum est. Tertia, ut proximi peccatum impedire nequeas, vel saltem impedire non debeas, sed ob aliquam causam permittere possis. Tales conditiones concurrent in casu &c. Ita Major *in 4. dist. 15. q* 35. Cajet: *2. 2. q. 147. ar. 4.* Azor *tom. 2. lib 12. cap. 18. q. 4. &* 8. Nau. *cap. 2. n. 24. & 25.* Imò neque peccaret qui ad gravissimum malum v g. proditionis vitandum, alio modo impedire non posset, quàm illum inductiuè inebriando, non enim illicitum esset, tali homini offerri vinum fortissimum cujus virtutem

ipse

ipſe ignorat, & ad illud bibendum invitare, ut ſic præter intentionem ac propoſitum ſuum inebrietur. Ratio eſt, quia tali hauſtu homo ille non eſt peccaturus. Ergo ad eum invitare non eſt ſcandalum activum, ſeu provocatio ad peccatum. Damnum verò ebrietatis ſeu emotæ mentis huic homini inferre, ut malum longè gravius animo ejus propoſitum evitetur, non eſt à ratione alienum. Sed ut melius hæc percipiantur ſe inſinuat ſimile huic.

Quares 2. An liceat paratum, & certò peccaturum graviùs, inducere ad minus peccatum? ſenſus quæſiti eſt, an aliquem certò occiſurum, vel adulterium commiſſurum &c. liceat ad plenam ebrietatem & voluntariam inducere ſi aliter à propoſito dimoveri non poſſit, ſicque impotens fiat ad majus malum perpetrandum? negant abſolutè id licere graviſſimi DD. Cajetani & plures alij, ſed probabilius alij id licere affirmant, (a) cum quibus ℞. *affirmativè.* Ratio optima eſt: quia tunc abſolutè talis non ſvadet malum ſeu peccatum, ſed ſolùm ſub conditione, ſi omninò peccare decreverit, ſvadet ei, ut relicto peccato graviori, v. g homicidio, adulterio &c. aliud minus committat v g. ebrietatem vel fornicationem &c. atqui hoc minus peccatum licet ſecundùm ſe abſolutè reuera malum & peccatum ſit, tamen hic & nunc relatum & conſultum ad illud majus peccatum evadendum, concipit aliquam æſtimabilem bonitatem, quæ eſt evitatio majoris mali: adeoque licet peccanti, abſolutè malum maneat, quia per ipſum ſtat ut illud malum omittatur, reſpectu tamen conſulentis bonum eſt, qui cùm utrumque malum impedire non poſſit, minus malum ſuadet eligendum non quatenus malum eſt, ſed

quate-

quatenus bonum est, scilicet ad avertendum proximum ab illo majori malo: aversio autem illa à majori malo bona est. Favet huic sententiæ August. *lib. 2. de adult. conjugi c. 15.* & refertur in cap. *si quod Verius 33. 9. Si facturus est, quòd non licet jam faciat adulterium, & non faciat homicidium: ut viuente uxore alteram ducat, & non humanum sanguinem.* (propriæ scilicet uxoris) *fundat.* Accedit exemplum Loth *Genes.* 19. ad Sodomitas à pessimo scelere avertendos dicentis: *habetis duas filias quæ necdum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis: dummodo viris istis nihil mali faciatis. Nec valet responsio* adversariorum dicentium: sensum eorum verborum esse non positivè consultivum, sed comparatiuè permissiuum; quasi dicatur: potiùs admitterem adulterium, quàm uxoricidium, potius sinam filias meas prostitui, quàm peregrinis meis tantum flagitium inferri. Sed hæc responsio quis non videt, quòd sit voluntaria & extorsiva, nec video quomodo Loth hunc sensum admittat, vnde rectè & bene, hanc sententiam probabilissimam noster Pater Patritius doctissimus Sporer Passaviensis Ordinis Minorum Recollect. & practicabilem sine scrupulo fatetur.

Dices. Ex hac sententia sequeretur posse licitè persvadere volenti furari à paupere ut furetur à divite; volenti furari à Petro centum, ut furetur à Paulo quinquaginta, volenti furari absolutè, ut pòtius furetur à divite quàm à paupere & similia, quæ sunt dura & contra justitiam: siquidem tunc fieret damnum tertio in illo minori furto. Confirmatur quia etiam sequeretur posse aliquem persvadere licitè: volenti furari ab uno ut furetur ab alio, quamvis æquali; quod etiam contra justitiam

am est. ℞. cum Tamb. loc: cit & doctissimo Vasquez *opusculo de scand art: 1. num: 14.* concedendo has sequelas, quare sic consulens liberatur à peccato & à restitutione. Ratio est [inquit Vasquez] quia hoc genus consilij eò tendit formaliter, ne committatur majus peccatum. Ex quo fit, ut is, à quo latro furatur id, quod minus est, non sit rationabiliter invitus, de eo qui consilium præbuit; siquidem in causa fuit ne majus peccatum committeretur. Non est igitur ratio ea quam putant & solvunt aliqui; quasi dicamus tertio non inferri damnum à consulente: concedimus enim, sed dicimus ipsum tertium non debere esse invitum contra hunc consulentem, utpotè suo consilio peccatum ejus avertentem; esto, sit meritò invitus contra latronem, cui tota malitia imputanda est. Ad confirmationem, ℞. negando prorsus sequelam. Ratio est, quia in malo æquali non apparet illa bonitas deviationis à majori malo; unde nec in materia justitiæ, nec in alia consuli illud ullo modo potest. Quando quis decrevit patrare malum aliquod æquale, sic, volo occidere Petrum, vel Franciscum, violare Antoninam, vel Catharinam? an possit aliquis consulere unum potius, quàm aliud. Dicerem affirmativè, ex rationabili causa & conditione apposita, & sic possum consulere ut potius occidat Petrum & non Franciscum qui est meus consangvineus, potiùs occidat Antoninam & non Catharinam quæ est mea consobrina, quia invitatio, seu consilium hoc, cùm sit conditionatum, videtur honestari posse à causa proportionata.

Dices. Quid si criminosos non decreverat violare, occidere &c. alterum ex duobus, sed tantùm unum non cogitans de altero, quid in hoc casu adendum?

gendum? R. cum Lugo *tom: 1. de justitia d 16. sect: 2, §. 2 a num. 51.* in hoc casu non posse alium, de quo non cogitat, offerre vel consulere ut eum occidat, vel violet.

Dices. Ex hac sententia sequi, posse aliquem licitè volenti occidere Patrem, persvadere & consulere ut occidat non Patrem sed v. g. servum; volenti occidere Petrum, ut amputet brachium Paulo: multò magis volenti occidere quempiam, ut eundem tantùm vulneret, & similia. R cum Vasquez loco cit: num. 3 qui expressè concedit licitè posse illud de abscissione membri; quæ est circa eandem personam, quæ intendebatur occidi, verum de alia persona, & de prædicta occisione servi, vel non Sacerdotis, & similibus vitæ nocumentis, locò aliorum, qui offendi intendebantur, non loquitur, sed ejus ratio videtur idem probare: semper enim is, dum tendit formaliter ad amoliendam Dei offensam, licitè agit sine ulla obligatione restitutionis, & sine pæna irregularitatis & delicto, vel excommunicationis, si fortè percussus sit Clericus, qui enim culpam non committit, nulla pænâ dignus est: verùm quia Vasquez solùm respectu ejusdem personæ resolvit; ita resolutum & Tamb. *loc: cit: n. 13. Vult:* respectu enim diversarum personarum, nimis durum ei videtur. Sed de his plura vide apud Patritium Sporer & non te pænitebit. loc cit.

(a) *Abbas, Navarr: Sotus, Medina, Vasq: Bonac: Basilius, Pontius, Lessius, Sanchez, lib: 7. de matrim, disp: 11. Tambur: lib. 5 decal. c. 1. §. 4. n. 8. Patritius Sporer Passaviensis Tract: V. in V. Pracep: Decal: cap: 1. sect: 3, §. 2. num. 56.*

DUBIUM 7. *An peccet ille, qui vult vitam suam abbreviare, aut de facto decurrat per abstinentias,*

nentias, quas scit & advertit esse indiscretas, etiamsi absque intentione abbreviandi eam id faciat? R. *affirmativè* dummodò tamen advertat, quòd eam decurtat juxta sententiam B Hieronymi *in c, non mediocriter de consecr: d. 5. & D. Thom: 2. 2. qu: 145. artic: 2* quamvis id velit aut faciat, ut melius Deo pro peccatis suis satisfaciat. Peccat enim contra charitatem ille, qui studiorum, laborum, jejuniorum vigiliarum, aliarumque corporis mortificationū, immoderatione se conficit, quâ se ipsum diligere propter Deum & secundùm Deum debet. mandati Divini memor. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Apostolicæ item sententiæ ad Ephesios V. 19 *Nemo enim unquam suam carnem odio habuit, sed nutrit & fovet eam.* Quamvis enim vir Christianus corpus suū castigare debeat, & in servitutem redigere; nè caro petulans adversus spiritum ita concupiscat, ut ipsū pertrahat ad serviendum legi peccati: quāvis debeat mortificationem IESU in corpore suo circumferre quamvis blandiri sibi ipsi non debeat. nimisque timere nè *Jejunium, quod animabus corporibusque curandum salubriter institutum est, nè medicinalis parsimonia* (ut Ecclesiæ verbis utar) *suæ noceat valetudini.* Prudentia tamen Christiana, sine qua non est vera *pietas ad omnia utilis, & promissionem habens vitæ: quæ nunc est, & futuræ,* studia, labores, jejunia, vigilias, cæterasque corporis mortificationes moderari debet ut castigetur corpus, dometur, caro non destruatur: ut ad serviendum Deo promptior sit homo, & alacrior non ut impotens ad officia sui statûs, obeunda reddatur, ut animus à vitijs purgatus, & pravarum cupiditatum vinculis expeditus & liber ad Deum

eriga-

erigatur, non ut fatiscentis & oppressi corporis pondere prægravetur, ac deprimatur. Sanctum Bernardum se ipsum accusasse, quòd corpus suum jejunijs, & vigilijs immodicis confecisset, testis est *Guilelmus* Abbas in ejus vita *lib: 1. cap. 8. Et si* [inquit] *nimietate forsan excessit, quid* in quo non confunditur *accusare se ipsum, quòd servituti Dei, & Fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto fervore imbecille ac penè inutile reddidit* Hanc doctrinam præclaro suo Angelico Sanctus Thomas firmat discursu. Quodlibet 5. *quæst: 9. artic: 11* Aliter [inquit] judicandum est de fine aliter de his quæ sunt ad finem. Illud enim quod quæritur tanquam finis, absque mensura quærendum est: in his autem quæ sunt ad finem, est adhibenda mensura secundùm proportionem ad finem: sicut medicus ad sanitatem, quæ est finis ejus, facit quantumcunque potest majorem sed adhibet medicinam, secundùm quod convenit ad sanitatem faciendam. Est ergo considerandum in spirituali vita: dilectio Dei est sicut finis, jejunia autem & vigiliæ & alia exercitia corporalia, non quæruntur tanquam finis, quia sicut dicitur ad Romanos 15. Non est Regnum Dei esca & potus sed adhibentur tanquam necessaria ad finem, idest ad domandas concupiscentias carnis secundùm illud Apostoli *1. ad Corynthi 9. Castigo corpus meum & in servitutem redigo &c.* Et ideo hujusmodi sunt adhibenda, cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, & natura non extinguatur, secundum illud ad Romanos 11, *Rationabile obsequium vestrum.* Si verò aliquis in tantum naturæ virtutem debilitet per jeju-
nia,

nia, & vigilias, & alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, (puta prædicator prædicare, Doctor docere, cantor cantare, & sic de alijs) absque dubio peccat, sicut etiam peccat vir, qui nimiâ abstinentiâ se impotentem redderet, ad debitum uxori reddendum. Hæc D. Thomas & doctè *Dixi* quas scit & advertit esse indiscretas, nam si probabiliter existimet eas non esse indiscretas & putet opus bonum facere, nullo modo peccabit secundùm Cajet: super D. Thom: ubi supra. At quia in his omnibus non solùm opus, sed etiam animus pensatur, & affectus, ideò &c.

DUBIUM 8. *An peccat mortaliter, qui deliberato animo sibi mortem aut membri mutilationem præ ira, impatientia, dedecore, paupertate, aut ex quovis alio infortunio exoptat.* R. affirmativè. C. *si non licitè* 23 *qu:* 5. *juxta* B. August. *lib:* 1. *de Civitate Dei,* & D. Thomam 2. 2. *qu:* 64. *artic:* 5. propter rationes quas S. Doctor ibidem adducit. Et quia hujusmodi prohibentur etiam in ordine ad proximum, ideò.

DUBIUM 9. *An peccat similiter ille qui deliberatè alicujus mortem exoptat, etiamsi hoc faciat, quia indè sibi aliquod bonum, aut utilitatem provenire existimat?* ℞. *affirmativè.* Et pro meliori intelligentia est notandum; odium esse affectum, quo proximo malum volumus, ex displicentia personæ, quod dicitur odium inimicitiæ, ut contrapositum odio abominationis, quo aliquis abominatur, seu odit malum personæ, vel personam ipsam malam reduplicativè, quia malum quod est bonum ex illo psalmi: *Iniquos odio habui*. Quia odisse peccatorem, quia peccator est, est odisse potius pecca-

tum,

tum, quàm personam; & hoc est odium perfectum juxta illud Psalm: 138. V. 22 *perfecto odio oderam illos.* Secundò desiderium non est efficax cum esset directus affectus ad occisionem; seu mortis sollicitationem. Tantùm enim est desiderium inefficax, & per modum simplicis complacentiæ, quod tamen opponitur præcepto charitatis quâ præcipitur *Matth* 5 *V.* 43 *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Sed hoc ipso ac diligimus bona temporalia ex consequenti, sed primariò optamus amovere obicem id est vitam alicujus, & non adimplemus tale præceptum; ergò &c. Minor constat, quia ex eodem præcepto, magis diligenda sunt bona superioris ordinis, ut est vita proximi, quàm ordinis inferioris, uti sunt temporalia, omnia emolumenta; sed tristari de alterius vita, & gaudere de morte proximi etiam ex affectu inefficaci, & secundario, seu ex consequenti propter temporale emolumentum indè sequutum est magis diligere temporalia nostra, quàm proximi vitam, ergò non est diligere proximum, sicut nos ipsos, sed valdè infra nos: sed ordo charitatis est in præcepto, & in re gravi ut est præsens; Ergò eo ipso, ac primariò optamus amovere obicem, idest alicujus vitam, ex fine & motivo emolumenti nostri temporalis non adimplemus tale præceptum. Undè hoc desiderium si respectivè ad proximum consideratum est, adeò inordinatum & letale; respectu verò Patris proprij, est etiam impium & contra quartum Decalogi præceptum, pullulatque ex radice infecta cupiditate, de qua Apostolus 1. *ad Timoth.* 6. *V.* 10. *ait: Radix omnium malorum est cupiditas:* Et insuper est contra naturam

turam, & ab ipsis ethnicis quàm maximè reprehensum, Ex quibus clarè perspicies, quam meritò proscriptæ maneat propositiones à nostro sanctissimo Pontifice Innocentio XI. in ordine 13 cujus tenor talis, *Si cum debita moderatione facias potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere illam inefficaci affectu petere & desiderare: non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.* In ordine 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.* In ordine 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas.*

Adverte tamen quod si hoc desiderium esset propter hunc finem, ut ille consequeretur salutem æternam, vel ne tot tantaque facinora perpetraret, vel propter alium finem honestum, & sanctum tunc nullum esset malum, ex D. Thoma 2. 2. quæst: 36. artic: 2. Ex his.

Collige 1. peccare omnes qui aliquo modo morti proximi innocentis cooperantur, sive sit, qui injustè facit aliquem incarcerem detrudi. *C. non sanè 14. quæst: 5. l. C. de privat: Carcer:* sive sit testis falsum proferens ex Navarr: *in Man: cap: 15. num:* 13. sive denique sit judex injustæ mortis sententiam ferens, *C. omnis 45 qu: 1. C. 2. de jure Jud: lib:* 6.

Collige 2. Quod peccat ille, qui dùm aliquâ est affectus injuriâ, sciens cognatos suos vel amicos vindictam sumere velle de illa, non ve-

eat id eis expressè. *C. Petrus de homicid:*

Collige 3. Peccare eum qui etsi nihil faciat, tamen aliquo modo in mortem vel mutilationem alterius consentit, imperando, consulendo, præbendo consensum, laudando, malefactorem recipiendo, vel ipsum adjuvando, vel non impediendo verbis, & operibus, cùm possit, & facere teneatur. Videatur de his Navar: in Man: *cap: 15. per totum* & Sot: *de Iust: & jur lib: 5, qu: 1. & sequ. &c.*

Collige 4. Suicidij reus est, qui damnatus ut fame pereat, cibum occultè sibi appositum non comedit; vel damnatus ut veneno extinguatur, venenum sibi propinatum sumit; Quāvis enim reus sententiam justè in se latam pati teneatur; quia *Qui resistit potestati DEI ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; proindeque judicibus, aut justitiæ ministris vim inferre non possit, ipsosque, vulnerare, mutilare, occîdere, ut mortem evadat; sententiam tamen in se latam exequi non potest, vel ea facere ex quibus mors per se immediatè ac necessariò sequitur. Ita docet *S. Thom.* 2. 2. *artic:* 4 *in respons: ad secundam objectionem*: *Nullus* (inquit) *ita condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere id, unde mors sequatur: quod est manere in loco, undè ducatur ad mortem. Tenetur tamen non resistere agenti, quin patiatur quod justum est eum pati. Sicut etiam si aliquis sit condemnatus, ut famè moriatur, non peccat si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset se ipsum occidere.*

Collige 5. Suicidij rei sunt, qui per crapulam

lam ebrietatem, vel obscænam libidinem, aut alias animi perturbationes seipsos occidunt. Ita perspicua regula est, ut probatione non egeat. Hanc nihilominus scripturæ sacræ firmat auctoritas Ecclesiastici *cap*: 31. *versu* 30. & 33. *Multos exterminavit vinum. Quæ vita est ei, qui minuitur vino?* Quid defraudat vitam? mors. *Et cap* 37. *v.* 33. 34. *In multis escis erit infirmitas: propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam.* Et proverbior: 17. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.* Et alibi.

Collige 6. Homicidij rei non sunt, qui vitam suam pro Dei honore & Reipubl. utilitate ubi id necessitas postulat certo periculo exponunt. Ratio est, cùm enim Deum super omnia diligere teneamur, & Reipublicæ partes ac membra simus, debeat autem quodlibet membrum, pro totius conservatione se periculo exponere: nemo se ipsum devovere, certoque vitæ discrimini exponere non tenetur pro Dei honore, & Reipublicæ utilitate. Quamobrem nautis vel militibus navalibus, licet injecto igne in pulverem tormentarium navim comburere, & naufragij periculo se exponere, si extra navim comburendam positi sint, & spes aliqua superfit evadendi. Tunc enim sibi ipsis mortem afferre non decernunt, sed seipsos morti ab hostibus inferendæ eripere atque impedire, nè captâ navi hostium vires augeantur. At in navi manentibus ignem admovere non licet, vel in mare ad certum exitium se demergere, alioquin Suicidij rei essent. Nec etiam seipsos occidere censendi sunt milites, qui ad evertenda hostium propugnacula ignem in pulverem tormenta-

mentarium inijciunt, qui hoſtiles muros, aut turres primi conſcendunt, etiam non juſſi quia mortem ſibi procurare non intendunt ſed periculo ſe exponere pro utilitate Reipubl: minimè dubitant, ſic Eleazar elephantem cujus in dorſo ſuper extructa turri lignea Rex Antiochus incluſus, putabatur, aggreſſus, ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, ab eoque oppreſſus eſt non ſui necem, ſed populi ſui liberationem ſibi proponens: de quo *1. Machab:* 6. ſcriptum eſt: *Dedit ſe ut liberaret populum ſuum, & acquireret ſibi nomen æternum.*



PRA-

PRACTICA X.

De Matrimonij Sacramento.

Quoniam interdum ob fines à textibus & Doctoribus adductos, solet in praxi à constitutis in periculo vel articulo mortis contrahi matrimonium, & alia quàm plurima de infirmis mente & corpore, in causa matrimonij se offerunt dubia, ideò illa breviter dilucidabimus & solvemus; sed quia Sponsalia sunt veluti inchoatio futuri matrimonij & dispositio moralis ad illud: prius ergo de illis aliqua selectiora nostram materiam subjectam concernentia adducemus, sit ergò.

§. I.

De dispensatione sponsalium causâ corporis vitiati, vel alterius morbi.

DUBIUM I. *An oculorum amborum, vel alterius tantùm amissione, sponsalia dissolvi possint?* R. cum Sanchez. *de matrim lib: 1. disp: 57. per totum n. 3. affirmativè.* nam vel quod uterque, vel alteruter amittatur, res clara est, quod sponsalia dissolvi possunt, nisi illud decernendum esse velimus, quid per oculorum amissionem text in cap. *quemadmodum de jure jur :* accipi voluerit. Utrum nimirum ipsorum oculorum ut membra sunt, excussionem, & extra naturalem locum extracta-

tractionem, aut functionis eorum nempe visionis deperditionem, ac profectò utrumque sensum trahi posse, verba textûs non ambigendum: licet enim multò majorem turpitudinem inducat oculorum excussio, & expulsio extra eorum receptaculum, quàm simplex visionis deperditio, tamen & hæc, ex se cum insigni incommodo habet suam turpitudinem adjunctam, ac notabilem rerum mutationem. Non par esset fortè amissio sola visionis alterius oculi, cum amissione unius oculi per excussionem; in hac enim semper urgeret ultra visionis amissionem, summa turpitudo, quæ maxima ex parte cessat in simplici amissione visûs alterius oculi, unde determinandum esset, an hæc sufficeret ad dissolutionem sponsalium quæ juramento essent firmata. Sed tamen negari non potest, etiam per solam amissionem visionis factam, esse notabilem statûs mutationem ob sensûs ejus nobilitatem & necessitatem. Itaque quocunque modo visus deperdatur, aut in utroque, aut in altero oculo, & ex quocunque morbo, semper urgebit justitia causæ dissolventis sponsalia etiam jurata.

DUBIUM 2. *An morbi visionem, tantum diminuentes dissolvant sponsalia?* R. sunt quàm plurimi morbi visionem abscindentes, aut depravantes, aut saltem diminuentes, de quorum singulis verba facere superfluum videtur; satis sit determinare omnes si visum in totum auferant, dare justam causam dissolutionis sponsalium: sed neque libere pronunciare liceret, quod morbi ipsum visûs sensum depravantes, aut diminuentes tantùm, ad hanc dissolutionem non sint sufficientes. Et quo ad visus diminutionem videretur dicendum, quod etiamsi per eam non fiat notabilis statûs mu-

tatio

tatio, tamen si visus ex morbo aliquo diminuatur, qui non solùm sanari non possit, sed ex sua natura ad pejorem statum tendat, ut omnes oculorum morbi faciunt, non poterit ea diminutio ab earum causarum censu eximi, ex quibus sponsalia jure dissolvi permittuntur. Quò ad visus vero depravationem peculialiter decernendum esset, quid operaretur, si enim aliqua strabositatis speciealter ex sponsis prehendatur, certum est & visionem depravari simul, ac diminui, & faciei formositatem in femina præcipue deteriorari; credit tamen Sanchez *lib: cit: n. 3* in hoc casu disolvi, nec textum *d. c quemadmodum* vim facere in utriusque oculi amissione, sed in notabili deformitate, & magna mutatione: satis autem notabilis esset fieri coclitem! quod colligitur ex ratione in textu subjuncta, quæ est promissionem intelligi rebus in eodem statu remanentibus.

DUBIUM 3. *Naso deperdito, sed post modum ex chirurgia recuperato, an sponsalia in suo robore manere debeant?* ℞. *cum distinctione.* Quod si nasus ex morbo aliquo deperditus fuerit, ut ex morbo Gallico, cùm talis morbus non nisi pessimus, & malignissimus potuerit esse, nihil nasus recuperatus conducere debeat ad sponsalia reintegranda, si dissoluta sint; & si dissoluta non sint, nihil minuere debeat justitiam causæ, ob quam dissolvi permittuntur. Quod si ex aliqua causa externa, puta ex casu, aut vulnere, aut ex alio quodammodo nasus deperditus sit, quod non dissoluta dissolvi debeant, & dissoluta non sint redintegranda manente notabili statûs mutatione etiam recuperato naso. Tale votum etiam dat ex Canonistis Sanchez *lib: c. n. 1.* dans rationem, quia juramentum intelligitur rebus in eodem statu permanentibus.

DUBI-

DUBIUM 4. *An paralysis semper debeat esse causa justa dissolvendi sponsalia?* Ratio dubitandi est, quia paralysis non est semper sine remedio, quanquam sit curatu difficilis. Licet enim hæc difficultas sanationis inaliquo subjecto,tam ultro procedat, ut ad curationis impossibilitatem terminetur, in alio tamen subjecto ob virtutis fortitudinem ita minui potest, ut curationi non difficulter cedat. Cum igitur sponsalia ut plurimum ab hominibus vigentis ætatis contrahantur (pauci enim tam bardi sunt, ut in ætate senili matrimonio se jungere destinent) hæc quæstio determinanda videretur secundùm subjecti qualitatem. Etsi paralysis sit in sponso ætatis adhuc invenilis, aut saltem integræ & consistentis, fortisque virtutis, dicendum eam sanabilem esse, & idcirco non habere sponsum sanum justam causam dissolvendi sponsalia, in quibus contrahendis juramento se obstrinxit. Si verò sponsus paralysi detentus in ætate declinanti degat, nec viribus constet, quo majorem agit ætatem, eò minor sanationis spes concipi potest, nam non solùm paralysis in hujusmodi ætate sanari non potest; sed indies incurabilior evadit,deficiente assiduè nativo calore, eaque de causa ab Hypp: *lib: 5. de morbo uulg: sect: 5 textu 25* & ex ejus auctoritate à Galeno & Vallesio *in comm*: inter eos morbos recensentur, qui increscentes dicuntur, quod notavit etiam Rota *in Malevitana Antianitatis* 1643. *coram Veroſp c: n. 8.*

DUBIUM 5. *Ex superventientia cujuslibet morbi contagiosi dissolvi sponsalia, quomodo id est intelligendum?* Sanchez volebat sponsalia pariter dissolvi. ex superuenientia cujuslibet morbi contagiosi, quod ita intelligendum, ut morbus contagiosus adjunctam. habeat gravitatem & incurabilitatem

litatem; non omnis ergo contagiosus morbus, erit ad hoc sufficiens; unde nequaquam ob scabiem etiam gravem & contumacem, neque ob lippitudinem nisi perpetua esset, neque ob varriolas, aut morbillos, neque ob alium similem contagiosum morbum à juramento eximere se poterit, sanus sponsus in contrahendis sponsalibus præstitò.

DUBIUM 6. *An ob morbum Gallicum semper dissolvi debeant sponsalia?* Sensum esse clarum hujus dubij, num qualiscunque gallicus morbus sufficiens causa esse debeat dissolutionis sponsalium, cùm pateat aliquando leuem esse, & de facili curabilem; & tamen quia urget suspicio contagij, non tam libere in negativam sententiam eundum; quia etiam absenti morbi gravitate, & incurabilitate, ipsa contagij suspicio, videtur sufficiens ad dissolutionem sponsalium, unde non ab re Sanchez *lib:* *c.* in omni morbo contagioso, voluit esse locum prædictæ dissolutionis. Et ratio evidens est, quia etiam ex levi morbo contracta infectio timore majoris mali non caret, cum eveniat interdum, ut quis leviter morbo Gallico affectus alios graviter inficiat, imò ut aliàs, non sine practicantium auctoritate dixi, fit aliquando, ut quis cum infecta persona rem habens, nequaquam inficiatur, & tamen alios inficiat. Manente ergo semper, quantumcunque levis gallicus morbus sit timore infectionis & contractionis majoris mali, dicendum videretur, adesse justam causam dissolvendi sponsalia etiam jurata. Et de rigore quidem, non potest hic timor dici inanis. Si tamen in his æquitas ulla seruanda est, videretur ea res mitiùs decernenda; nam nimis durum existimandum ob levem aliquam Gonorrhæam, quæ nec diu durauerit, nec vestigium ullum de se reliquerit, aut o

minima pudendorum ulcuſcula, quæ citiſſimè ſanata fuerint, aut etiam ob benignum bubonem, ad ſuppurationem cito deductum, & diligenter expurgatum, poſſe ſponſum promiſſione jurata futuri conjugij defraudari, & ſanum ſponſum tam levi ex cauſa juramento ſolvi; maximè, cum in ſimilibus caſibus pateat, quod ſi ullam infectionem alter ſponſus in ſangvine & humoribus contraxerit facilè per ipſam Gonorrhæam, aut etiam per pudendi ulcuſcula, aut tandem per bubonis apertionem, ea potuerit expurgari: unde experimur eos, qui facilè ab ipſo coitu cum perſona infecta, in aliquem ex prædictis morbis labantur, non gravari ulterius, à morbi malitia & ſevitie, nec promptè in illum reincidere: contrario modo eueniente, ubi per nullam convenientem viam in principio infectionis natura ſe exonerare non novit, aut non potuit. Itaque ſecundùm æquitatem fieri exiſtimauerim, ſi leuem morbum Gallicum, qualem mox deſcripſimus, non eſſe ſufficientem cauſam dicamus diſſolutionis ſponſalium, ſi juramenti vinculo vallata ſint.

DUBIUM 7. *Oris fœditas, an ſit juſta cauſa diſſolutionis ſponſalium.* Reſpondent Canoniſtæ *affirmativè.* ſi fœtor eſt magnus prout Tambur: *in explicat: Decalog: lib: 7 cap: 3. de adult.* & nos ſupra hoc dubium jam ſolvimus. Sed quia lectio repetita magis placet, & menti hæret. ℞. 2. *cum diſtinctione*; Nam hoc vitium non unius generis eſſe, & à multiplici cauſa originari poſſe ſecundùm quarum cauſarum gravitatem, & amotionis difficultatem, juxta medicorum doctrinam, ipſum etiam vitium gravius, & irremediabilius eſſe poteſt, & ſic ſufficiens, aut inſufficiens eſſe ad diſſolvenda ſponſalia. Poteſt igitur oris fœtor origi-

nem

nem habere à gingivarum putrilagine, à corruptis & corrosis dentibus, à ciborum reliquijs inter ipsorum dentium spatia hærentibus, nec convenienti diligentia exemptis, & à nimia ciborum copia, ob quam ijdem cibi in stomacho corrumpantur. Omnia igitur prædicta vitia, & gravitate carent, & remedium admittunt, remotione causarum, quæ oris halitum inficiant, sic repurgando, & abstergendo gingivas, easque incarnando, omnis malus odor oris cessat, ut cessat etiam extractione dentis putridi, ac corrupti; non cessaret autem si plures dentes simul corrupti essent, & ubi opus esset ad oris fætorem tollendum plures dentes extrahere, fortè non cessaret sufficientia causæ dissolutionis sponsalium, ad ipsorum dentium privationem, aucta namque insigniter videri potest turpitudo sponsi, si edentulus evaserit. Pariter quoque facillimè fætidus halitus emendatur, qui ex reliquijs ciborum inter dentes hærentibus, carnium præcipuè excitatur, mundando ipsos dentes à prædictis reliquijs quotidiana diligentia; eodemque pacto moderatione adhibita, in assumendis cibis, non secuta eorum corruptione in stomacho, ob nimiam eorum copiam, nulla oris fæditas in posterum molesta est. Fætor ergò oris, à prædictis causis ortus, non est existimandus sufficiens causa dissolutionis sponsalium, quæ juramento firmata fuerint.

Contra dicendum, ubi ille oris fætor, ex vitio stomachi fiat, non ob copiam ingestorum ciborum, sed ob pravam ipsius affectionem, ob quam cibos quoscunque, & laudabilis qualitatis & quantitatis moderatæ corrumpit: hæc enim causa contumax est, nec facilè superabilis: quemadmodum neque, si ex culpa orificij inferioris ventriculi nimium hiantis, is fætor ad os

ex ipsis

ex ipsis stercoribus per intestina elevaretur, neque si ex ulcere palati, & circum jacentium partium, neque si ex maligno narium ulcere, neque si ulceratis pulmonibus, neque etiam si ex prava aliqua naturalium viscerum, ut hepatis, aut lienis affectione is fætor generetur, tolli remedijs potest, prætterquam quod vitij interni gravitatem præsefert: unde in his omnibus patens est justitia causæ sponsalia dissolventis.

DUBIUM 8. *An Epilepsia semper sit justa causa dissolvendi sponsalia jurata?* R: *negativè*, Nam constat quasdam Epilepsias varitate paroxijsmorum adeò insignes fuisse, ut semel tantùm hominem, in toto vitæ curriculo adoriantur, ut de Iulio Cæsare narrant, alias autem adeò leves esse, ut non magis hominem molestent, quàm simplex capitis vertigo, & cùm hoc de rarò quoque prehendunt: videretur ergò præter jus & æquitatem debere sanum sponsum à juramento contrahendi matrimonium, ob hæc levissima solutum iri.

DUBIUM 9. *An si sponsa tempore sponsaliùm pulcherrima esset, dissolvantur sponsalia, eâ effectâ notabiliter deformi.* R *affirmativè.* Ita Sanchez *libi 1, de sponsal disp: 57. num: 4.* cum alijs plurimis ibid: Ratio est, quia res non in eodem statu permanent, estque notabilissima mutatio, & talis, quæ à principio existens sponsalia impediret. Tùm quia ideò textus *d. c. Quemadmodum* stanti ob eam notabilem deformitatem sponsalia dissolvi, nè sibi invicem sponsi displiceant, & matrimonium sic contractum, infelicem exitum habeat: ut docet D. Thomas *in 4. dist: 27. qu: 7. a. 3. ad* 3. at eam: ratio prorsùs procedit in hoc casu, imò *Soius qu: 2.*

artici

artic: 5. *casu* 9 expressè dicit dissolvi ob deformitatem supervenientem. Et melius Innocent: *d. cap: Quemadmodum num:* 3. *& ibi Host. super Verb: Profecto*, explicantes illum textum illiusque rationem reddentes hæc dicunt: *dissolvuntur sponsalia, quando notabilis deformitas supervenit. quia non remanent res in eodem statu, cum non sit fœmina apta facere id, propter quod ducitur, scilicet tollere viro fornicandi occasionem: quia ad eam tàm difformem accedere non valet. Huic sententiæ favent Gloss. si verb: Cogi de Conjug. leproso ubi Abbas num:* 2. *& Alex: de Nevo* & plures alij, ubi dicunt, soli ob quamlibet notabilem deformitatem. Quæ omnia prædicta (addit Sanchez *l. c. num.* 5: intelliguntur ex parte illius qui illæsus est : eo enim volente solvuntur sponsalia, secùs nolente, quia in favorem illius hoc est. Quod intelligit, nisi morbus incurabilis superveniret, talis ut medicorum judicio notabiliter matrimonio noceret, non enim tenetur morbo affectus, tàm notabili salutis detrimento, fidei sponsalium stare, maximè cum res non sint in eodem statu, sed notabiliter mutatæ.

Dices Textus. *d. c. Quemadmodum* solùm hoc concessit, dùm deformitas contingit ob oculorum, aut nasi amissionem. Jta plures. R. illam deformitatem oculorum, aut nasi amissionis, aut lepræ proponi ibi tantùm exempli gratia, quod regulam arctat, sive dispositionem, & ita videmus cum text: *d. c. Quemadmodum*, explicuerit lepram vel Paralysim; DD. extendere ad morbum Gallicum, cùm tamen minus gravis sit.

DUBIUM 10. *An sufficiant causæ præcedentes ad*

tes ad solvenda sponsalia, si post ipsa acciderint ut lepra, morbus, & catera, licet contingerint ante sponsalia, si tamen ab altero probabiliter ignorata? ℞. *affirmativè.* Jta Sanchez *lib: 1. de sponsal: disp: 63. num: 2.* Prob: paritate rationis. Nam si quis vendat occultando vitium est causa sufficiens, ad dissolvendam venditionem, ergò à pari & quidem fortiori, vitium occultum est causa sufficiens, ad dissolvenda sponsalia, contracta per illius vitij ignorantiam; cùm nullus sit contractus, tantam libertatem exigens ac sponsalia. Tùm quia in jure paria sunt. aliquid supervenire, & præcedere ignoranter, res enim dicitur fieri; quando primum innotescit cap; *pastoralis, de exceptionibus*: juxta illud Mar: vult: *data est omnis mihi potestas*, id est, ex nunc est nota. Tùm quia paria sunt in jure non esse, & non apparere *l. duo sunt Titij de testā &c.* ergò à contrario sensu paria sunt esse, & apparere, cùm ergò post sponsalia vitium appareat, tunc dicitur denuò esse. Tùm quia, *l. vult. C. de sp. s:* habetur, resilientem à sponsalibus ex causa præcedenti iguorata, non amittere arrhas, quod secùs esset si resiliendo culpam amitteret: tandem quia rebus notabiliter mutatis non obligat promissio. *c: Quemadmodum de jurejurand:* sed respectu hujus res sunt notabiliter mutatæ, cùm denuò inveniat vitium notabile prorsus ignoratum. Undè dum *d. c: Quemadmodum* asseritur propter causas præcedentes non dissolvi sponsalia, intelligitur, si eæ ignoratæ non sint. Pro hac sententia videtur apertè gloss: *c. d. Quemadmodum verb: præcedentem*, ubi reddens rationem cur ob præcedentem feminæ fornicationem

tionem, non licet sponso resilire ait, quia contrahendo cum ea videtur ejus mores approbare, & *clarius ibi Ant: num: 3.* addit enim, scienter contrahendo: cùm enim nihil volitum, quin præcognitum sit, ignorans non censetur approbare: & tenent expressè Enriqu: *lib: 11. de Matrim: c. 14. num: 6.* Ledesma *de matrim: dub: 13. casu 6.* Petrus de Ledesma *de matrim: qu: 43. a. 5. Casu 5. §. 11.* Idem tenentur dicere Doctores, qui in fornicatione præcedenti ignorata id asserunt; ratio enim qua ducuntur; in omnibus aliis causis locum habet.

§. II.

De Matrimonio.

Quò ad articulum mortis.

DUBIUM 1. *An Matrimonium in articulo mortis initum sit validū?* R/ *affirmativè*, & communiter Doctores. Ita Sanchez, Pasqualigus & plures alij. Ratio est; quia constat hoc ex usu Ecclesiæ, qui habet, ut in articulo mortis constitutus valdè, affectus erga concubinam, cui diu adhæserat illam ducat, ne spiritualis ejus salus ob cucubinæ affectum desperetur, ob defectum propositi recedendi ab illa. Tùm quia potentia generandi adhuc perseverat, quamvis usus illius futurus minimè sit ob impedimentum extrinsecum. Tùm quia nec propositum non concipiendæ prolis, nec debiti non reddendi irritat matrimonium, quando id in pactum non deducitur *cap fini de condit: appos:* & constat in contrahente animo ingrediendi Religionem

nem ante consumationem, quod in hoc casu non deducitur in pactum. Adde *Glos: l. Gallus in princ: verb. in decem Mensibus ff. de liber: & posth:* videri sentire posse concipi prolem in ipsa mortis die, dicens in numero mensium quibus proles naturaliter edi posset, computandam mortis diem. Tùm quia si in mortis articulo potest contrahi matrimonium spirituale profitendo *cap: sicut tenet de regular:* cur ergò non poterit contrahi matrimonium carnale.

Dices 1. Actus incipere non potest, ubi finiri debet, & ideò usufructus inutiliter legatur in tempus mortis usufructuarij in quo est terminandus usufructus *l. Titio cùm moritur. ff. de usufructu* ubi habetur: *Titio cum moritur inutiliter usufructus legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo à persona discedere incipit.* Et ratio est, quia idem momentum nequit causa esse libertatis & obligationis; nam contrarios effectus produceret, quod ex Platone lib. 4 de Republ: pugnat cum ipsa natura rei. At in hoc casu matrimonium debet morte dissolvi; ergò non potest incipere. R. aliud esse differre matrimonium in tempus mortis, à tempore mortis valeat incipere, & aliud id inire mortis tempore. Prius enim fieri nequit utpotè quod est contra vinculi conjugalis naturam, morte ipsa dissolvendi. Et hoc est quod deci, ditur *in l. Titio cùm morietur in eo argumento allegato.* At posterius fieri optimè potest cùm contrahatur tempore habili, ac pro tempore habili. Nec idem tunc producit diversos & contrarios effectus, sed consensus efficit matrimonium valere, quod postea mors dirimit. Ex quibus patet responsio.

Dices

Dices 2. Tunc copula non est possibilis, nec
initur ad vitandam fornicationem, cùm con-
stitutus in articulo mortis hoc periculo careat-
& dato quod huic subesset, nec sibi nec com-
pari satisfac re posset copula habita: ergò ta-
le matrimonium, tanquam duplici suo fine de-
stitutum est irritum. ℞ Matrimonium non
potest contrahi ab eo, qui ex naturali & pro-
pria virtute generare non potest, ut infra dice-
tur, secus quando potest, atque ad id habitum
habet, quamvis ejus exercitium sit ad tempus
morbo suspensum; cùm is habitus possit quan-
doque ad actum & exercitium reduci.

DUBIUM 2. *An matrimonium in articulo mortis etiam in fraudem substituti initum, operetur legitimationem filiorum.* ℞. *affirmativè.* Ita
Sanchez & plures alij. Ratio est; nam generaliter
virtus legitimandi matrimonio tribuitur *capite
tanta qui filij sint legit,* ergo tali matrimonio non
est deneganda Non enim cohæret matrimoni-
um esse validum, & non efficere prolem natura-
lem, ante susceptam legitimam, ut ipsimet adver-
sarij sibi non constantes advertunt *lib: nuper sta-
tim in princip: cap: de natur: liber.* Et hoc esse
verum matrimonium, patet ex dictis dubio præ-
cedenti.

Dices. Quia *lib. nuper cap. de natural: liber.*
deciditur matrimonium habere vim legitiman-
dæ prolis, quando spe sobolis initur, quod in tali
matrimonio minimè reperitur. Tum quia tunc
non potest constitui dos oneribus matrimonij su-
stinendis deserviens, quod requiritur ad legiti-
mandam prolem, *lege dubiam S. de jure dot.*
℞. non valet prima ratio. Quia respondent
Baldus, Couar: & ferè omnes Doctores allegandi

dici id matrimonium ſpe prolis initum, ex eo quod ineatur ad ſuſcipiendam prolem legitimam ratione matrimonij, quæ ex illegitimo concubitu ſuſcepta fuerat, atque ideò proles, illa cum ea nova qualitate eſt effectus, ex hoc matrimonio conſurgens, & quaſi nova proles dicitur. Neque obſtat ſecunda ratio. Quia ad prolis legitimationem dotis conſtitutio attento jure canonico minimè deſideratur. Et hoc verum eſſe, etiamſi vergeret in præjudiciũ ſubſtituti deficiente prole v. g. parens prolis ſic legitimatæ inſtitutus eſt in certa hæreditate, ea tamen lege, ut ſi abſque prole legitima deceſſerit, ſuccedat Titius, dubitatur ergo an verificetur eam conditionem deficere exiſtente prole per id matrimonium legitimata, & proinde ea ſuccedat excluſo Titio ſubſtituto. In hoc ergo caſu ſecluſâ fraude prolem ſic legitimatam ſuccedere excluſo ſubſtituto. Ita Sanchez cum pluribus. Ratio eſt. Tunc enim in dubio poſſet fraus præſumi, quando actus in articulo mortis peractus non eſſet morienti utilis atque alteri noxius eſſet. Et ſic intelligitur *lib: filia mea §. ſoluto matrim* cui oppoſita ſententia innititur. At quando morienti, & filijs ejus utilis eſt, ut in præſenti contingit, ceſſat fraudis præſumptio. Tum quia legitimatio conſurgens ex matrimonio in articulo mortis inito eſt bonum prolis, cui commoda plurima inde pullulant. Non ergo id in fraudem ſubſtituti initum matrimonium præſumitur. Potius enim præſumitur patrem præcipuè liberis conſulviſſe: quamvis ex conſequenti ſubſtitutus defraudetur. Attendendum autem eſt ad id, quod principaliter fit; ex jure proclamatum *lib: ſi quis nec cauſam §. ſi certum petatur lib: 1. §. de authori tutor.* Tum quia in

mortis

mortis articulo minorem fraudis suspitionem esse debere, cùm agatur de damno salutis æternæ irreparabili, cujus immemor non præsumitur morti proximus. Tum quia in dubio in actibus jure approbatis dolus præsumi nequit, nisi perspicua doli indicia præcedant. Et ideo hujus sententiæ est Baldus, cum pluribus, apud Sanchez imò sustinet *Sarmiento & alij*, valere legitimationem hanc etiam in fraudem substituti, quamvis de fraude constaret, cui sententiæ arridet maximè Sanchez loco infra cit: ex his rationibus, nam non verè dicitur substitutum fraudare, qui jure suo utitur actumq; mero jure permissum facit. Non enim injuriam irrogat utens jure suo *lib: nemo damnum §. de regulis juris*. Et quamvis debitor legatum, quod ipso jure relictum est, & acquisitum repudiet, ut creditoribus fraudi sit, id non consideratur, nec fraudi eis fuisse judicandus est; eò quòd jure suo utatur *lib: qui autem §. 1. de his quæ in fraudem cred.* Tum quia si sanitatis tempore ille institutus concubinam duceret, eo animo ut prole suscepta per id matrimonium excluderetur substitutus, nemo dubitaret eum excludi: cùm tamen matrimonium iniretur in fraudem substituti; & idem prorsus detrimentum sequatur substituto, sive noua proles per matrimonium suscipiatur, sive antea habita reddatur per illum legitima: atque in utroque eventu idem sit defraudandi animus. Tum quia filius per id matrimonium quantumvis in articulo mortis mala fide initum, verè redditur legitimus; ut omnes fatentur. Verè ergo facit deficere conditionem, si sine liberis legitimis moriatur: ac proinde substitutum excludet. Nec mala patris intentio ineuntis matrimonij debet

filio nocere: cùm ipse nil à patre consequatur, sed ex beneficio instituentis patrem hæreditatem illam obtinet, qui noluit prolem legitimam hæreditate privari. Tum quia quando actus à parte rei, non est contra justitiam, nec restituendo obligationem inducit, nil refert an bono vel malo animo fiat ad restituendi obligationem producendum, ut communis ferè sententia sustinet. Et ratio est, quod obligatio restituendi oriatur ex eo, quod quispiam sit efficax, & vera damni causa. At mala intentio non efficit ut actus sit damni causa, nec efficaciam ipsi addit, quoties actus seclusâ intentione non est causa illius damni. Cùm enim intentio maneat in intendentis voluntate nil potest operari in alio. Si ergò hoc matrimonium in articulo mortis initum, atque prava intentio non efficit ut actus nocendi substituto, non sit contra justitiam, nec causa damni, ac proinde non obliget ad restituendam substituto hæreditatem, nec ratione malæ intentionis, qua iniretur ad id obligabit. Tandem quia quamvis spurij sint hæreditatis paternæ incapaces fatentur tamen DD. licitum esse eam fidei amici committere, ea intentione ut ille det spurio, dummodo ea intentio non deducatur in pactum: licet fraus quædam legis sit. Ergò etiam in nostro casu ea mala patris intentio defraudandi substituti, non nocebit proli, ut ob id sit excludenda ab hæreditate: eò vel maximè quòd in hoc casu nulla legi fraus fiat: sed attenta lege proles hæc successura erat, ut verè legitima, nisi mala matris intentio obstet. Confirmatur, quia si pater ille dum solutus esset, habuisset eum filium ex concubina soluta: & postea ex alio matrimonio genuisset filios legitimos, ac mortua uxore jam in extre-

extremis constitutus duxisset concubinam, ut sic filius ille legitimaretur, & hoc in fraudem aliorum filiorum, ut cùm illis succederet in bonis paternis, durissimum esset ob sinistram patris intentionem, excludere filium hunc ab hæreditate. Cùm beneficio legis tanquam verè legitimus in ea succedat. Ergò idem in nostro casu dicendum est. Ita Bald: cum plurimis apud Sanchez loc: cit: his tamen non obstantibus rationibus.

Dices 1. Licet religionis professio efficiat deficere conditionem, si absque liberis decesserit: tunc enim sic institutus non censetur absque liberis decedere, sed succedet monasterium excluso substituto in casu quo liberi deficerent *c. in præsentia de probat.* At universi scriptores hoc ibi intelligunt nisi in substitui fraudem professio in articulo mortis facta sit: ergò idem dicendum est in matrimonio carnali fraudulenter inito. Valet enim argumentum à matrimonio spirituali ad carnale. ℞. disparem esse rationem. Quoniam professio monachi efficit ut deficiat conditio, si absque liberis ille decesserit, magis ex juris potestate volentis monasterium haberi loco filij favore professionis, quàm ex testatoris voluntate, & ex vi verborum: unde mala fide suscepta, ad excludendum substitutū, non operabitur eundem effectum. Conditio enim quæ à lege præsumitur circa liberos, intelligitur de juste susceptis. At proles per matrimonium legitimata, excludit substitutum ex ipsamet testatoris voluntate: unde non mirum si prava intentio patris non redundet in damnum ipsius prolis, quæ non à patre, sed ab ipso priori testatore vocata est ad eam hæreditatem. Sic respondet Ioan: Garcia *de nobilitate glos: 19. n. 60.*

Dices 2. *Ex l. filia emancipata 60. §. sol: matr.* ubi deciditur, quando pater constituit dotem filiæ ægræ, sub ea lege, ut filia decedente in eo matrimonio sibi reddatur, non prodesse marito divortium aliàs jure permissum, si fraude celebratum sit, ne filia in eo matrimonio decederet: ac proinde non restitueretur dos patri ℞. ad dictum textum *in ea l. filia mea.* Non soli defraudandi animo initi, sed tacitæ patris voluntati, sub ea conditione dotantis filiam. Mens enim patris præsumpta fuit in solo matris casu sibi prospicere: nec præsumitur ipsum fauere voluisse diuortio in ipsius fraudem celebrato. Quod non obscurè significat *Gl: ibi verb: redderet;* subijciens illius decisionis rationem his verbis: *cum in casu mortis tantùm sibi prospexerit pater.* Quod in nostro casu deficit: nam testator instituens parentem, atque alium substituens, si deficeret proles legitima, noluit substituto contra prolem legitimam favere, imò illi prætulit prolem legitimam, atque adeò fraus & mala patris intentio proli nocere non debet.

Dices 3. *Ex cap: 1. de renunciatione in 6.* ubi asseritur renunciationem beneficij, quam quis liberè & licitè facere poterat, non afferre ullum præjudicium expectanti quando in ejus fraudem facta fuit. ℞. eam esse specialem hujus textus decisionem, qui expectativis à Pontifice concessis, voluit favere. Quare ea decisio ad alios casus trahenda non est.

Dices 4. Quia ex l *si eum mulier §. rerum amotarum &c.* & ex alijs plurimis textibus probatur nimirum fraudibus indulgendum, viamque dolis sternendam, si omnia quæ quis facere potest, illicò posset in alterius fraudem convertere. Et

sic

sic corruerent omnia jura disponentia locum fraudibus minimè dandum esse. R. nullum esse absurdum, quando fraudes injustæ non sunt, ac perinde omni injuriâ vacant. Quippe eæ non merentur verarum fraudum nomen; cùm re sua neminem privent, sed jure suo quisque utatur, quamvis in charitatis legem delinquat ob malam intentionem.

Dices 5. quia *lib. 2. §. de aqua, pluvia arcenda §. idem labeo el 2. deciditur* avertentem flumen non teneri de dolo, quamvis vicino noceat: & subditur: *si modo non hoc animo fecerit, ut tibi noceat: sed ne sibi noceat.* Ergo quando animo nocendi avertit, tenetur de dolo, quod fatetur & ibi Gloss. verbo noceat. Tandem quia Valer: Max: lib: 7. refert sententiam matr. Thracalorum Ariminensium iratam filijs nupsisse in eorum contumeliam Publio seni, ac filios in testamento præterijsse: atque aditum August. improbasse nuptias; & testamentum matris, atque adeò bona filijs restituisse. R. cum Navar. *lib. 3. de restit: c. 5. in nova edit: dub: 1. n. 12.* ubi & alios refert illam legem non ob malum animum id decrevisse. Nam nec sufficiens is erat, nec judici cognitus esse poterat. Quare id decrevit ob nullum finem utilem & necessarium, lex præsumit dolosè & iniquè fieri: atque ideo dat actionem de dolo. Etenim si venas rescindat ob causam sibi utilem, liquet id jure facere, ac nulli injuriam eum irrogare: utpote qui jus sibi consulendi habet. At si nulla necessitate adducatur ad illud faciendum, perspicuum omninò est, non posse illum id jure facere: quin potius alterum absque ulla causa, & non utens jure suo lædit: & ideo malus animus præsumitur, & datur contra illum actio de dolo.

dolo. Attendit ergò Vlpianus non animum lædendi, sed etiam attendit actionem externam dolosè ac sine jure intentam. Ad ultimum dic ex eo gesto Augu: nil probari: constat enim errasse dissolvendo ob id matrimonium.

DUBIUM 3. *An matrimonium in articulo mortis absque parocho & testibus contractum sit irritum?* R. *affirmativè.* Ita Cardinal: Lauræa, Mastrius, Sotus, Medina & alij plures (a) Ratio est; nam ubi in dispositione dicitur aliter fieri non posse; inducitur forma, & quando ponitur decretum annulans, ut docet Felinus *cap: cum dilecta de rescript: n. 9, sign: 5.* Sed in Trident. *sess. 24. de matrim. cap. 1* dicitur, aliter fieri, non posse matrimonium, quàm præsente parocho, & duplici teste, & aliter contractum redditur irritum; ergò inducitur forma; & proinde in nullo eventu absque ea solennitate initum erit validum; res enim sine sua forma, nunquam subsistere potest. Tum quia in hoc casu redduntur omninò inhabiles contrahentes, Vbi ponderanda est dictio, *omninò*, quæ significat in omni eventu sine ulla exceptione, sive remedio ac dispensatione ut notavit Sanchez *lib: 1. disp: 32. n. 6.* Ponderandum etiam est reddere inhabiles, nam inhabilitatem materiæ sacramenti, nullus necessitatis casus potest supplere, ut in nulla necessitate possunt consangvinei matrimonio copulari, eò quòd materia est inhabilis, ut benè tradunt Sotus, Medina, Henriquez, & alij (b) & ratio est non ratione legis Ecclesiasticæ, quasi obliget in tanta necessitate, sed ratione legis naturalis, & Divinæ ibi inclusæ dictantis, nunquam licere accedere ad non suam, & eo ipso quòd Ecclesia inhabilitat materiam ad matrimonium, non potest cum illa consi-

stere,

stere, & ita esset accessus ad non suam. Item quia ibi est inclusa lex Divina ut sacramentum constet ex materia apta & forma, Ecclesia autem potest in matrimonio hanc ineptitudinem materiæ constituere. Unde Ecclesia reddente materiam ineptam lex Divina est, ut non consistat matrimonium: Ergo nulla necessitas, potest supplere hunc defectum. Ita Navarr: Petrus, Ledesma, apud Sanchez & alij (c)

Dices 1. Leges Divinæ recipiunt interpretationem, de bono & æquo & ex Epicheia, ut quæ pro chatitate inducta sunt, ipsi non adversentur sicut *Ioan*: 3. habetur, neminem absque baptismo salvari posse, & tamen deficiente ministro, vel copiâ aquæ, satis esset baptismus in voto. Ergò à fortiori leges humanæ recipiunt eandem Epichejam, sed si in hoc casu matrimonium absque Parocho, & testibus initum esset nullum, adversaretur charitati, quia proles per matrimonium illud legitimanda destituta remaneret, & sæpè morti proximi valdè affecti erga concubinam salus periclitaretur spiritualis non contracto mattimonio, quo huic pravæ affectioni consulat. Tum quia, quoties casus evenit ijs vestitus circumstantijs, quibus non ita expressè decisus est, attendendum est, quid in eo casu lagislator consultus responderet, idque sequendum est, ut tradunt communiter Theologi 1 2. *quæst*: 96, *artic*: 6. Pontifex autem de hac extrema necessitate consultus absque dubio responderet, posse absque Parocho & testibus contrahi: ergò &c. R. argumentum procedere quo ad legem merè præceptivam & inducentem contractui solennitatem ex-

trinse-

trinsecam, non autem quò ad inducentem solennitatem substantialem, & inhabilitantem materiam, Nec hoc adversatur charitati, valde enim bono communi expedit hujusmodi rigore legem esse latam, nec in hoc casu aliter Pontificem responsurum tenendum est, per quæ patet solutio confirmationis.

Dices 1. Absolutio à quolibet simplici sacerdote in articulo mortis, dum non est copia proprii sacerdotis est valida ex Concilio Tridentino *sess:* 14 *cap:* 7. ergò etiam matrimonium cui simplex sacerdos assistit in articulo mortis. Consequentia valebit ex regula juris 35. & 36. quod valet ad majus, valebit ad minus. ℞. Neg: consequ: & ratio differentiæ est, quòd pænitentia est sacramentum necessitatis, & tamen potest validè conferri in eo casu à simplici sacerdote, ergò etiam matrimonium. ℞. disparem esse rationem, quia lex Ecclesiæ præcipiens extremam unctionem, non nisi à Parocho ministrari, non habet decretum irritans aliter factum sicut habet lex præcipiens matrimoniũ fieri cum Parocho.

Dices 3. Præceptum Ecclesiasticum non obligat eo rigore, ut in magna necessitate non liceat contravenire, ut patet in præcepto Missæ, jejunij &c. ergò &c. ℞. hoc verum esse de simplici præcepto Ecclesiastico, non autem de eo in quo concurrit jus naturale & Divinum, ut est in casu nostro,

Si dicas, potest in tali casu contrahi absque denunciationibus, prævijs, ergò & absque præsentia Parochi & testium. ℞. denunciationes pertinere ad solennitatem accidentalem, horum autem præsentiam ad substantialem. Quia in

hac

hac lege Concilij inducitur forma substantialis, secundùm quam matrimonium debet fieri, siquidem ponitur in ea decretum irritans matrimonium aliter factum. Tùm quia defectus materiæ & formæ in sacramentis in nullo casu suppleri potest. Ergò si illæ personæ, sunt omninò inhabiles, eorum consensus, non possunt esse materia & forma sacramenti in aliquo casu: undè hæc lex matrimonij Epicheiam non admittit, sicut aliæ leges præceptivæ contractuum, quibus solennitas accidentalis, & extrinseca præcipitur

Dices 4. In hoc casu cessant inconvenientia, quibus obviare voluit Tridentinum. non enim est periculum ut conjux superstes, contrahendo postea cum alio maneat in perpetuo adulterio, cùm matrimonium illud clam contractū, sit statim morte dissolvendum. ℞. ex Sanchez *loco cit: num:* 5. negando in hoc casu cessare rationem, quia potest in articulo mortis constitutus supernive. Tùm quia licet illa ratio maximè induxerit Tridentinum, non tamen eā sola fuit, ut colligitur ex illis verbis : *cùm sancta synodus gravia peccata perpendat, quæ ex clandestinis conjugijs ortum habent, præsertim verò eorum &c.* nam dictio *præsertim,* quæ implicativa est, ejus est naturæ ut explicet casum certiorem, & implicet minus certum, ut patet ex Sanchez *lib:* 2. *disp* 39. *num:* 6. cessante autem una ratione legis, quando aliæ supersunt, non cessat lex.

Neque dicas sufficere licentiam præsumptam Parochi, aut ratihabitionem de futuro, ut docent cum communi Sanchez *lib:* 3. *disp:* 38. atque ita potest cum tali licentia ministrari à

simplici

simplici sacerdote Eucharistia & pænitentia, ergò R. id licere, quia illa sacramenta sunt necessitatis: matrimonium autem est voluntarium.

Instabis. Potest cum tali licentia ministrari à sacerdote Extrema vnctio. Ergò R. posse, quia est præceptum merè Ecclesiasticum, non autem hujusmodi, ut dictum est supra.

Dices 5. Si quis letaliter vulneratus, vel morti proximus contrahit clandestinè cum femina concubina tum ob salutem animæ tum ob mulieris honorem & ut filios legitimos reddat, si tunc copia Parochi & testium haberi non potest; nam in tali præsertim casu cessat finis legis, quia sequitur mors unde nullum est periculum transeundi ad secundas nuptias, & perpetui concubinatus, ad quæ Tridentinum respexit, quando clandestinum invalidavit. Confirmatur. quia lex positiva præsertim humana non obligat cum gravi incommodo, & nocumento ut constat de lege audiendi missam, jejunio &c. quare hujusmodi casum possumus conjectari Concilium comprehendere noluisse. Jta Soto *in 4. dist.* 22. *qu:* 1. R. ad hoc (quod est Achilles adversariorum) argumentum, jam alibi insinuatum cum Mastrio *loco infra cit:* nempè ob nullam necessitatem, tale matrimonium sine Parocho & testibus valiturum. Quia Tridentinum absolutè, & absque ulla limitatione irritat illud, & reddit personas inhabiles, quæ nulla necessitate habiles fieri possunt; nàm præsentia Parochi & testium ponuntur pro forma matrimonij, & pro tali forma (ut perspicuè discurit Cardinal: de Luca *discurs:* 26. *ad sess:* 24. *de reformat: matrim: cap.* 1. & *cap.* 9. *in Annot: ad*

not: ad S.C.T. Cujus omissiò actum vitiet, & in qua decretum annulativum cadit, solùm consistit in præsentia, & interventu proprij Parochi vel alterius de ipsius, vel, de ordinarij licentia, & duorum testium, quorum omissio validitati matrimonij causat præjudicium. Et quamvis urgens necessitas excuset ab obligatione legis positivæ præcipientis, aut prohibentis, etiam Divinæ, non tamen efficit habilem, alias lege inhabilem, neque validum, quod lege irritante est nullum; & licet motivum legis, invalidantis fuerit illud jam in argumento adductum, & illud cesset in assignatis casibus, non ob id cessare censendus est vigor legis, quia lex contra omnes contractus clandestinos lata est universaliter, & absolutè loquendo, quia Ecclesia præscribere voluit formam & validitatem legitimæ contractus in universum, & formam essentialem & necessariam, in omni casu nullam permittens exceptionem, & moribundus ille benè salvari potest, per pænitentiam de præterito, neque existimatio famæ mulieris, & legitimatio prolis tanti ponderis est, ut aditum relinquere debeat, ad infringendam Ecclesiæ legem, præscribentem formam substantialem conjugij inter fideles.

Si dicas. Pro casibus similibus extremis Ecclesia de remedio providit in alijs materijs, ut casuum reservatorum, censurarum &c. Ergò etiam in hac extrema necessitate, in articulo mortis. Ergò. ℞. Neg: consequ: quia illa sunt ad salutem necessaria, non autem matrimonium, nàm si moribundus sit concubinarius, poterit conteri, atque confiteri absque matrimonij contractione ut dictum est; ac proinde Eccle-

sia pro

sia pro hoc casu dispensavit in matrimonio clandestino.

Si dicas. Si post matrimonium coram Parocho, & testibus contractum, deprehendatur aliquod impedimentum occultum dirimens; tunc obtenta dispensatione satis erit, ut vir & mulier de novo consentiant in matrimonium inter se mutuò contrahendum, & consensum illum signo aliquo externo, sibi invicem manifestent absque Parochi & testium præsentia, ut docent communiter DD. Ergò etiam in casu potest sic fieri, maximè, quando extrema necessitas, & articulus mortis urget. ℞. Cum Patre Mastrio *loc: cit* negando paritatem; & ratio disparitatis est; in hoc casu & alijs supra adductis, quia in hoc ultimo casu optimè validatur matrimonium, absque nova Parochi præsentia, & aliorum testium, eo quod præsentia, antiqua & præcedens, in casu impedimenti, vel defectus occulti sufficit ad evitanda incommoda, quorum intuitu Tridentinum irritavit matrimonia facta absque Parochi præsentia, & aliorum testium, quod in alijs casibus supra adductis dici non potest, quia nulla præcessit Parochi & testium præsentia, sufficit inquam in hoc ultimo casu antiqua præsentia parochi, & testium, ad evitanda absurda & incōvenientia, ex clandestinis matrimonijs consurgentia. quia tunc matrimonium, esto invalidum ex occulto defectu publicum fuit in facie Ecclesiæ; & ideò si aliud matrimonium contrahere vellent impedirentur ab Ecclesia, quæ primum matrimonium in foro externo validum judicaret, qua de causa matrimonium sic contractum nequit dici clandestinum, quia

semel in facie Ecclesiæ contractum fuit, quod sufficit ad tollendam clandestinitatem.

Dices Saltem hoc matrimonium contractum clandestinum absque Parocho in vim sponsaliorum posset valere? R. *negativè* Ratio est, nam matrimonium clandestinum vim sponsaliorum non habet: unde contrahentes nec publica auctoritate, neque à confessarijs cogi possunt, ad contrahendum secundum formam Concilij Tridentini. Nulla enim obligatio, nec civilis, nec naturalis oritur ex consensu præstito in matrimonio clandestino, quia actus à principio nullus, nullum producit effectum: actus autem gestus contra legem, quæ substantiam actûs prohibet nullus est, (ut juris consulti loquuntur) ac proinde nullam obligationem infert Id confirmat Concilium Mediolanense *V. part: III. Tit: de matrimonio*: *Qui testibus adhibitis* (inquit) *ac sine Parocho aliove sacerdote cui is, vel ordinarius facultatem dederit matrimonium de facto contraxerint, ne eos cogi liceat ut denuò inter se contrahant, nec rursus eo nomine impediri, quominus eorum unus quisque cum alijs liberè contrahat: Cum illud eorum factum, ne sponsalium quidem nedum matrimonij vim habeat* Atque ita judicavit sacra Congregatio Concilij.

Dices. Jn articulo mortis, si quis velit contrahere cum aliqua, vel ad legitimandam prolem ex ea susceptam, vel ad tollendam infamiam, & dedecus fæminæ, vel simile incommodum, poterunt licite omitti monitiones de licentia Parochi, si ordinarius adiri commodè nequeat. ergò etiam potest contrahi matrimonium in articulo mortis stantibus his incommodis sine Parocho. R. Neg: consequ. & ratio est; quia pro

necessitate talis articuli est evidens Epicheia intentionis Concilij ex quo clarè constat non concessisse, imò tacitè negasse, quòd in dicto articulo mortis possit contrahi sine Parocho, & sine testibus, neque ad hoc potest Episcopus licentiam dare. Ita Diana *p. 5. tract. 3. resolut: 98.* ubi refellit Sotum & Graffium docentes, dari quatuor casus, quos ibi exprimit, in quibus licet clandestinè contrahere sine Parocho & testibus id tamen refellit etiam Pontius *de matrimonio lib: 5. cap: 6. num. 3.*

a. Cardinal: Laurea *disp: de matrim:* Mastrius *disp: 20. de Matrimonio sacram: quaest: 3. artic: 1. num: 44. & 45. in Theol: Moral.* Sanchez *lib: 3 disp. 17. num. 4.* & plures alij.

b. Sotus *lib: 1. de justit: qu: 6. a. 4. ad finem corporis.* Henriquez *lib: 12. de Matrimonio cap: 1: ad fin:*

§. III.

Quò ad metum Causâ mortis.

DUBIUM 1. *An metu naufragij, matrimonium promissum teneat?* v. g. Si quis metu naufragij, promittat aliquam pauperculam ducere in uxorem, & defacto titulo charitatis cum illa contrahat? ℞. *affirmativè*, Ratio est quia non ab alio sed à se ipso inducitur. Ita Vivaldus cum alijs (a) Tùm quia motus à causâ naturali, vel internâ proveniens irritum non facit matrimonium. Neque enim consensus tali metu expressus, libertati electionis, neque Ecclesia contractum ex eo factum declarat irritum. Si quis igitur metu damnationis

ætet-

æternæ vel mortis ex morbo, aut naufragio imminentis, ducat uxorem, quam aliàs non duceret, ratum matrimonium est.

DUBIUM 2. *Si judex justè ad mortem damnato promittat impunitatem, si ducat filiam occisi vel ejus uxorem, licet de hac re lex non extet, an valet matrimonium?* ℞: *affirmativè* Ita Covarr. Vega, Petrus de Ledesma, Sanchez. (b) Ratio est Quia metus non inijcitur ad matrimonium ineundum, sed jam conceptus aufertur traditurque evadendi periculum, modus, quando præsentaneam certamque mortem timebat, vel aliud malum grave. Quare non est audiendus noster Angles Scotista *in floribus de matrim: qu: 3 de consensu coacto artic: 1. dist 2. conclus: 3. fol: 548.* Ubi ait, si judex latroni suspendendo pœnæ remissionem promittat hac conditione, ut aliquam ducat, non valere matrimonium. Quia ad hunc finem incussus est metus; nam id est verum, quando incutitur is metus aliàs nihil timenti, sed spem evadendi probabilem habenti. Eò vel maximè valet etiam matrimonium, damnati ad patibulum ob aliquod delictum, qui dum portatur, & ducitur ad patibulum, dicit se velle matrimonium contrahere cum aliqua meretrice, ut mortem evitet, ut in multis regionibus practicari solet. Nam ille non est causa, sed occasio matrimonij, quia is metus non eo tendit ut matrimonium ineat, sed propria sponte damnatus id evadendi medium eligit.

Quod si judex exigat à reo injustè damnato matrimonium per oblationem impunitatis, an tale matrimonium valeat? ℞ Quidquid dicant alij *negativè*, Quia in tali casu, cum re-

us à judice injuste damnetur seu damnatus sit metûs proprie videtur à judice incuti, & injuriosè matrimoniū extorqueri; non enim metus tunc habet originē à culpa damnati, sed ab injustia judicis, à quo etiam ordinatur ad matrimoniū extorquendum: ac proindè metus videtur injustè illatus ad extorquendū matrimoniū: secùs verò si tertius, aut alius à judice condemnatore huic injustè damnato promittat impunitatem, si nubet cum tali, tunc enim valeret matrimonium, quia tertius ille non potest dici inferre, sed potius debet dici, auferre metum jam conceptum, licet ex causa injusta: secus etiam si injustè à judice damnatus sponte se offerat ad matrimonium cum filia judicis, ut impunitatem obtineat, quia tunc sponte eligit, nec dicitur metu contractum: quia sponte eligitur, ut à carcere vel morte liberetur. Jta Bossius *cap: 12. de matrimon: contractu num: 186.*

DUBIUM 3. Si Rex deprehenso in homicidio, vel alio crimine, propter quod justè posset occidere, minetur mortem, & per se tantùm intendat pro crimine supplicium sumere, ille verò ut mortem evadat feminam poscat in uxorem, quamvis sciat non aliter pœnam esse condonandam, an tali casu matrimonium valeat? R. *affirmativè.* Jta Pontius Rebellius, & idem dicendum de eo, qui plectendus est capite, & promittitur ei impunitas si ducat uxorē, aut filiā occisi, quia ut habet Pontius cit licet judici compellere etiam ad compositionē justam, magistrat⁹ enim non infert vim. Undè Navarr: quem refert Sanchez *lib: 4. disp: 13. n. 12.* scribit: solere Pontifices sub eadem conditione aut ingrediendi Religionem, pœnas remittere debitas.

DUBI-

DUBIUM 4. *An deflorator repertus in ſtupro, ne ab ejus parentibus occidatur, liberè contraxit matrimonium, cum deflorata, an inquam valeat & teneat matrimonium?* ℞ *affirmativè.* Ita Boſſius *loco cit. num. 128.*

Nec obſtat ſuſpicionem probabilem metûs inferendi haberi pro metu ſeu incurrere metum viri conſtantis & juſtum. Nam id intelligendum eſt, quando deprehenſus v. g. in eo delicto, timet fore, ut metu mortis cogatur ad contractum, ſeu matrimonium, quia tunc eſt probabilis ſuſpicio metûs inferendi ad extorquendum matrimonium, atque adeò cûm ſit metus is juſtus, ſeu viri conſtantis, tendat que ad eum finem; irritabit matrimonium, ſecùs tamen, quando non eſt probabilis ſuſpicio metûs inferendi ad eum finem, ſed ad vindictam, de ſtupri injuria ſumendam; & ſtuprator ſua ſponte matrimonium cum deflorata offerat, ut injuriæ pœnæque veniam obtineat.

DUBIUM 5. *An matrimonium metu contractum per eum, qui in ſtupro repertus eſt; & per parentes & conſanguineos ſtuprata coactus eſt, ſit validum?* ℞: *affirmativè.* Ratio eſt, quia quoties metus ex parte agentis juſtus, ſeu juſtè illatus eſt à lege illatus. & incuſſus ad finem matrimonij, matrimonium eo metu celebratum eſt validum, lege id permittente, & præcipiente luere, ſi lex vel ſtatutum decernat ſub pœna mortis, vel alia, ſtupratorem debere nubere ſtupratæ & ad illam ducendam poſſe & debere cogi per judicem; ſi judex comminatione gravis pœnæ cogat ſtupratorem juxta legem ad contrahendum cum ſtuprata, validum erit matrimonium: Et ratio eſt; tùm quia non

infert vim judex, qui jure permittente, ſeu u-
tendo juris remedijs id facit. Ut Gloſſ: *in cap:*
cum dilectus V. metum de his quæ &c. Sanchez
plures allegans [c]. Tùm quia metum paſſus,
eam eligit viam, ut pænam à lege ſtatutam
evadat. Tùm etiam quia in tali caſu neceſſi-
tas non eſt ab extrinſeco, ſed à principio in-
trinſeco, nam volens delictum implicite vult
pænam delicto annexam

DUBIUM 6. *Si quis homicida vel alterius*
gravis criminis reo, minetur juſtam accuſatio-
nem niſi cum tali contrahat, an valeat matrimo-
nium? R. ex Boſſio *loc: cit: affirmativè.* Ra-
tio eſt, qvia metus juſtæ delationis non infer-
tur cum injuria & oritur ab ipſomet metuente,
qui illi dedit voluntariè & liberè cauſam ſuo
delicto; & aufertur potiùs metus mali per ju-
dicem inferendi, quàm inferatur. *Nec obſtat,*
quod alij dicunt nimirum talem quidem habe-
re jus ut alterum delinqnentem contra ſe, vel
contra Rempublicam accuſet, non autem ut or-
dinet accuſationem ad extorquendum conſenſum
conjugalem, ſeu ut minando accuſationem co-
gat delinquentem ad contrahendum matrimoni-
um, niſi ad id delictum ex ſe inducat, vel fiat
in debitam & juſtam ſatisfactionem & com-
penſationem delicti; ac proinde tunc timorem
accuſationis inferendæ, ſi ille non duxerit ta-
lem, injuſtè incuti & ita reddere matrimoni-
um nullum. Sed hoc reijciur ut falſum; nam
cùm minans accuſationem ratione delicti ab
altero commiſſi, habeat jus illum accuſandi,
incutiendo illi timorem dictæ accuſationis, ſeu
pænæ per judicem inferendæ, non facit illi inju-
riam [eſto peccaret contra bonos mores, nem-
pè con-

pè contra bonum Reipublicæ desistendo ab accusatione, eò quòd delictum ad exemplum aliorum non puniretur] non incutit illi metum injustè. Tùm quia metus iste habet originem ab ipso metuente, qui suo delicto eidem metui præbuit ansam, scilicet voluntariè & libere præbuit causam, ut talis timor accusationis, licitè & justè inferri posset; atque adeò etiam promissione desistendi ab accusatione, potiùs metus ex suo delicto oriri aptus, vel jam conceptus aufertur: unde justè minans accusationem non potest dici cogere reum ad matrimonium, sed coactionem ab ipso reo provenire, quique eligit matrimonium ut medium ad evadendum metum à se in causa sponte & libere volitum.

DUBIUM 7. *Si uxor in adulterio à viro deprehensa, eidem viro* minanti accusationem, nisi in talem contractum consentiat an valeat contractus? ℟. *affirmativè* docent Sylvester, Sanchez locis citatis. Ratio est; quia in tali casu contractus est celebratus metu justè & sine injuria incusso. secùs verò si metus injustè & injuriosè incuteretur, ut si maritus uxori in adulterio deprehensæ mortem privata auctoritate minaretur, nisi in contractum consentiret, ut communiter summistæ docent; Quare communis doctrina traditur, quando metus absque injuria incussus; secùs verò, quando etsi metum passus culpæ reus fuit, seu suo delicto metui ansam dedit, tamen metus injustè, & non juridicè incutitur, ut in exemplo de marito qui uxori adulteræ privata auctoritate minatur mortem: *ut te idam te, nisi in talem contractum consenseris*, & de Patre item, qui comminatur privata auctoritate interficere juvenem repertum

cum filia; In his enim casibus metus incussus ei, qui suâ culpâ in illum incidit, vitiat contractum, quia injustè, & injuriose incutitur, scilicet ab eo, qui non habet jus inferendi. Undè meritò ab Alexandro VII. in ordine propositio 19. est damnata, cujus tenor est talis: *Non peccat maritus occidens propriâ auctoritate uxorem, in adulterio deprehensam.* Nullatenus à letali peccato excusare id, quod hac in re taliter committitur, nec ab universali prohibitione Inprimis enim jure ipso Divino naturali sub præcepto. *Non occides Deut.* 5 *V.* 17. pluribus alijs locis replicato veratur à DEO omne homicidium, quod privatâ auctoritate fit, sed in casu propositionis damnatæ occidit maritus, ergò à mortali peccato non excusatur. Prohibetur etiam expressè in iure Canonico *c. inter hac* 33. *quæst:* 2. ubi extat etiam *in cap: admonere*, elegans testimonium ex Stephano Pontifice, in causa Hastulphi uxorem interficientis ob prætextatum adulterium, sed graviter ab ipso Pontifice reprehenditur occisio, & illi imponit severam pænitentiam, ac subdit: *Prius causa criminis erat subtiliter investiganda, & tunc si ita fuisset inventa secundùm legis tramitem, debuit accipere ultionis vindictam. Nam si verum [quod absit] fuisset, sicut ille adulter mentitus est, post septem annos, pænitentiâ peractâ, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses, occidere tamen eam nullatenùs debuisti. Non enim Deus vult mortem peccatoris, sed ut convertatur ad pænitentiam & vivat.*

DUBIUM 8. An ubi ex lege vel statuto, aut consvetudine reo condonetur pæna mortis, vel alia gravis, si meretricem vel filiam occisi, vel ali-

quam aliam feminam duxerit, valeat matrimonium stante, quod reus sit damnatus juste ad pœnam. R. *affirmativè* Ita apud Bossium loc: cit. Couarrovias, Sanchez, & Pontius (d) ubi reddit hanc rationem, scilicet, quia censetur tunc à Republica, vel Principe matrimonium illud sufficiens compensatio delicti, sed potior ratio est, quam reddit *Couarruvias*, & approbat Sanchez nempe, quia tunc metus non infertur ad contractum faciendum, sed potiùs metus quem ille jam conceperat, & habebat, ab eo aufertur, & propria sponte damnatus id evitandi eligit. Idem dicendum, si illi qui capite, aut alio gravi supplicio plectendus est ob homicidium legitimè probatum consvetudine, (quàm in multis locis vigere ait Sanchez: *loc: cit: n. 12.*] condonetur vita, aut ea pœna à consangvineis occisi ea lege, ut filium occisi aut alium ejus consangvineum ducat; valet enim matrimonium, quia metus non infertur, sed jam conceptus aufertur, & impunitate si nubat, ut tradunt Sanchez, *n 11.* & Valentia *tom. 4. disp: 10. quæst: 3. p. 2 versiculo tertio sequitur.* & docet etiam *Pontius dicto n. 9.* Tum tandem quia metus justè incussus, non vitiat actum, ut ostensum est, dùm non intervenit injuria, cùm in tali casu judex justè pœnam mortis, vel aliam infligere possit; neque ex eò, quòd offerat impunitatem, si nubat, ullam injuriam illi infert.

DUB: 9. *An Pater metu mortis cogens filios ad contrahendum matrimoniū eo ipso irritet & invalidet matrimoniū contractum?* R. *affirmativè* Quia metus est, cadens in constantē virum, & ab extrinseco illatus, per consequens irritativus contractûs. Et quidquid secus senserint Doctores præsertim juris periti ante Concil: Tridentinū; hodie tamen cer

tum

tum est de fide filiorum matrimonium sine parentum in quorum potestate sunt consensu, & ipsis invitis ac reclamantibus esse validum, nec parentes illud posse irritare, ita ut contrarium apertè sit hæreticum idque ob dispositionem Concilij Tridentini *in d. c. 1. de reformatione matr: sess: 24.* vbi, *anathemate damnat eos, qui falso affirmat matrimonia à filijs familias, sine parentum consensu contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrata facere posse.* Quare leges civiles, in quibus videtur sancitum filiosfamilias sine parentum voluntate & assensu non posse justas & validas contrahere nuptias, & quæcunque similes constitutiones mancipales non valent, (prout Bossius *cap: XI. de matrim: contractu n. 65.*) per jus Pontificium seu Canonicum, & per Ecclesiæ sanctiones, cujus dispositio in nuptijs potissimum spectatur. Honestum tamen est, atque Reipublicæ maximè conveniens & consonum, quòd filij & præsertim filiæ parentum consensum requirant, non quò ad necessitatem & valorem, sed quò ad honestatem, ut sic illud, quod de jure civili videbatur necessitatis, sit de jure Canonico immò naturali honestatis. Quare possunt licitè parentes moderata & levi coactione, scilicet paterna increpatione & svasionibus cogere filium & filiam ad certum matrimonium (supposito quod velint conjugalem statum eligere) nam si hunc statum nolunt eligere, sed meliorem ut cælibatûs aut religionis, certum est non posse à parentibus etiam paterna admonitione vel increpatione ad matrimonium cogi : quia contra rationem est, filium qui est sui juris ad eligendum statum, & vult meliorem eligere, cogi etiam leviter ad statum minorem, vel à certo matrimonio contra-

hendo

hendo retrahere & impedire, si adsit justa & rationabilis causa id faciendi, puta quia ad tale matrimonium filius ratione promissionis, vel aliunde teneatur, vel est ipsi maximè expediens, aut non expediens, tale matrimonium contrahere. Ita cum alijs Menochius *consi io 69 n. 3 lib: 1.* rectè addens, posse parentes filijs volentibus contra eorum voluntatem contrahere, comminari pænam exhæredationis casu quo sibi permissum est ob id exhæredare ut Sanchez *d. disp. 22, n. 3. & 7.* Guttierez, Coninch *disp: 8. dub: 5.* & Hurtad *disp: 7. diff. 8.* cùm enim parentibus maximè incumbat prospicere bono filij, & filij bonum, & malum quodammodo sit malum, & bonum parentum, non est irrationabile id concedere parentibus: neque hoc est cogere, cùm metus gravis cadens in constantem virum non inferatur, neque etiam impeditur filius, quominus matrimonium contrahat; quia cum pater per se vel per principem ex justa causa (puta, quia matrimonium, quod vult filius contrahere esset indignum) filium absque exacta & gravi coactione, & absque vi & metu gravi cadente in constantem virum, sed medijs suasionibus vel increpatione parentum, paterna retrahit filium à tali matrimonio, potest aliud dignum retrahere. Dixi *si adsit rationabilis causa* nam non poterit filius cogi adhuc levi coactione ad matrimonium ordinariè & non ualde expediens, neque abstrahi à tali matrimonio, quando non adest aliqua rationabilis causa, idque ob omnimodam libertatem filij ad electionem status perpetui, ut colligitur ex allegatis Doctoribus. Addunt Sanchez & alij plures DD. neque etiam levi coactione, & medijs suasionibus, posse licitè impedire

matri-

matrimonium filij, quando ad tale matrimonium tenetur ratione fidei, seu sponsalium, à quorum impletione, excusari non possit, nullaue sit causa justa eadem sponsalia dissolvendi; tunc enim impedire esset peccatum mortale; ut tradunt ijdem Doctores, & videtur manifestum.

Et non absque fundamento in articulo mortis non est absolvendus à confessario pater, qui non vult prius revocare testamentum, in quo filiam exhæredavit, quia nupserat contra ejus voluntatem; & hoc verum est, etiamsi extent de hac re statuta in quibus cavetur, ne filius vel filia possent contrahere contra Patris voluntatem, aliàs cadant ab hæreditate Ratio est, quia Trident: *sess*: 24. *cap*: 9. præcipit sub pæna anathematis ipso facto incurrenda, omnibus cujuscunque gradûs, dignitatis & conditionis, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominus liberè matrimonia contrahant, unde hujusmodi leges, vel statuta sunt contra Ecclesiasticam libertatem Ita Diana *p* 1. *tract*: 2. *resol*: 75. *alias* 47. & notat non comprehendi sub dicta pæna Reges nec Imperatores, cùm non exprimantur, prout essent exprimendi. Imò idem Diana *ibid* *versu notandum est etiam* asserit cum pluribus, dictam excommunicationem non incurri à patre injustè impediente filiæ matrimonium, quam si exhæredavit; absolvi nequit in mortis articulo nisi testamentum revocet. Ita Cassianus à S. Elia Carmelit: *V. Articulus mortis quo ad matrimonium num*: 144.

DUBIUM 10 *An matrimonium contractum ab ægroto morbo letali oppresso, cum filia medici minantis se nolle mederi nisi dictam ejus filiam ducat, vel aliam feminam validum sit* R. cum dic-

st. acti-

stinctione. Nam affirmativam autem defendit Sotus, Vega, quos sequitur Sanchez [e] ubi testatur de communi opinione eamque reddit rationem, quia medicus non infert metum, sed morbus: ille autem exigit matrimonium velut medelæ stipendium, & sic justè, cùm lege justitiæ non teneatur mederi. Ex qua ratione videtur innui contrarium in casu quo medicus, ex justitia tenetur mederi, puta si à communitate conductus vel ex conventione ad medendum adstrictus esset, quam distinctionem expressè facit Rebellus *de just: & jure lib: 2. quæst: 11. sect: 2. n. 6.* sed quod dicta affirmativa sententia, ita demum sit recipienda, si medicus ex longinquis Regionibus esset petendus, & non nisi cum gravi difficultate posset ad ægrotum venire, aut quando habet aliàs causas justas, sive injustas ob quas suam operam negat ægroto, ita ut id non faciat ad matrimonium extorquendum, quamvis paratus sit eam exhibere ægroto, si puella ei nubat, & è contra reijcienda sit, si medicus in eisdem locis habitat, nec aliam ob causam negat ægroto suam operam nisi ut matrimonium extorqueat. Ita firmat Coninch: de sacram: [f] uti rationem reddit, quia tunc medicus, verè infert metum, subtrahendo ægroto media vitæ necessaria, quæ antea unà cum reliqua civitate communiter possidebat. Neque valet consequentia, medicus non tenetur ex justitia mederi, ergò non peccat contra justitiam exigendo matrimonium pro medela, quia imò peccat contra justitiam exigendo pro sua opera tantum pretium: quemadmodum usurarius, qui tametsi contra justitiam non faciat nolendo mutuare, injustè tamen exigit tantùm suæ mutuationis pretium, ut latius per Coninch ibidem.

Hanc

Hanc eandem negativam sententiam ut matrimonium sic celebratum non teneat, & si medicus non teneatur mederi; & sic posito quod justè metum incutiat; quia sufficit quòd vel justè vel injustè ad matrimonium vel consensum incutiatur tenet Pontius *de matr:m: lib: 4. cap: 19. n. 15.* Cui sententiæ adhæret Alex: Sperel: [g] Tum ob præfatas, & alias *Concilij* allatas rationes; tum etiam, si enim metus quantumvis justè illatus delinquenti irritat matrimonium quoties ad finem extorquendi consensum infertur, certè multo magis irritabit, si à medico incutiatur ægroto, qui nullam metui causam præbuit: tum quia si medicus ex conventione & ratione stipendij omnibus civibus, vel particulariter ægroto, tenetur mederi; quia negando suam operam, nisi ægrotus tali nuberet, peccaret contra justitiam, & injuriam inferret ægroto exigendo matrimonium, aliter minans se illum deserturum, tunc enim (ut dicunt *Coninck & Pontius*, metus diceretur incussus à medico ad extorquendum matrimonium & ita juxta allegata jura, quæ subveniunt patienti injustè metum, matrimonium tali metu contractum esset irritum. Tum tandem (ut notat *Alex: Sperellus Episcopus Eugubinus loc. cit*) hujusmodi exactio esset contra bonos mores fovens peccatum, præbens medicis ansam facilè extorquendi ab ægrotis matrimonia, in maximam Reipublicæ perturbationem & perniciem, ac in omnimodæ libertatis, in hujusmodi sacramento requisitæ diminutionem.

a, Vivaldus *in candelabr: titul 17.* Sanchez *lib: 4. disp. 1.* Pontius *lib: 4. cap. 19.*

b Covar. *4. decret: 2. p c. 3 §. 4. n. 15* Vega: *lib. 3. sum casu 136.* Petrus de Ledesm. *de matrim:*

matrim: q. 47. artic: 3 dub: 1. concl. 3. Versu. Ex *hac conclusione, ubi ait Valere matrimonium.* Si judex justè condemnans homicidam nolit condonare vitam nisi ducat uxorem occisi. Ita Sanchez *lib. 4. de consensu coacto disp:* XII. *n. 10.*

c Sanchez *disp: 3. n. 2.* Molinus *lib. 2. differentia 17. n. 49. & 50.* apud Bossium *de matrim. contract. 12. n. 166.*

d Covarr: *d. §. 4. n. 13.* Sanchez *d. disp. 12. n. 8.* Pontius *d. cap. 19. n. 9.*

e Sotus *in 4. dist. 29. q. 1. art 3. §. regula ergò generalis* Sanchez *de matrim. lib. 4. disp: 12. n. 15. & disp. 13. sub num. 3. Vers. & confirmatur secundò.*

f Coninch *de sacram. & cens: disp: 28. sub. 1. n. 11. & sequ.*

g Alex: Sperell. *decision. for. Eccles. decis. 6. n. 16.*

§. IV.

Quò ad mente & corpore vitiatos, varijsque morbis ac simptomatibus infectos.

DUBIUM I. *An furiosi & mente capti possint contrahere matrimonium?* R. *negativè.* Ita Sanchez cum alijs [a] Intelligenda tamen est conclusio, quando furiosus vel mente captus perpetuo furore laboraret: si enim dilucidis intervallis gaudeat, potest eo tempore sponsalia, & matrimonium contrahere, tunc enim rationis particeps est & docent ex Theologis D. Thomas, D. Bonaventura. Neque huic communi sententiæ

obstat

obstat *d. cap. neque furiosus* dum dicit: *Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur;* propter quæ verba. Glossa *in d. cap: dilectus filius &c* voluit matrimonium à furioso contractum cum altero sanæ mentis conscio furoris, illius valere Non obstat inquam quia textus ille *in d. cap. neque furiosus*, intelligendus est de matrimonio contracto ante furorem, ut sensus sit, furiosum nullo modo posse contrahere matrimonium furoris tempore; sed si contraxerit (nempe ante furorem) separandum non esse matrimonium propter furorem supervenientem, nam impedimentum furoris vel dementiæ superveniens vinculum matrimonij non dissolvit ut notant Canonistæ & Theologi. Si tamen mulier contrahat cum furioso matrimonium, & postea cùm ipse reversus est ad sanam mentem denuo contrahat matrimonium cum eodem sanæ mentis compote, matrimonium ob novum utriusque consensum legitimum valebit ex nunc, non verò ex tunc ita Bossius *cap. 3. de matrimonij contractu cap 3. §. 21. n. 59* cum alijs ubi censet matrimonium contractum à furioso cum altero conjuge sanæ mentis, qui verè consentit non validari per tacitum consensum ipsius, postquam ad sanam mentem redierit, nempe per copulam vel mutuam cohabitationem, nam inquit Gutierez, cùm ex tali matrimonio ab initio non fuerit ortus consensus *dict cap. dilectus* ac proinde matrimonium efficere non potest. Nuptias enim non concubitus, sed consensus facit, ut *in regula juris vulgar:* sed his non obstantibus adhuc Bossius, si matrimonium fuerit solenniter & juxta formam Tridentini celebratum, & impedimen-

tum

cum insaniæ fuerit occultum & alter non revocaverit consensum ab initio præstitum, existimans validari per illam copulam, affectu maritali habitam, vel etiam per mutuam cohabitionem etiam affectu maritali continuatam, ut *cap. 2. num: 58 de matrim: contractu & sequ:* Bossius & sic ante Concilium fuisse veram opinionem *Hostiensis & Abbatis*, etiamsi furor fuisset manifestus, dummodo alter verum consensum præbuisset, putans valere matrimonium cum furioso & mente capto, & illum consensum non revocasset.

DUBIUM 2. *In dubio an aliquis sit sanæ mentis & contraxerit lucidi intervallis, quid præsumatur?* R. *Cum distinctione* quando non constat eum de quo tractatur antea furore correptum esse, non præsumitur furiosus, sed sanæ mentis, & ratio est clara, quia natura ipsa homines sanæ mentis producit, quæ afferenti aliquem insanum esse, adversatur præsumptio, quæ à natura ipsa descendit sic Sanchez Covarr: Menoch & alij [b] quando autem constat aliquem dementiâ affectum fuisse, nec constat consvevisse habere dilucida intervalla præsumitur adhuc demens, eò vel maximè dum probatum fuerit furorem durasse quodam continuo tempore, ut anno, vel mense; secus si probatur in aliquibus actibus furiosum fuisse: non enim præsumitur permanere furorem. Similiter non præsumitur furorem durare, ubi præteritorum testimonio ex accidenti, quod jam cessavit, contigisse. Tandem si furiosus lucida habeat intervalla cum dubitatur an actus tempore furoris an sanæ mentis gestus fuerit Henriquez *lib: 11 de matrim: cap: 4. num: 3.* ait, in dubio præsumi rationis usum, dicendum tamen est præsumi tempore furoris gestum esse. Ratio est quia

cùm furoris morbus suapte naturâ perpetuus, insanabilis, ac desperatus sit, præsumitur durare omni tempore, & illa dilucida intervalla sunt per accidens, ideoque minimè præsumuntur. Limita autem nisi ex actûs qualitate, quia ita bene gestus est, ut ostendat non factum esse à demente præsumatur gestum tempore sanæ mentis. Similiter præsumitur furiosus, quò ad actus, qui paulò post furoris tempus agantur, non autem quò ad illos, qui longo intervallo distant. Ita Covar: cum alijs. Ex his

Collige, Quamvis habitu furiosus, si intervalli lucidi tempore ducat uxorem, validè contrahat, peccaret tamen contrahendo, quia idoneus non est ad prolem educandam. Sic videtur sentire D. Thom: *in 4. dist:* 34. *qu: unic: artic:* 4. ubi ait non esse tutum hunc contrahere: & D. Bonav: ibi *a.* 3. *q.* 1. ubi dicit: hunc non debere contrahere propter periculum. Tum quia secundùm Sotum & Petrum Ledesm: nonnihil injuriæ irrogari sacramento, & si uterque contrahens frequenter amentiam pateretur, forsan esset mortale; nisi per alias conjunctas personas prolis educationi satis consuleretur, limitat *Sotus* sed *Petro de Ledesma* non videtur hæc limitio, eò quòd educatio illa munus est parentum. Sanchez, verò placet hæc limitatio & moderatio Soti, nam ex causa justa id munus alij committi potest, qualem esse parentum amentiam nemo dubitabit; & si dicas, abstineant à matrimonio contrahendo: durum est ipsos ad vitam continentem adstringere, & maximè sive gravibus carnis stimulis, tempore sanæ mentis urgeantur.

DUBIUM 3. *An ebrius si ebrietatis tempore contrahat matrimonium validè contrahat?* R. *negativè.*

gatiuè. nam talis nihil facit: quia consensu libero, & debita deliberatione caret. Sic Sanchez & Bossius cum alijs pluribus [c] quod à nemine negatur, si intelligatur prout *D. Antonin: Couar. & Gregor Lop.* intelligunt, quando ita ebrius est, ut rationis usu orbatus sit.

Quid dicendum sit, si ebrius & demens sanæ mentis voluntatem habuerunt contrahendi sponsalia, aut matrimonium, eemque tempore ebrietatis aut dementiæ exequantur? posset enim aliquis existimare valida esse: quia baptismus eo tempore collatus, validus esset propter voluntatem præcedentem. Et fortius urget, quia non deficit deliberatio requisita ad peccatum mortale: homicidium enim tunc commissum, si tempore quo sui compotes erant, prævisum esset, culpa letalis esset. R. tamen non sufficere eam voluntatem, nec esse simile de baptismo, nam in matrimonio & sponsalibus ipsi contrahentes sunt ministri, & actus ministri necessario debet esse humanus: sicut si aliquis sui compos audivit confessionem, & factus insanus absolveret, nulla esset absolutio: & similiter si tunc baptisaret, quamvis ante id in animo haberet, irritus esset baptismus. Non obstat etiam mala prævisa imputari tunc ad culpam. Tum quia bonum ex integra causa, malum autem ex singulis defectibus teste D. Dionisio *c. 4. de divin. nomin.* unde cùm sponsalia & matrimonium sint quoddam bonum, exigunt plenam libertatem, & peccatum cùm malum sit, satis est, in sua sit volitum causa. Tum præcipuè quòd cum homo teneatur vitare homicidia, & alia peccata, eo ipso, quod sciens se in ebrietate illa admittere, & cùm possit, non curat ea vitare, indirectè & virtute ea vult: at cùm non teneatur vitare spon-

falia, aut matrimonium non cenfetur virtualis, circa illa. Sic *Ledesma, Veracruz Petrus Ledesma* [d] ex his.

Collige. Ad fponfalia & matrimonium non fufficere voluntatem virtualem. Sic Angles nofter Scotifta in quodam fimili docet *floribus 2. p. quæ. 1. de Voto artic. 1. difficultate 1. concl.* 4 ubi ait votum emiffum ex fimili deliberatione, irritum effe: ac proinde idem diceret in fponfalibus, eadem enim deliberatio ad utrumque defideratur, & probat, quia fi is qui fciret dum ebrius eft, multa fe emittere vota, & liberè, inebriaretur, haberet virtualem deliberationem vovendi, & tamen vota effent nulla, ficut fi fciret fe perpetrare homicidium, & inebriari vellet, virtute eligeret ea homicidia. Sed dicendum eft fufficere virtualem voluntatem, quia fponfalia funt volita in fe, unde difpar eft ratio, de homicidio volito ab ebrio, quia tantùm eft volitum in fua caufa prævifa, & quia homicidium tunc admiffum cenfetur virtute volitum, non autem fponfalia vel vota tunc emiffa. Et ideò Navar. *Sum Latina & Hispan. c 12. cap. 72. Lud: Lop: 1. p. instr. cap. 43. paulò post princ. Arag. 22. quæst. 88. à fol. 956.* meritò docent ad voti valorem fufficere voluntatem & deliberationem virtualem, qua in fe ipfo volitum eft, quare idem dicerent in fponfalibus, & probatur: quis enim diceret, quod is qui deliberatè cœpit exequi eas cæremonias, quæ præcedere folent matrimonium, aut profeffionem, non fit verè profeffus: aut legitimo matrimonio conjunctus ex eo, quòd tempore profeffionis, aut matrimonij non habeat deliberationem propter animi perturbationem, vel attentionem ad alia? ficut fi fimili voluntate facturus facrum accedat, vere

conf-

consecrabit, ex voluntate virtuali quamvis consecrationis tempore ad alia divagatus & distractus non attendat.

DUBIUM 4. *An surdus & mutus pollentes usu rationis, & non tales à nativitate possint validè contrahere matrimonium?* ℞. *affirmativè.* quia signis & nutu possunt exprimere consensum mutuum ut tradunt Doctores citandi, & definitur *cap. cùm apud de sponsalibus*, & ex Doctoribus citandis censetur capax usu rationis & intelligentiæ, mutus tantùm, vel surdus tantùm. Quæ illatio vera est etiam & certa, in muto & surdo simul, si à nativitate non sunt tales, sed ex accidenti; qui prius pollentes usu sensuum, potuerunt edoceri de natura contractûs, & instrui de eo, quod agitur; unde mutus & surdus, casu, & ex accidenti potest etiam stipulari, & quemlibet alium contractum celebrare, maximè si novit scribere, qualis fuit Zacharias S. Joannis Baptistæ Pater, ut tradit Mascardus, Franciscus Molinus, Sanchez & alij [e] quos citat Mascardus.

DUBIUM 5. *Si mutus & surdus sint tales à nativitate, an possint validè contrahere matrimonium, & quid si fuerit etiam cæcus?* ℞. *affirmativè.* maximè si polleat usu rationis, & ita intellectum perspicacem habeat, ut signis edoceri possit quid sit matrimonium, & signis jndicare consensum potest, *ex dict. c. cum apud* ubi in responsione sic dicitur, *v. detur si talis* (nempe mutus & surdus de quo erat quæstio) *velit contrahere, non debet sibi denegari*, ubi cum loquatur in singulari videtur intelligere, de eodem utroque morbo laboranti. Tum quia aliqui muti ita sunt perspicacis & acuti ingenij, ut multa explicatu difficillima facile signis manifestent, aliaque ipsis

 signifi-

significata intelligant: ut experientia ipsa testatur. Tandem quia hi secundùm omnes possunt confiteri, & absolvi, ergò & contrahere matrimonium. Ita Sanchez *loco supra cit: n. 12.* Bossius *de matrim: contract: cap: 3. n. 52. & plures alij.* Poterit autem judex deprehendere & colligere consensum legitimum, ex gestu & signis, est enim difficillimum hos posse habere legitimum consensum ut benè docet *Angel:* cum pluribus adduntque in dubio consulendum esse Principem.

Dices 1. Quamvis surdi & muti instinctu naturæ norint quid copula sit matrimonialis, illiusque ardore more brutorum premantur, at impossibile videtur nosse quid matrimonium sit? ut importat jus in alterius corpus, ergò in illud non possunt consentire: nihil enim volitum, quin præcognitum R. breviter, signis posse doceri si perspicax ingenium habeant.

Dices 2. Surdus & mutus à natura, donare non potest ut docet *Gloss: l. qui id, quod 34. §. mutus verb: donare ff. de donat:* ibi cùm textus dicat mutum aut surdum donare posse, ait *glos:* id verum est, quando non à natura, sed posteà casu supervenit, sed minoris præjudicij est, quicunque alius contractus, & facilius cognosci potest: ergò à fortiori non potest contrahere sponsalia & matrim: R. meritò jus civile prohibuisse his cæteros actus inire, quia facile deciperentur, cùm difficillimùm sit eos contractûs vim nosse: matrimonium tamen nullibi reperitur prohibitum, quia durissimum esset eos compellere continenter viuere, & remedium in libidinis ardorem à Deo naturæ authore concessum denegare.

Dices Ex cap: cùm apud dess: statim in pr: ibi consuluisti nos an mutus & surdus possint alicui matri-

matrimonialiter copulari. ubi cùm in plurali loquatur, videtur loqui de diversis, quorum alter mutus, alter verò surdus sit, aliàs si de uno intelligeret textus, esset solecesmus: & ita eum intelligit *gl: verb. surdus*, quarè videtur ibi glossa hujus sent: & eam tenent plures. R. in responsione locutum esse Pontificem in singulari dicendo, *Videtur si talis* [nempè surdus & mutus de quo erat quæstio] *velit contrahere non debet sibi denegari.* Quarè cùm resolutio fiat in singulari videtur summus Pontifex loqui, & intelligere de eodem utroque morbo laborante; licet interrogatio *in d. cap cùm apud* fiat in plurali illis verbis *an mutus & surdus possent &c.* Tum quia interrogatio potest explicari cùm loquatur de diversis, quorum alter surdus tantùm est, altèr verò mutus: sed eo ipso quòd mutus est, surdus esse intelligitur, cùm causa defectus loquelæ sit surditas Ita *Sanchez* & benè.

Quid verò sentiendum de muto, surdo & cæco simul à nativitate? Et hunc sicut mutum & surdum duntaxat posse validè contrahere matrimonium affirmârunt multi, sed verius negant *Sanchez, & Basilius, Pontius, Bossius* cum alijs Doctoribus, quos ipsi citant; nam surdi & muti possunt validè matrimonium contrahere; dùm signis de ejus natura edoceri, illudque percipere possint, & legitimum consensum præstare, seu exprimere valeant: qui autem nec signa videre, audire, vel loqui potest, nullo modo videtur posse discere, quid sit matrimonium? aut signis exprimere consensum; ac proinde non apparet qua ratione contrahere possit, nisi is aliquando vidisset, audisset, & loquutus fuisset, licet enim hujusmodi personis sacramenta con-

ferri possint, id contingit ex eo, quod in illis non requiritur expressio consensûs.

DUBIUM 6. *An maleficiatus possit contrahere matrimonium?* Pro dicendorum notitia supponas, maleficos ope dæmonum posse reddere homines impotentes & inhabiles, ad matrimonium contrahendum, & ad copulam exercendam, quod multis modis potest diabolus efficere, ut Debrius *lib: 3 disquisit: mag: p. 1. qu: 4. sect: 8. Primò* impediendo corpora nè sibi mutuò appropinquent. *Secundò* inflammando ad actum, ut ante coitum effundatur semen, vel è contra refrigerando ne suppetant vires. *Tertiò*, turbando phantasiam, ut mulier reddatur exosa viro, vel è contra. *Quartò* prohibendo vim & vigorem membri, saltem in ipsa coitûs occasione. *Quintò* intercludendo vias seminis, nè ad vasa spermatica descendat, aut nè semen excidatur, vel semen subtrahendo. *Sextò*, obsevando, & arctando vas muliebre; & hæc omnia possunt effici, vel respectu unius tantùm mulieris, vel viri, vel respectu omnium; quæ omnia si sint respectiva respectu unius, non verò respectu aliorum, certùm est provenire ex maleficio, & ex non frigiditate naturali, sed de his quomodo dignoscenda sint an naturaliter proveniant, vel à dæmone consule Sanchez. *lib: 7. disp: 95.* Unde non bene sed erroneè quidam dixerunt, quod maleficium nihil est, & hoc proveniebat ex infidelitate, quia volebant, quòd dæmones nihil sint, nisi imaginationes hominum, in quantùm scilicet homines imaginabantur eos, & ex ista imaginatione territi lædebantur. Fides verò Catholica vult, quòd dæmones sint aliquid & possint nocere suis operatio-
nibus

nibus, & impedire carnalem copulam. Et ideò hujusmodi impedimenta si præcedant, & sint perpetua, ut mox dicemus simpliciter impediunt matrimonium. His præmissis, ad dubium. R. cum distinctione. Si inhabilitas ex maleficio proveniens sit perpetua, maleficiatus non potest contrahere matrimonium, & subsequens dirimit matrimonium. Ita communiter DD. Ratio est, quia quæcunque impotentia, si perpetua est dirimit matrimonium contrahendum, sed ex maleficio potest provenire impotentia perpetua ut supponimus, ergò dirimit matrimonium: minor in qua est difficultas probatur. Tùm quia à veritate alienum est, nullum maleficium esse perpetuum, nam si dæmon semel vel sæpiùs potest impedire copulam permittēte Deo: cur non semper; cùm per voluntatem operetur. Tùm quia modus maleficij quidam est, præscindendo membrum, at membrum semel amputatum restituere nequit dæmon: sicut nec vitam ademptam potest reparare. Adde posse contingere jam maleficij auctorem obijsse, & sic maleficium erit perpetuum; Et ideò hanc sententiam sustinent ex Theologis D. Thomas, D. Bonaventura, Scotus, & plures Scotistæ [f] apud Sanchez *lib: 7. de impedit: matrimon: disp: 95 7.* *Dixi* si impotentia sit perpetua; nam si sit temporalis, non dirimit matrimonium, ut tenent omnes communiter. Censetur autem perpetua quando non potest auferri nisi alio maleficio vel per miraculum, secùs si per exorcismos Ecclesiæ, nam tunc est res humana, ope factibilis. Tertiò quando non constat, an sit perpetuum, vel temporale, præsumitur perpetuum si post triennium experien-

tiæ.

tiæ non potuerunt conjuges consummare. Ita cum pluribus Sanchez *lib*: 7. *disp*. 94. *a num*. 9. *usque ad* 13. *Dixi*, dirimere subsequens; nam si maleficium superveniat matrimonio jam facto, & si non sit consummatum, non illud dirimit. Unde inspiciendum est an præcesserit, vel subsecutum sit. An autem liceat à maleficium parato ad dissolvendum maleficium id appetere? ℞. quod si constet maleficium non posse tollere maleficum nisi alijs maleficijs, id nullo modo ab illo peti potest, nam à parato pòtest solùm postulari id, quod ille absque peccato facere potest; licet alias nolit nisi cum peccato efficere, sed hic ut supponimus non potest sine peccato tollere maleficium: ergò. Jta communiter DD. contra Aureolum, & Angelum, quorum sententia ab omnibus reputatur erronea.

Quod si maleficiatus à malefico petat id, quando pluribus modis, quorum aliqua sunt licita, id potest efficere? ℞ *affirmativè* Jta multi cum Sanchez contra Cajetanum. *Ratio est*; quia sic postulans petit à malefico id, quod ille licitè, facere potest, quod autem cum peccato faciat sibi imputet. Unde sicut licitum est, petere mutuum ab usuario; juramentum ab infideli, etiam si petens certus sit, quòd usurarius sit exacturus usuras, & infidelis juraturus per falsos Deos, ita petere à malefico, ut tollat maleficium, si alias possit illud licitè tollere, si vellet. Imò si infascinatus tantùm petat, ut signa maleficij destruat magus vel saga, non peccabit, quia ut præclarè Scotus notat hic *in* 4. *dist*: 34. *quæst*: *unic*: *vers*. *ex hoc patet*, in tali casu, non honoratur dæmon, nec pactum,

cum

illo initur, sed creditur, quod nullo præ- credi prohibetur, videlicet dæmonem pos- ominem vexare positis his & illis signis, e viceversâ ablatis cessaturum à vexatio. nec hoc est nomen Domini assumere inva- vel habere Deos alienos, quia hæc ni- r rectæ rationi Tum quia dum aufer- gnum, amplius dæmon nihil operatur; sed tur operatione, qui se sponte voluntariè bere obligavit ad operandum, durantibus signis, quibus ablatis cessat ejus operatio. que videtur esse paritas, si malitiosi sup- nces urbi Pragensi ignem pænitentiâ ducti tem, & alia incentiva sustulissent, vere non issent, sed bene operati fuissent, ergò eti- si quis malefícij conscius tollat signum, ad- affixum est maleficium, bene operabitur, tali casu non censebitur impotentia per- ; bene tamen, si signum in aquam fluen- abjecisset, vel combussisset, & alia hujus uperabilia, fecisset.

UBIUM 7. *Cum matrimonium Ecclesiasti- dicio ob maleficium perpetuum dirimitur, ne utrique parti liceat novum inire matri- um?* R. affirmativè. ita S. Thomas *in 4. dist. 3. quæst. 4.* Cujus sunt hæc verba: *est differentia inter maleficium & frigidi- , quia qui est impotens ex frigiditate, si- est impotens ad unam, ita ad aliam, & quando matrimonium dirimitur, non datur entia, ut alteri conjungatur: sed ex malefi- omo potest esse impotens ad unam & non ad . Et ideò quando judicio Ecclesia matri- um dirimitur utrique datur licentia quod am copulam quærat.* Idem docet S. Ray- mun-

dus

dus loco mox indicato S. V. & *S. Antoninus 3. tit: 1. c. p: 12.* nam maleficium consistit imaginatione viri respectu unius mulieris, quantum scilicet operatione dæmonis fit abominatio alicujus mulieris, quam propter horrorem refugit & respuit. Et ideò aliter impedit frigiditas, & aliter maleficium. Nam frigiditas impedit aliquem, ita ut oporteat, quod remaneat absque omni spe contrahendi, si una impediatur. Undè si aliquando aliquis efficitur potens oportet redintegrare primum matrimonium. Undè frigiditas solvit contractum & impedit contrahendum: maleficiatus vero impeditur quantùm ad istam tantùm; unde datur ei licentia alteri nubendi, & mulieri similiter. Unde maleficium solvit contractum, non dirimit matrimonium. Ita doctissimius ... tius *in sum: Theol: Moral: V. maleficium*, ... mentem Doct: Angel: *Quodlibet 11. a. 11. ... corp:*

DUBIUM 8. *Quid faciendum quando f... te impotentia coeundi ob maleficium factum divortium, & vir alteri nupsit, & postea in... tentia talis sublata est?* R. *ex D. Thomâ ... Gotium,* cum distinctione, quòd si malefic... fuerit, generaliter respectu cujuslibet fac... impotentiam coeundi, tunc si alteri nupse... ostendetur impedimentum non fuisse perpetu... undè debet ad prius conjugium redire: Si... tem fuerit personale, ideft respectu speci... personæ, cùm utrique detur licentia alteri... bendi, non potest redditâ potentiâ nubendi... pristinum matrimonium redire, quia nullu... fuit, & secundum est verum matrimonium. *S. thom: in 4. sentent: dist 34. in exposit... tionem*

a. Ex dictis. *Collige* jam constare frigi-
tem impedire matrimonium, & ratio adhuc
is firmatur, nam in matrimonio est contra-
quidam quo unus alteri obligatur ad de-
m carnale solvendum. Unde sicut in alijs
ractibus non est conveniens obligatio, si
is se obliget ad hoc, quod non potest da-
l facere: ita non est conveniens matrimo-
contractus si fiat ab aliquo, qui debitum
ale solvere non possit, & hoc impedimen-
vocatur impotentia coendi nomine gene-
Quæ quidem potest esse, vel ex causa in-
eca, & naturali, vel ex causa extrinseca,
dentali, sicut per maleficium. Si autem sit
ausa naturali hoc potest, esse dupliciter;
vel est temporalis cui potest subveniri be-
io medicinæ, vel processus ætatis; & tunc
solvit matrimonium; vel est perpetua, &
solvit matrimonium; ita quod ille ex cu-
parte allegatur impedimentum perpetuo
at absque spe conjugij, alias nubat cui
in Domino. Ad hoc autem cognoscen-
utrum sit perpetuum, vel non perpetu-
mpedimentum? Ecclesia tempus determina-
adhibuit, in quo hujus rei posset esse ex-
ientum, scilicet triennium; ita quod si post
nium; in quo fideliter ex utraque parte
unt operam carnali copulæ implendæ, in-
tur matrimonium non esse consummatum,
io Ecclesiæ dissolvitur. Et tamen in hoc
sia quandoque errat, quia per triennium
doque non sufficienter potest expediri per-
tas impotentiæ. Unde si Ecclesia se dece-
inveniat per hoc, quod ille, in quo erat
dimentum, invenitur carnalem copulam,
cum

cum eadem, vel alia perfeciffe, reintegrat præcedens matrimoniũ, & dirimit fecundum, quævis de eius licentia fit factum Jta Getius loc: cit ad mentem D. Thom: *d. 34. artic: 1. corp: & quodlibet 11. in corp: & perſpicuè.*

DUBIUM 9. *An ſenes, qui ſunt frigidi, poſſint contrahere matrimonium?* ℞. *affirmati*; nam vetulæ quamvis quandoque non habeant ſufficientem calorem ad generandum, tamen habent caliditatem ſufficientem ad carnalem copulam Et ideò conceditur eis matrimonium, ſecundùm quod eſt in remedium, quamvis non competat eis, ſecundùm quod eſt in officium naturæ. Ita Getius *loc: cit: ad mentem D. Thomæ 4 ſent d 34 a. 2. ad 3* Et Ecclefia etiam teſte Sanchez *lib 7. diſt. 29 20.* non reijcit ſenes à matrimonijs ineundis quia præſumit, vel ex ipſa natura, vel medicamentis, vel ex qualitate ciborum poſſe fieri ſufficientes ad actum conjugalem, ſi ſupponamus hanc ſufficientiam adeſſe nullatenùs poſſe, quid dicendum Loquamur prius de ſene, mox de vetula. *Senex*, ſi ita viribus exhauſtus fuerit, vel ſupponatur, ut nunquam poſſit actum conjugalem conſummare; invalidè contrahet, quia tunc ejusmodi impotentia eſſet in futurum perpetua. Jta Sanchez Bonac: Averſa (g) Si verò ſit ejusmodi, ut poſſit adjutus à prædictis cibis, ac medicamentis illum actum conſummare, quamvis generare non poſſit, quia illius ſemen ſterile ſit, contrahet validè, quia impotentia tunc eſſet temporalis. Nàm propter ſimilem rationem morti proximus, licet ob acutiſſimam febrim tunc non ſit aptus ad copulam; tamen aptus eſt ad matrimonium, quia illa

illa debilitas est (puta cum convalescit) amovibilis.

Dices cum Pontio. Matrimonium non solùm iniri posse validè ob finem generandi sobolem, ut communiter fit, sed etiam si fiat solùm, ad mutuam societatem cum uxore, undè impotentem perpetuò atque prædictum senem effectum posse, validè matrimonium inire cùm prædicto fine. R. negando hanc sententiam. Ita Sixtus V. ideò absolutè dicimus ejusmodi impotentem non esse aptum ad matrimonium. Certè secùs etiam Eunuchus posset validè ad prædictum finem matrimonium contrahere, & tamen Sixtus V. cum Sanchez *lib: 7. matrim: d. 67. num: 13.* definiunt non posse. Jmmò dùm ibi dixit impotentiam esse impedimentum dirimens, nec distinxit ad hunc finem, vel illum usum nostrum, videtur casum definivisse. Si ejusmodi mulier & vir impedimenti conscij nolint se copulare matrimonio, sed quoddam societatis vinculum inire videtur concedere, Aversa *l. c.* Henriquez *l. c.* Sanchez *l. c.* Sed amoto periculo incontinentiæ. Undè rectè, & benè perspicuè D. Bonaventur: & Doctor subtilis contra *Basilium Ponc:* in hanc inclinant sententiam, dùm dicunt (h) Jmpotentes nec validè contrahunt matrimonium, non quidem animo habendi copulam, sed castè vivendi, & probant ex pluribus Canonibus *id titul: de frigid: & malefic:* præsertim verò cap: Laudabilem cap. Consultation: ubi absque ulla distinctione de impotentia cognita, vel ignorata, absque differentia ad actus conjugales, vel ad castè videndum, absolutè dicitur feminam quando est impotens ad copulam, non posse haberi

ut uxo-

ut uxorem, sed ut sororem. Idem definit Sixtus V. in motu suo proprio sic. *Secundum Canonicas sanctiones & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iisdem minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur*, ubi expressè dicit, matrimonia impotentium, non tantùm jure Ecclesiastico, sed etiam naturali esse nulla, ergò. Tum quia confæderatio (in qua secundùm Ponc: salvat essentiam matrimonij) animorum, non est verum matrimonium, non tantùm jure Ecclesiastico, sed etiam jure naturali, quia ratio matrimonij primò, & per se respicit propagationem generis humani, per copulam in ordine ad quam debent conjuges sibi invicem tradere potestatem corporis sui, quam tradere nequeunt impotentes, licet eam possint tradere ad rerum domesticarum obsequium, ut servi.

Dices Lucius III. cap: *Consultationi* dicit: viros habentes uxores impotentes ad copulam tamen, *ut quas tanquam uxores habere non poßunt, habeant ut sorores*. Item Gregorius III. cap: *Requisiti*, *si non potest ea uti pro uxore, habeat ut sororem, quod si retinaculum conjugale voluerint rescindere maneant utrique innupti*? Ergò. R. Nego consequ. quando enim in præallegatis textibus permittitur, ut impotentes possint post deprehensam impotentiam cohabitare tanquam frater & soror, sive in continentia, non supponunt matrimonium esse validum, imò agunt in casu, quo tales contraxerunt modô consvetô ad vacandum actibus conjugalibus, ideoque concedunt experientiam triennalem copulæ, & ei qui potens est, facultatem postea contrahendi? *Capite autem requisiti*

sti: Gregor: III. 339 *qu. 1.* loquitur solùm de retinaculo seu vinculo putativo, præsumpto & apparenti.

Vetula quomdocunque decrepita, & certò inepta ad suum semen effundendum, si est capax seminis vir, validè contrahet, in sententia eorum qui putant, semen mulieris non esse necessarium ad generationem prolis: at invalidè in eorum sententia, qui contrarium putant esse simpliciter necessarium. Quoniam verò utraque opinio probabilis est, erit & probabilis validitas, & probabilis item invaliditas matrimonij. An autem ejusmodi senes decrepiti, si inveniantur matrimonio copulati, possint conari licitè ad copulam, vel alios tactus inter se exercere. R. ad hoc ex Tambur: lib: 7. in Decalog: c. 3. §. 5. num: 37. & 38. Senes decrepiti quamvis credant, non ampliùs filios generaturos, adhuc copula uti queant; Quod si ità sint senes, ut semen non emittant, adhuc ad copulam conari possunt & tactus alios conjugum exercere. Ratio est, quia eo ipsò quòd sunt conjuges, ad hæc omnia jus habent, saltem propter alios minus principales fines, concupiscentiam sedandi, amorem mutuum fovendi &c. Differunt igitur per maximè hæ duæ quæstiones: an senes conjuges omninò exhausti, conari possunt ad materialem copulam, & an senes omninò exhausti, ita ut judicio medicorum nulla arte adjuvari possint, ad copulam habendam matrimonium inire queant? Illud priùs ut certum concedit cum Sanchez *lib*: 7. *disp*: 102. hoc posteriùs negari debere docet cum multis idem Sanchez *lib*: 7. *de matrim*: *disp*: 92. *num*. 14. Et nihil refert, sive à natura, si-

Cc ve ex

ve ex accidenti impotentia perpetua consurgat, ac nulla arte restaurabilis. Cum is non possit ad copulam obligari utpote sibi impossibilem, ita *Glos*: *Innocent*: *Anch*. qui dicunt, ideò matrimonium senum valere, quòd possint medicinæ beneficio adjuvari: ubi videntur supponere irritum esse, quando juvari nequeunt. Atque ita in proprijs terminis docent, ex jurispe- ritis multi. Et ex Theologis *Scotus*, *Riccard*. *Angles*, Petrus de Ledesm: & plures alij, apud Sanchez *c. l* Quod si idem senex conjugatus non possit alio modo congredi, nisi semen effundendo extra vas, bene distinguit Castro Palaus *disp*: *3 de Matrim*: *p*. *4*. *§*: 3. *num*. 7. Si dubius est dictus senex, an semper ita sit congressurus, potest licite ex Bonac :de matrimoni *disp*: *4*. *p*. *6*. *num*: 7 quia donec dubius est de effusione, utitur iure suo maritali, & illa effusio est ipsi per accidens, & ab eo momento, quo moraliter fit certus, semper ita futurum illicitè congredietur: quia tunc per se esset illa effusio extra vas, atque adeò peccatum contra naturam. *Dixi senex* conjugatus, nam si senex sit non coniugatus & posset coire, non tamen feminare intra vas, talis non est capax matrimonii, & irritum matrimonium, eò vel maxime si id vitium, ita sit perpetuum, ut nulla medicinæ ope tolli possit. Jta Angles Scotista *in flor*: *1*. *p*. *de matrim*: *qu*: 8. *artic*: *1*. *dub*: *1*. *diff*: 1. D. Antoninus 3. *p*. *tit*: *1*. *c*. *12*. *§*. *1*. Sylvest. *V*. *matrim*: *8*. *qu*: *16*. *dict*: *3*. & 7. Barbosa *lib*: *1*: *p*. *1*. *num*: 92. 96. 97. *§*. *sol*: *matrim*: & plures alii.

DUBIUM 10. *An Eunuchi sic nati ex utero matris*, & *spadones utroque teste privati sint simpil-*

simpliciter censendi impotentes ad matrimonium? R. *negativè.* Ita Theologi passim & Sixtus V. motu proprio qui incipit *Dum frequenter edit.* 1587. determinatè sic *Committimus fraternitati tuæ & mandamus ut conjugia per dictos, & alios quoscunque eunuchos & spadones utroque teste carentes, cum quibuslibet mulieribus defectum prædictum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas, eosque ad matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, & tàm locorum ordinarijs, nè hujusmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas; quàm eos etiam qui de facto sic contraxerint, separari cures, & matrimonia ipsa de facto sic contracta, nulla irrita, & invalida esse decernas;* quæ literæ ad Nuntium Apostolicum directæ fuerant. Svadet etiam ipsa ratio: quia ad rationem matrimonij requiritur capacitas verum semen emittendi & effundendi intra vas femineum sed hoc nequeunt præstare eunuchi & spadones, utroque teste carentes. Ergò: minor patet. Quia testes sunt veluti folles habentes virtutem recipiendi, & retinendi spiritus à corde & jecore transmissos, qui calefaciunt genitalia, & adaptant ad semen & copulam, ergò sine testibus non habent verum semen, undè licet virgam erigant, & materiam aliquam aquosam emittant, semen tamen non est verum, quià ex defectu caloris non est maturatum. Videatur Galenus, Hippocrates, & Aristoteles.

Quid si unum testiculum sanum & integrum habeant, an & tales sint incapaces matrimonij R. *negativè!* Patet hoc primo *Ex L. si servo. §. si spadoni ff de jure dotium.* ubi habetur

ſic: *Si ſpadoni nupſerit mulier, diſtinguendum arbitror, caſtratus fuerit nec ne. ut in caſtrato dicas dotem non eſſe, in eo qui caſtratus non eſt [quia eſt matrimonium] & dotem, & dotis exactionem eſſe.* Ubi Gloſſa finalis ait ſpadonem in contextu appellari, qui generare poteſt, & quod unum ſaltem teſticulum habeat. *Et L. ſed eſt quæſitum 6. V. ſpadonem ff. de liberis & poſtea: dicitur. Spadonem quoque poſthumum hæredem ſcribere, & Labeo, & Caſſius ſcribunt, quoniam nec ſterilitas ei rei impedimento eſt* ubi Gloſſa verbo: *Impedimento,* ait: Quia validè contrahit; & verbo *Poſſe* explicat de ſpadone, cui alter ſolus teſticulus deeſt.

Patet hoc ſecundò ratione: Quia virtus unita fortior quàm diſperſa, ergò teſticulus unus ſicut eſt capax recipere & retinere ſpiritus & calorem, ita quoque eſt ſufficiens ad generationem, ſicut unus oculus eſt capax ad recipiendos, & ſpiritus vitales, & ſpecies tranſmittendas ad phantaſiam, & quidem frequenter perfectiùs, quàm quando ſunt duo oculi.

DUBIUM II. *An biſexus ſeu Hermaphroditus, ideſt habens ſexum virilem & femineum ſimul poſſit contrahere matrimonium? Adverte.* Hos eſſe in duplici differentia; nam alij habent utrumque ſexum æqualiter, alij inæqualiter ſi unus ſexus prævalet alteri. Undè R. *diſtinctione hac ſuppoſitâ* Hermaphroditus poteſt licitè & validè contrahere matrimonium juxta ſexum in eo prævalentem. Ita communiter DD. Ratio eſt; quia juxta ſexum eminentem habet potentiam ad perfectam copulam, ſi aliundè non obſtet, & juxta talem ſexum cenſetur vir vel femina: ergò ſecundùm illum poteſt contrahere matrimonium.

Undè

Undè si prævalet sexus femineus reputanda est mulier, undè nec poterit validè ordines suscipere, nec profiteri in Religione virorum, nec uxorem ducere sed maritum. Nec fieri posse monialem idque propter illam aliqualem potentiam sexus masculini. Ita Tambur: *lib: 8. de matrim: tract: 1. cap: 11 § III. & IV. num. 27.* Si verò prævalet sexus masculinus; mas reputabitur & ut talis, matrimonium inire potest, nam propterea, nec profiteri posset in Religione monialium, nec nubere viro, poterit tamen validè suscipere ordines, sed illicitè, quia ut alibi diximus hermaphroditus est omninò ab altari repellendus. Eidem denique non concedit Tamburinus fieri Religiosum, sicut nec concessit præcedenti, fieri monialem.

Si autem hermaphroditus utrumque sexum habeat æqualem, & juxta utrumque habeat potentiam ad perfectam copulam, datur ei optio ut eligat sexum quem velit, & illo electo debet jurare se in posterum non usurum altero sexu præter semel electum. Ita cum Sanchez & alijs communiter Dicastillus *lib. de matrim: disp: 7. num: 550.* quod si post initum matrimonium conjunx moriatur, potest validè imò & licitè contrahere secundùm alterum sexum, nisi obstet jus speciale, vel Canonicum, aut præceptum judicis, vel juramentum antea factum coram judice; Siquidem juxta alterum sexum, habet etiam potentiam ad perfectam copulam, undè si contrahat secundùm illum, etiamsi faciat contra prius juramentum, legem, vel præceptum judicis, matrimonium valebit; quo electo sexu peccabit mortaliter, si fortè alio uti velit. Immo Parochus hujus matrimonio assi-

ſtere non debet ut volunt Sanchez cum aliis communiter habentis ſexum æqualem, donec hermaphroditus, coram judice Eccleſiaſtico proteſtetur, quo ſexu velit uti, maximè cùm Parocho conſtare non poſſit, utrū ſexus prævaleat, v. an ſit æqualis, judicare autem, quis nam ſexus prævaleat, ſpectat ad medicos, & ad matronas peritas, in dubio autem judicium ferendum eſt ex hermaphroditi aſſertione. Jta cum Bonacina, Sanchez & aliis Trulech. *praxi ſacramentorum lib. 7. cap. 9. dub. 16. n. 36.*

Quæres 1. An unus hermaphroditus poſſit contrahere matrimonium, cum altero ſimili hermaphrodito ad utriusque ſexus uſum? R. *negativè*. Ratio eſt, nam matrimonium ſecundùm Authoris naturæ inſtitutionem, ita eſt maſculi & feminæ conjunctio, ut tamen femina ſubſit viro juxta illud Dei, *ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*, hoc autem eſſe non poteſt, ſi uterque faciat vices viri, & uterque vices feminæ cùm neuter alteri ſubeſſet, nec poſſet eſſe caput alterius. Tum quia illa eſſent quaſi duo matrimonia: id, quod & videtur abhorrere ab ipſa natura rationali; & inuſitatum quid eſſet in Eccleſia Dei, ne dicam in bene ordinata Repub. Jta Perez *d. 37. matrim. ſect. 15. n. 2. & Tambur. l. c.*

Quæres 2. Quædam conjugata incepit eſſe vir, prorumpente natura in ſexum maſculinum, quid agendum in hoc caſu? R. *Cum diſtinctione*, ſi remanet in illa etiam ſexus femineus validum fuit matrimonium, ipſaque tenetur hunc ſexum etiam nunc eligere, ſeu in hoc ſexu perſeverare. Si verò non remaneat, tunc matrimonium fuit, & nunc item eſt invalidum, quia

quia sexus ille femineus, sub quo contraxit, non erat perpetuus, atque adeò ineptus ad matrimonium illud. Non erat autem perpetuus quia latebat in illa sexus virilis, saltem in dispositione corporis, qui suo tempore jam erupit. Ex qua doctrina sequitur hunc solùm per bonam fidem potuisse uti matrimonio, nàm cæterum vera conjuux non erat. Et ob hanc rationem rectè docet de Lugo *in Resp: moral: lib:* 1. *d.* 31. Diana *p.* 5: *tract:* 14. *resol:* 49. Monialem quæ erumpat in marem, nulliter professam fuisse, atque adeò à monasterio educendam; neque cogendam professionem emittere in monasterio virorum, quia nec ipsa profitens habuit intentionem profitendi nisi apud moniales, nec aliter illam, acceptavit Prælatus, nisi, ut feminam quidquid aliqui dixerint, apud eundem de Lugo, qui cùm casus hic occurisset, cogere prædictum intendebant ad profitendum in Religiosorum monasterio. Ita Tamb: *l. cit. num,* 35.

Quæres 3. Quidam conjugatus incipit esse femina subtrahente natura instrumentum genitale? Quid in hoc casu agendum? ℞. cum Lugo *l. c.* Talem mutationem evenire non posse ex medicorũ relatione. Si tamen ocurrat, docet matrimonium quidem fuisse, sed statim mutato sexu dissolvi vinculum dicti matrimonij, quia matrimonium (inquit) constare nequit inter duas feminas, nec inter duos mares: unde addit se mirari, quod Thomas, Sanchez, in suo opere de matrimonio non meminerit hujus capitis, undè vinculum matrimonij quamvis consummati dissolvi, etiam ante mortem alterius ex conjugibus possit; sed Tamburino difficile videtur, concedere, matrimonij vinculum ante alterutrius

obitum dissolvi; cum omes scripturæ Patres & Theologi clament matrimonium consummatum, nonnisi morte disjungi. R. det ergo sicut supra, nimirum hoc matrimonium fuisse ab ipso initio invalidum, quia sexus, sub quo contractum fuit matrimonium, & consequenter habilitas personalis ad matrimonium, non erat perpetua, latente in corporali dispositione sexu alio, qui deinde tandem apparuit. Et de Lugo immeritò miratur silentium Thomæ Sanchez; nam etiamsi in dicto casu dissolveretur vinculum matrimonij, non debuit dictus Sanchez, ejus mentionem facere, quem ipsemet de Lugo ex medicorum relatione, ait evenire non posse. Propter eandem rationem, si quis professus in Religione contraheretur modo dicto in feminam, nulliter professus fuisset, nec esset cogendus, ut profiteretur apud moniales, ut in simili dictum est modo.

Quæres 4. Quod si quis jam initiatus sacerdos simili ratione descisceret in feminam, fuisset ne verus sacerdos? R. cum de Lugo *l. c.* ipsum fuisse verum sacerdotem, & sacerdotis characterē per hujusmodi mutationem non amittere, invalidè tamen in posterum consecraturum, vel absoluturum à peccatis; sicuti inquit anima sacerdotis, extra corpus characterem servat, quia is est indelebilis, cùm tamen non possit validè consecrare, quia exercitium ordinis conceditur composito, id est homini, non verò solum animæ.

Quæres 5. Quidam nullum sexum habet; quid ad hoc dicendum? R. ad hoc; interrogantem errare in supposito, nam pro certo supponit rem admodum innaturalem: sed demus casum

casum is inhabilis ad matrimonium, erit ex omni parte.

DUBIUM 12. An mulier potens quidem ad actum conjugalem, sed cum suæ vitæ periculo, vel cum prolis morte, vel cum abortu semper pariat, validè matrimonium inire poterit. R. *affirmativè*. Ita Sanchez, Bossius. Ratio est quia jam potens est, ad quod essentialiter requiritur ad matrimonium nempe ad copulam. Sed licetnè si id advertens & sciens faciat? quod certè contingere posset in vidua quæ hæc mala jam experta in præcedente matrimonio sit? R. *Cum distinctione* cum Tamburino *l. c. num: 12.* nam si id faciat, nesciente novo marito, certè peccabit quia illi magnum damnum infert, dum in re tam gravi eum decepit. Ipso autem sciente; nequaquam peccabit ex hoc capite, quia scienti & consentienti non fit injuria, at mortaliter peccabit (ait Bossius l. c.) ex alio capite hoc est propter damnum, quod facit sibi, proli, dum illius mortis (& aliquando etiam sine baptismo) & sui periculi causa est. Neque excusari potest, ait Bossius à fine remedium adhibendi tentationibus concupiscentiæ; eas enim alijs remedijs orationum, & mortificationum cum Dei gratia superare poterit. Verùm hanc non peccaturam, si nubat marito scienti, docent non nulli, quia ut mox dicet Sanchez in simili, non facit injuriam nec proli, nec sibi. Non proli, quia melius est, aliquo tandem tempore esse, quamvis sine baptismo [tunc enim non habet peccatum à se commissum. sed originale commissum ab alio] quàm nunquam esse. Non sibi, quia durum esset, negare mulieri, & ali-

quando

quando quidem calidæ valde remedium matrimonij à Christo Domino ad eum finem inter cæteros institutum, & eam compellere ad remedia illa mortificationum valde dura & extraordinaria, nam neque infirmum, ut vitam servet, obligamus ad remedia admodum difficilia adhibenda, vel conquirenda. Et Tamburinus hanc sententiam probabilem esse, [ut ipse fatetur l. c.] negare non potest.

Dices 1. Mulier impotens ad reddendum debitum, absque vitæ periculo est incapx matrimonij. Et ideò *c. fraternitatis, de frig: & malef:* decernitur mulierem arctam, quæ sine vitæ periculo aptari nequit congressui viri, esse ineptam matrimonio: atque eam impotentiã censeri perpetuã; at femina non potens absq; periculo vitæ parere, nequit absq; eo reddere debitũ, & cognosci à viro, reddens enim exponitur periculo conceptionis & partus. ℞. cum Sanchez *l. c.* id periculum esse temporale, nam illa periculosæ partus circumstantia non est perpetua; senectutis enim tempore, quando jam mulier sterilis erit cessabit. At impotentia, quæ non est perpetua, sed temporalis minimè dirimit matrimonium. Tum quia id periculum est remotum non enim sequitur ex ipso actu conjugali, in cujus obligatione essentia matrimonij consistit nec id periculum est subeundum, ut actus conjugalis sit possibilis in quo casu decidit textu in *c. fraternitatis* esse impotentiam perpetuam impedientem matrimonium, sed sequitur id periculum ex partu, qui incertus est, ac posterior quam matrimonij essentia.

Dices 2. Actus conjugalis est propter prolem & mulier sit proli habendæ inepta absque peri-

lo vitæ erit matrimonij incapax: proinde, ac si copulæ aptari non posset absque vitæ discrimine, &c. Neg. Consequ. Quamvis enim matrimonium sit propter prolem, at de essentia ejus non est obligatio ad prolem, sed ad actum conjugalem, unde quamdiu hic possibilis est nullo vitæ periculo præmisso, ut conjuges apti reddantur, valet matrimonium.

Dices 3. Non potest uti actu conjugali, sive petendo sive reddendo ob vitæ periculum, ergo ad id obligari nequit, in quo essentia matrimonij consistit. R. esto illicitus esset, tunc actus conjugalis de quo infra, non inde sequi matrimonium fore irritum. Quia ut matrimonium valeat satis est actum conjugalem ex se esse licitum, quamvis ex aliquo accidenti illicitus reddatur. Tum quia esto matrimonium absque culpa inirĩ non posset, minime inde sequitur id fore irritum. Quia satis est copulam suapte natura licitam esse, quamvis ex aliquo accidenti reddatur illicita, ut contingit in iis, qui voto castitatis obstricti sunt.

Adde temporaliter fore illicitum, nempe, tempore juventutis in quo subest spes concipiendi.

DUBIUM 13. *An sterilium valeat matrimonium? R. affirmativè.* Ratio est; nam usus Ecclesiæ ita habeat, nunquam enim auditum est, dissoluisse aliquod conjugium ratione sterilitatis; imò passim admittit senes ad illud ineundum: cùm tamen eorum semen constet esse sterile. Et inter parentes D. Joannis Baptistæ constat verum fuisse matrimonium, cum tamen illa esset sterilis. *Luc. 1.* Tum quia etsi id matrimonium frustretur fine primario, qui est prolis generatio: consequitur tamen finem secundarium, nempe satisfacere concupiscentiæ verâ copulâ habitâ. Quod

ad

ad ejus valorem sufficit. Et ita docet D. Thomas *in 4. 34. q. un: a. 2. ad 3.* receptus passim ab omnibus Theologis, & Juris Pontificij Professoribus.

Dices 1. Sicut matrimonium ordinatur ad copulam, ita ad prolis generationem: imò est potissimus finis prolis generatio, cùm ergò impotentia ad copulam irritet matrimonium, à fortiori sterilitas, quæ impotentia est ad generandam prolem irritabit. R. negat consequ: nam quando est impotentia ad copulam, neuter matrimonij finis reperiri potest. At quando est sola sterilitas salvatur finis secundarius.

Dices 2. Ubi nequit efficax voluntas finis inveniri, nequit etiam mediorum. Cùm media sint propter finem. At in sterilibus nequit inveniri efficax voluntas generationis prolis, quæ est finis conjugij: utpote quæ est illis impossibilis. Non poterit igitur in illis reperiri efficax voluntas conjugij quod est medium. At sine efficaci voluntate, matrimonium consistere non potest. R. hanc maximam habere locum, ubi est finis unicus, secus ubi est duplex & alter saltem reperitur, ut in sterilium matrimonio evenit.

Dices 3. Cap: 1 de frigid: & malef: id videtur decidere ibi *si mulier proclamaverit, dicens: Volo esse mater, volo filios procreare.* Ex quo textu constat dissolvi matrimonium ratione impotentiæ viri muliere clamnante se velle esse matrem. R. cum D. Thom: *in 4. d. 34. in expos: lit: Magistri* & cum D. Bonaventura *in eadem exposit: a. 2.* sensum eorum verborum esse, *Volo cognosci à viro*: Sanctos verò loqui juxta muliebrem pudorem utentes verbis modestiæ; & ideò non dicunt feminam petijsse coitum: id enim feminæum pudorem dedecebat.

DUBIUM 14. *An valeat matrimonium, quando vir nequit ob membri magnitudinem aut grossitiem cognoscere feminam?* R. *affirmativè*, eò vel maximè tunc quando ob membri virilis excessum, femina non potest cognosci, nec arte aliqua huic impedimento succurri potest, quamvis non sit tale cùm alijs erga quas excessus ille membri copulam non impedit. Ita Ricard: *in 4. dist 34. a. 1. q. 1.* Quarè minus bene aliqui Pontificem in hoc eventu consulendum esse dicunt, quasi res sit dubia. Item quando ob membri virilis grossitiem impeditur copula cùm certa femina, nec id impedimentum potest medicinis auferre: impedietur ac irritabitur, matrimonium, cum illa, respectu cujus est impedimentum. Ita docent Hostiensis sum. Astensis noster *s. p. sum lib: 8. tit: 2. 6. a. un: q. 5.* Riccard: & plures alij. An autem detur impotentia respectiva naturalis perpetua? inter se certant Doctores, & sit probabile, eam non dari, probabilius tamen eam posse dari, docet Sanchez *lib: 7. de impedimento matrim: disp: 92. num: 5.* Nam stat mulierem tam arctam naturaliter esse, & virum ita pinguem, ut illius membrum penetrare nequeat vas feminæ ita arctæ: cùm tamen vir ille alijs feminis non ita arctis idoneus sit, ac illa femina non sit inepta alijs viris non ita pinguibus. Item stat naturalitèr quempiam virum ita debilis virtutis esse ut feminam virginem penetrare nequeat, cùm tamen possit corruptam: vel ita calidum esse, ut statim ac congredi conatur, semen effundat, & ita virginem cognoscere non posse: at posset corruptam, respectu cujus nullus conatus exigitur ad vas penetrandum. Nec hæc semper arte medicinæ auferri posse docet experientia.

Tùm

Tum quia fortius probat hanc partem textus in c. *Fraternitatis de frig. & malefic.:* ubi separato matrimonio quod vir mulierem arctam cognoscere non posset, atque illa alij nubente, qui ipsam corrupit, non deciditur absolutè prius matrimonium instaurandum esse, sed quando posterior vir similis est priori (ut n. 12 l. c. Sanchez explicat) inde coniectura sumpta, sicut potuit posterior, ita potuisse priorem: atque ita non fuisse impotentiam respectivam perpetuam, ibi: *cum pateat ex post facto quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur.* Supponit ergò textus non restaurandum esse, si prior vir debilior erat, atque ita posteriori dissimilis, atque adeò esse impotentiam naturalem respectivam perpetuam, quæ dirimat matrimonium respectu certæ feminæ. Tum quia, constat ex eodem textu, in fine, ubi Pontifex ait ex præmissis in eo textu decidi quæstionem hanc. An mulier quæ viro, cui nupsit, adeò arcta est, ut ab eo deflorari nequeat, & alij nubens reddita est priori apta, per posterioris concubitum sit reddenda priori? ubi Gloss. verb: *Debeat,* ait Pontificem sentire non reddendam. quando priori non poterat reddi apta per artem medicinæ absque vitæ periculo. Ergò jam conceditur impotentia respectiva perpetuò diriмens. Et ideò hujus sententiæ sunt *Glossa Goffred:* Sylvestr: Turrecrem: & plures alij. Et ex Theologis Scotus, Durandus, Ricard: Basiolis, Nicol: de Orbellis, D. Antonin: & plures alij [h]

Dices 1o Ex cap: 2. 33. q. 1. ibi. Nam si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conveniet? R. textum intelligi quando feminæ alicui concordare non potest vir naturaliter, id est naturali frigiditate impediente ut explicant ibi

Glossa verb: naturaliter Secus quando vir non est frigidus, sed ob membri debilitatem, excessum, aut grossitiē non est alicui femininæ: apt⁹ tunc enim fieri potest ut alijs aptus sit.

Dices 2. *Cap: Fraternitatis de Frigi & malefici*, definitur, matrimonio dissoluto eò quòd vir non possit vas feminæ penetrare, si postmodum ea alteri nubat, & ab eo cognoscatur, instaurandum esse prius matrimonium. At Ecclesia insufficienter judicaret, si esset aliqua impotentia respectiva dirimens matrimonium. Posset enim fieri, ut prior vir sit impotens, respectu illius feminæ, ad quam cognoscendam posterior vir potens fuit. R. non decidi ibi absolute reddendam priori viro, sed quando uterque similis est, ut jam diximus.

Dices 3. Quia censetur impotentia temporalis, nec dirimens matrimonium quando per artem absque vitæ periculo potest illi subveniri *C. Frigiditatis de frigid: malefic*: R. eum textum procedere quando allegata est frigiditas viri tunc enim non potest esse impotentia respectiva; cùm frigidus sit prorsus impotens. Et quando allegant ei impotentiæ posse semper subveniri; negandum est simpliciter.

DUBIUM 15. *Quod si femina tàm arcta sit ut nequeat semen intra vas suscipere aut susceptum retinere, vel præ latitudine, aut alio morbo cognosci à viro nequeat?* In hoc casu quid agendum? R. in tali casu feminam constitutam non esse capacem matrimonij, eò vel maximè si arte aliqua nequaquam juvari possit similiter esset incapax matrimonij si præ latitudine aut alia latenti ægritudine, à viro cognosci minimè possit, secus esset, si femina posset suscipere semen intra vas, quamvis semel susce-

ptum

ptum retinere nequiret: tunc enim valet ma-
trimonium. Quippè tunc verè consummatur
matrimonium ac efficiuntur conjuges una caro:
& ipsa solùm sterilis est; quod valori matrimo-
nij non obstaret. Sic Ovandi *in. 4. dist. 34.*
disp: unic: Coroll: 3

Temperant quidam conclusionem, ut tunc
non valeat matrimonium, eò quòd vir coire po-
tens, nequeat seminare, quando mulierem is de-
fectus latuit: secus si ejus conscia cedat juri
suo. Eam enim reddunt rationem ob quam
matrimonium non potens seminare sit irritum,
quod mulier clamare possit, velle se esse ma-
trem: & ita sentire videntur validum fore, ut-
pote quæ conscia defectûs fuit. Jdem dicunt
sentientes matrimonium Eunuchorum valere quã
do femina conscia fuit. Jdem docent opinan-
tes nullam impotentiam cognitam dirimere ma-
trimonium, Sed patri Sanchez, hæc non pla-
cet limitatio; Quia si natura matrimonij pe-
tit seminandi intra vas potentiam, ut sic pos-
sit tradi potestas corporum ad actum conjuga-
lem, non videtur ei qualiter voluntas conjugum
effici valeat, ut absque ea potentia consistere
possit matrimonium. Qua ratione ductus San-
chez defendit. *disp: 97: num. 2* impotentiam
etiam utrique conjugi notam, dirimere matri-
monium. Adde Sixtum V. in quodam motu
proprio declarassd, ut videre est apud Sanchez
hic *num:* 17. declarasse conjugium eunucho-
rum esse irritum, quamvis sciente altero con-
juge initum fuerit, sed de his amplius paragra-
phus sequens docebit.

a. Sanchez *lib: 1. de sponsal. disp. 8, num:*
16. D. Thom. *4: dist: 34. q. 5: art: 4,* D. Bo-
navent: *artic. 3. quæst. 1.*

b. Snnchez *lib: 1. de sponsal: disp: 3. n. 17.* Menoch: *lib: 6: de præsumpt: præsump: 45. n.18.*

c. Bossius *de matrim: contractu cap. 3. n. 59. & 60.*

d. Covar: *4. decret: 1: p. c. 2. num: 9.* D. Antonin: *3. p. tit 19. c. 19. ante §.*

e. Bossius *l. c. §. 19. num. 50. & 51.* Sanchez *libr: 2. de sponsalibus disp: 8. num: 12.* Mascardus *tom 2. Verb: mutuo concl: 1083.*

f. D. Thom: *in 4. dist 4. qu: unic: art: 3 corp:* D. Bonavent: *ibidem: artic: 2. quæst: 1.* Scotus *quæst: unic: col: pen: & in salut; ad Vult* & plures alij.

g. Sanchez *lib: 7. de imp: matrim: disp 92. num: 24:* Scotus *in 4. dist: 34. quæst: unic: in solut: ad 2. & in 4. d. 34. qu. unic. artic: 1. pen:*

h. D. Bonavent: *in 4. dist: 34. a. 1. quæst: 2. ad 2.* Scotus *ibidem:*

i. Glossa *eo cap. Fraternitatis Verb: simili & Verb: debeat.* Et ex Thrologis Seotus *in 4. dist: 34. qu: unic: Col: pen: in brevioris parte Volum:* Nicol: de Orbellis Scotista *quæst: unici* & plures alij.

§. V.

Quò ad debitum reddendum.

DUBIUM 1. *Si copula conjugalis vergat probabiliter in damnum propriæ salutis, vel conjugis an sit licitum, petere vel reddere debitum?* R. cum Scoto *in 4. dist: 32. quæst: unica negativè.* Ratio est Scoti; Quilibet secundùm charitatis ordinem, tenetur magis se, & salutem suam diligere; quàm hoc debitum reddere; tùm

Dd quia

quia charitas est virtus perfectior justitiâ commutativâ: tùm quia conjuges cùm corpora commutant, se obligant ad possibilia, ideòque casus iste, in quo periclitatur propria salus non cadit sub obligatione commutationis factæ per matrimonium, qui ergò hoc damnum timet, non tenetur reddere. Et multò minùs potest petere, quia à charitate retrahitur, ne sibi malum inferat, ut jus naturæ dictat, & canones decernunt *causâ 23. quæst: 5. cap: si non licet* & per multa, & à nulla alia virtute impellitur. Concordat cum subtili, Doctor Angelicus *3. p. quæst. 64 contra gentes artic: 11 in corpore*, dum ait: quòd tunc deficit jus petendi, & reddendi, quia ordo naturæ postulat ut individuum priùs in se perficiatur virtute nutritiva, & deinde hæc ministret superfluum generativæ, cùm ergò matrimonium institutum sit in officium naturæ, & unus conjux non habeat potestatem supra corpus alterius, quantum ad ea, quæ ordinata sunt ad conservationem individui, nisi solùm quantùm ad virtutem generativam, non potest ab eo debitum petere, nisi salva alterius personali incolumitate; quare non solum tenetur conjux exactus reddere, verùm si redderet peccaret, quia cùm non sit Dominus propriæ vitæ, non potest eam periculo exponere, graviori necessitate non urgente. & idem est: si damum sit petentis, ex hac conditione addita D. Thomæ: *graviori necessitate non urgente* occurrit.

DUBIUM 2. *An in casu, quòd proles esset bono communi totius universi, aut alicujus regni necessaria, teneantur conjuges sibi mutuò debitum reddere, cum dispendio propria salutis?* R. cum

Corne-

Corneto Carmelita *in 3: p: S. Thoma tract: 6. disp: 1. dub: 3. affirmstivè*, in eo enim casu etiam cum vitæ discrimine sibi mutuò tenentur reddere debitum. Ratio est, quia tunc jactura boni particularis, est medium necessarium ad bonum commune, quod privato præponderat, tenetur ergò illam pati pro bono communi: Tùm quia pro salute Reipubl/ tenentur omnes vitam exponere, ubi tamen adverte; quòd in hoc casu potest considerari dupliciter obligatio ex justitia, una ex justitia commutativa, ratione matrimonij, quæ est inter ipsos conjuges ad debitum mutuò sibi reddendum, & hæc non oblgat cum tanto discrimine, ut dictum est, altera ex justitia legali, quæ respicit bonum commune, & hæc est strictior, & obligat in hoc casu, & idem est judicium, si medici judicent Principem se exponi mortis periculo, si nubat propter aliquam ejùs infirmitatem, & ex alia parte paci, & tranquillitati regni expedire videatur, quòd ille Princeps filium habeat.

Qvares. Quid si infirmus exigens patiatur periculum incontinentiæ, quid agendum. R. cum Cornejo *l. cit.* teneri ad reddendum, si petens, qui ruinæ spiritualis periculum patitur, sit in extrema necessitate illius remedij constitutus; secùs verò si non sit in extrema necessitate sed solùm in gravi periculo, primum patet, quia ex charitate tenetur unusquisque anteponere salutem spiritualem proximi propriæ saluti corporali, secundum etiam patet, quia hoc præceptum charitatis non obligat, nisi existente primo in extrema necessitate.

Si dicatur. Prælatus tenetur non solùm ex charitate sed etiam ex justitia ratione officij

succurrere cum discrimine propriæ vitæ subditis spirituali periculo laborantibus, non solùm in extrema eorum necessitate, verùm etiam in gravi, ergo etiam unus conjux tenetur ex justitia ratione matrimonij, quod est in remedium concupiscentiæ institutum evitare incontinentiam alterius, quamvis non sit in extrema necessitate, sed solùm in gravi R. Nego consequentiam, & ratio discriminis est, quod lex matrimonii non obligat præcisè ad reddendum debitum, sed servato ordine naturæ, & illius propriæ personæ incolumitate, ut ostensum est, unde in casu hujus argumenti solùm obligatur conjux ex charitate, cujus præceptum, non nisi in extrema necessitate obligat, prælatus verò est præcisè obligatus ad consulendum saluti spirituali subditorum ex justitia ratione officii & non solùm ex charitate,

Quares iterato: Quid, cessante propriæ infectionis periculo, si timeatur infectio prolis, sit agendum? R. cum D. Thom: teneri tunc reddere. Ratio est, quia meliùs est proli infirmam aut leprosam, quàm penitus non esse, juxta illud commune axioma, meliùs est esse, quàm non esse, unde ei nulla irrogatur injuria.

Si dicatur: non tenetur conjux reddere, cum detrimento propriæ salutis corporalis, ergò neque cum detrimento prolis; prob: consequentia, quia ex charitate tenetur quis diligere proximum & præcipuè proprium filium, sicut semetipsum R. neg: consequen: & ratio discriminis est, quia conjugi sano jam existenti simpliciter nocet redditio debiti cum detrimento propriæ salutis, quia cùm jam habeat esse, non potest non malè affici ex tali contagione

tagione, at verò proli nondum existenti non nocet simpliciter quod nascatur infirma; cùm meliùs sit ei, ita nasci; quàm non nasci.

Si dicatur. Ideò fornicatio est peccatum, quia cedit in damnum educationis prolis, quamvis melius sit ei ita esse, quàm simpliciter non esse, ergò etiam erit peccaminosa copula conjugalis, ex qua moraliter timetur damnum prolis generandæ. R. Nego consequentiam, & disparitas est duplex. *Prima* quòd copula solutæ cum soluta est inductiva talis nocumenti, quamvis per accidens possit vitari: ut docet D Thomas 2. 2. *quæst:154 artic: 2.* Ubi late Cajetanus: at verò copula inter conjugatos infirmos, non est naturâ suâ causativa infectionis in prole, uti patet, & sic potest honestari justis causis. *Secundo est*, quòd soluti non habent jus ad copulam; sicut coniugati, & ita conjugati, non tenentur abstinere ab ea, cùm sui maximo detrimento, propter periculum prolis; cùm nullus teneatur facere jacturam in eis, jusque suum amittere propter commodum, aut jus, quod alteri accrescit, exemplum est in eo, qui non tenetur suæ defensioni cedere, etiamsi cognoscat damnum, quod sibi timebat venturum, si à propria defensione abstineret, in alterum redundare, ideò quia conjuges possunt urgentibus passionibus premi, quibus resistere difficile est, aut infirmari si non coëant, non tenentur abstinere cum tanto discrimine, præcipuè cum hoc damnum, quod conjuges ex tali abstinentia patiuntur, certum sit in multis casibus, illud verò quod timetur in prole, sit maximè incersum, quia non semper proles sequitur ex quolibet concubitu, præsertim in conjuges infirmos

tum etiam cum ſæpè contingat, quòd ex parentibus infirmis proles ſana naſcatur, abſtinere tamen tenerentur conjuges, ſi nullum aut leve damnum incurrant, & probabile ſit prolem infectam naſcituram.

DUBIUM 3. *An amentes facti conjuges, habeant jus petendi debiti?* ℞. *cum diſtinctione*, vel enim uterque, vel alter conjux non omninò deſtitutus eſt ratione, ſed eſt fatuus ad inſtar pueri rationis uſum habens, in hoc caſu habet jus petendi debiti, & reddendi Quia revera uſu rationis, libertateque fruitur, & capax eſt meriti & culpæ. vel conjuges non omninò & uniuerſaliter amentes ſunt, & circa omnia obiecta, ſed in una & altera re, cùm tamen circa matrimonium & alia ſint ſui compotes; & his non debet denegari jus petendi debiti & reddendi nam ſicut capaces ineundi matrimonij fuerunt, ita & debiti petendi & reddendi, maximè tunc ubi ea matrimonio jam contracto amentia accidit. Idem aſſerere oportet, ſi amentes lucidis intervallis fruantur & eo tempore lucidi intervalli petant debitum Quia tunc liberè, & actu humano petunt. Ita Nicolaus de Orbellis Scotiſta *in 4. diſt.* 32. *quaſt: Unic: n. 10.* Aſtenſis Scotiſta *ſumm: 2. p. lib: 8. tit: 10. art: 3. quaſt: penult:* exiſtimat tamen Sanchez, ſi lucida intervalla ſint rara, & probabile periculum verſetur perpetuæ amentiæ, atque ita defectus educationis prolis aut aborſûs, judicandum eſſe ad diſtinguendum, ſicut de perpetua amentia unius, ac utriuſque conjugis. Reſpondemus conſequenter ad dubium propoſitum: ſi ambo conjuges ſint mentis impotes, ſeperandi ſunt, donec ad mentem redeant, & reus eſſet culpæ, qui

cos

eos ad copulam incitaret. Quia licet ipsi amentes, minime delinquant defectu libertatis, tamen qui eos copularet, concurreret evidens prolis educandæ damnum, careret quippe parentibus, qui eam educare, instruereque possent. Tum quia propter simile prolis detrimentum, vagus concubitus est illicitus. Imo in hoc eventu magis destituta est proles, quàm ubi concubitus est vagus. Ita Petrus Ledesma. *de matrim: q. 58. a. 3. dub:* 2. ubi merito culpam hanc letalem esse ait, & id probat ratio adducta: si autem alter conjux solus sit amens ex natura rei, est licitus concubitus. Quia est verum matrimonium, nec proli detrimentum sequitur, habet enim alterum parentem rationis compotem à quo educetur. Undè si non sit periculum aborsûs aut damni notabilis conjugis sani, nulla erit culpa. Ita Sanchez Enriqu: Angles Scoti: Emmanuel, Sa. (a) Hinc deducitur, regulariter illicitum esse concubitum, ubi uxor amens est, & vir mentis compos. Quia probabilissimum subest periculum, fore ut mulier insaniæ furore correpta, fætum in utero necet. Cessante autem tali periculo: sive quia sterilis est, ut nulla subsit spes concipiendi: sive quia mitis admodum est nec furiosa, licitus est congressus: quoniam ex se licitus erat ut dictum est, ratione autem solius periculi reddebatur illicitus, quod in hoc eventu cessat. Si è contra, uxor mentis compos sit, vir autem impos, licitum esse congressum, atque fas est uxori furiosum incitare, ut secum coeat. Quia tunc aborsûs periculum cessat.

An autem conjugi perfectè amenti exigenti, conjux mentis compos teneatur ei reddere debitum? R. *negativè* idest non teneri conjugem sa-

num reddere per se & ex natura rei debitum amenti, quamvis nullus aborsûs, aut damni conjugis periculum subsit. Et ratio est, quia illa debiti petitio non est actus humanus, atque perinde est, ac si vir in somnis peteret, cui non teneri uxorem annuere quis dubitet? Firmatur ratio, quia sicut vir amittit ob furorem jus ad suam, bonorumque administrationem, ita ad usum matrimonij, ita ut exigens obliget. Sic Riccard: Astensis, & Nicolaus, de Orbellis, Scotistæ, & plures alij. Dixi *per se & ex natura rei*, non teneri. Quia si periculum esset in conjuge furioso, negato sibi debito, accessus ad aliam, vel effusionis seminis, teneretur per accidens, ratione evadendi hoc periculum conjux sanus illi reddere. Et quamvis indistinctè loquantur aliqui DD. de Conjuge, Ludovic: tamen, Lopes, id asserunt de fæmina quæ rationis compos est. Nam si ea sit amens, quamvis id incontinentiæ periculum adesset in illa, ait non teneri virum sanum, ei reddere, nisi aborsûs periculum cessasset, præponderat enim aborsus periculum.

Dices. Amens retinet dominium corporis alterius conjugis, adestque finis matrimonij, cùm ex eo concubitu possit æquè proles generari ac si essent sani. R. non enim ad obligationem debiti persolvendi, satis est dominium corporum, sed ultra illud desideratur, ut actu humano, & libero petatur. Et quando esset incontinentiæ periculum, tenetur alter reddere per accidens ratione illius: & quia Tamburinus *lib: 7. in Decalogum cap: 3. de adulterio n. 29.* hoc periculum incontinentiæ vocat solùm materiale, nam incontinentia amentis non est culpa. Facilius ergò dicendum obligari tunc uxorem propter periculum disper-

dispersionis seminis sui viri cum frustratione generationis, cui ipsa vxor consulere potest, recipiendo in se materiale semen.

DUBIUM 4. *Ebrio conjugi, an sanus teneatur reddere debitum?* cùm immineat periculum, ne proles fatua vel amens oriatur: ne scilicet ebrius conjux in ipso matrimonij actu, in mille absurda incidat, quæ ebrietas luxuriæ associata dictare potest: nam cùm ebrius sui juris non sit, ubi Veneris ardore incaluerit, omnia sibi licere credit in omnia impetum facit, qui neque opportunitatem novit, neque periculum, quod sibimet ipsi ex Veneris usu instat cùm medici omnes uno ore hortentur, vitandas esse ebrietates, cùm quis coitu uti destinavit, periculosæ enim admodum, ne Apoplexiam aut alium quempiam gravem excitent affectum? ℞ *cum distinctione*, vel loquimur de conjuge totaliter ebrio, ac proindè rationis usu privato. Huic enim non tenetur per se & ex natura rei (ut diximus supra de amente & furioso) debitum reddere conjux rationis compos. Quia non petit actu libero & humano sicut nec amens: atque ita est eadem ratio. At per accidens dicunt DD teneri reddere ratione periculi incontinentiæ in ebrio si adesset. Vel loquimur de ebrio, non totaliter ebrio, quia usu rationis non privato, tali enim tenetur reddere debitum conjux perfectè sanus; cùm non esset talis ebrietas, ut omninò obrueret, & impediret usum rationis, ut contingit sæpè in Germaniæ partibus, ubi ut plurimum ebrij, licet faciant plures actus, & gestus ridiculosos, & verba ridicula proferant, tamen non omninò amittunt rationis discursum, & plura seriò agunt, & pacta ineunt, quorum recordantur post ebrietatem, & observant.

(ita

(ita Bosius *cap. 3 de matrim: contract: n. 61.*) Tum etiam quia in ebrijs cessat damnum prolis educandæ; cùm enim brevi ad se redeant, non destruitur proles parentibus, qui ipsam educent. Medici autem loquuntur, de ebrijs perfectè & usu rationis carentibus; quibus possent prædicta symptomata intervenire; non verò in secundo sensu.

DUBIUM 5. *An conjuges possint exigere debitum, ex sola causa sanitatis?* Ratio dubitandi est, quia copula matrimonialis ad hunc finem non est instituta: abutuntur ergo conjuges matrimonio, non deligentes ejus usum, ad aliquem ex illis finibus ad quos est ordinatum. Tum quia Venus est semper nociva, neque veritatem habet unquam ad sanitatem vel ad alicujus morbi revelationem ex usu esse; sed quidquid sit, de medicorum sententia R secundùm Canonistas, nullam habere culpam exigere debitum causâ sanitatis. Ita summa Angel: *p. 1. Verbo debitum conjugale n. 24.* Tametsi veriorem opinionem esse credat, quæ hoc veniale peccatum esse existimat, quam sequitur etiam summa Sylvestri. *Verbo debitum conjugale n. 13.* Sanchez *de matrim: lib: 9. disp: 10. n. 3.* Coninch: *de sacram: disp: 34. dub: 1. n. 12. tom. 2.* & licèt Sanchez addat hoc verum esse, quando aliud medium aptum, ad tuendam præsentem sanitatem, aut ad amissam recuperandam non reperitur; tamen cùm hoc medium non sit illicitum, fiatque absque vitæ dispendio, & faciliùs executioni demandetur, quàm quæcunque alia à medicis præscribenda, fortè etiam suppetentibus alijs medijs, non erit culpa hoc remedio ad sanitatem uti; quia semper saltèm implicitè, intendi potest aliquis ex illis finibus in usu matrimo-

nij intendendis. Imò secundùm medicorum communiorem opinionem, dicendum, Veneris usum nonnullis morbis auxilio esse, & sanitati etiam custodiendæ proficere, ut probat Paulus, Zachias, Romanus in *quæst. med. col. galibus.*

DUBIUM 6. *An menstruata possit exigere debitum?* R. 1. *negativè*, & hunc usum irrationabiliter exigi. Ita D. Thomas. *in 4. dist. 32. artic. 2. quæstiuncula 2. in corpore* Alensis, D. Bonau: & Scotus, *n. 5.* censens contrarium improbabile in lege nova, quæ est lex castitatis. Ratio e , quia ex copula cum menstruata communiter & per se imminet periculum proli; quæ ex vitio seminis per menstrua corrupti inficitur, & nascitur leprosa, & elephantica, ob quod periculum talem copulam fuisse *Levitici 18, & 20. vetitam.* docet D. Hieronymus *in cap. 18 Ezech*; Clemens *epist. ad Iulium & Iulianum discipulos.* D. Gregorius relatus *cap. finali dist. 5* & quamvis forsan hic & nunc illud periculum in uno vel altero non sequatur, attamen universaliter non tollitur, ut teste Hiqueo docent, Levinus, Lemnices, & alij medici, & in lege nova illa prohibitio non est revocata. R. 2. cum Cardinal: Lauræa, *disp. 34. de debito conjugali artici 3. § 4.* cum distinctione; si uxore patiente menstrua timeatur damnum prolis, est illicitum petere ab ea, & reddere illi debitum; si autem tale non timeatur damnum, & non urgeat periculum incontinentiæ illicita est, saltem venialiter eorum copula: prima pars est Scoti *in 4. dist. 32. F.* & probat eam Doctor subtilis: Ex *lib. 6. constit. Apostol: c. 27.* ubi hæc formalia habentur: cùm naturalis purgatio cernitur in uxoribus, ne se cum eis commisceant mariti, ut proli consulatur; id enim lex prohibet: ad eam, quæ

patitur

patitur menstrua non accedes. Lex autem est ista Levitici 20. (ut modo supra innuimus) Scotus autem *lib. 4. sub litt F* ait, *nec est probabile, quòd in lege Evangelica, quæ est lex castitatis, sit minus prohibitum ad menstruatam accedere.* Et assignat prius rationem sic; majori præcepto tenetur non agere, unde proles nascatur leprosa, quæ posset alias procreari sana, quàm pro tunc satisfacere voluntati mulieris, pro quando, ut in pluribus puer nascitur leprosus. Idem etiam habet Glossa *in dist. 5. cap. fin.* verbo *ablactatur*, dicens, *ex tali conjunctione nasci pueros leprosos.* Firmatur & secunda pars, hac ratione, ablato tali damno, si periculum, timetur incontinentiæ non apparet ex quo capite sit mortale peccatum cum menstruata copulari, si autem nec periculum sit incontinentiæ ex quo copula fieret licita; neque damnum prolis timeatur, ex quo fieret illicita mortaliter; adhuc videtur malum cum menstruata copulari, quia ratione simplicis voluptatis habetur, & semen frustraretur fine suo, & degeneraret in profluvij materiam: & in Evangelio castitas non haberetur in æquali pretio, sicut in Synagoga.

DUBIUM 7. *An conjugi leproso, sanus teneatur reddere debitum?* R. cum Cardinali Laur: *eum distinct.* Si morbus difficile inficiat, cum ergò lepra, ex usu raro copulæ, non contrahatur lepra à sano secundùm Scotum, sed ex diuturna cohabitatione, potest conjugi leproso, imò tenetur sanus reddere debitum. Probatur ex cap. *Quoniam de conjugio leprosorum*, si leprosus à sano debitum exigat, hic tenetur reddere, quia leprosus non inficit sanum, nisi post longam cohabitationem. Ita Alexander III. *Quod si virum, sive mulier,*

mulierem leprosam fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est redendum, cui præcepto, nulla in hoc casu exceptio invenitur dixit *Card: Lauraa,* nisi post longam cohabitationem qua lepra secundùm Scotum ex copula non contrahitur, & ideò idem Papa ibidem *cap: 1.* scribit *Archiepiscopo Canturianensi:* ut hortetur conjuges sanos sequi leprosos; quod si ad hoc induci non possint, injungat ut uterque, altero viuente, continentiam servet. Hoc autem non ex alio capite potest provenire, nisi quia diuturna cohabitatio potest causare in sano lepram, non sic autem carnalis copula, ut notat *Glossa* verbo, *ministrent,* ubi ait: num quid in eodem lecto & domo morari debent? non debent, sed sufficit leproso, quòd suo debito non fraudetur. hæc *Glossa.* ergò quando copula non est adductura malum, non potest negari morboso, & malè affecto conjugi petenti; sicut potest negari, quando ab eo sanus potest facilè infici. Ex his.

Collige. ex Scoto, ut colligit Pontius *lib: 10: c. 14. n. 25.* quod si à conjuge febri, dolore, aliave affectione laborante exigatur debitum, talis æger non tenetur reddere. Idem dicendum, si in aliqua circumstantia temporis, in quo malum aliquod sequitur, ut si exigatur immediatè post prandium vel cænam, & experientiâ constet, ex redditione in tali circumstantia damnum aliquod grave sequi. Ratio primi, ex *Paulo Zachia Romano, Protomedico Generali;* quia morbi omnes qui aut febres sunt, aut febres conjunctas habent, quæcunque tandem illæ sint, aut continuæ, aut intermittentes, aut letales, aut acutæ, aut chronicæ, aut

essentiales, aut accidentales, aut Ephemeræ, aut putridæ, aut habituales, omnes ac singulæ hominem ab omni coitùs usu prohibere debent ob damnum notabile ab ejus usu emergens : quia cùm in febre calor vigeat præter naturam, certè necessè est, naturalem calorem succumbere : at in Veneris usu calore naturali multo quidem ac vegeto est opus. Si ergò ex coitu ob seminis excretionem calor naturalis debilior reddatur, jam absque ullo debito naturam summopere lædi necessè est. Imminente ergò notabili ac insigni ex coitu periculo febris, quæcunque erit legitima causa non reddendi conjugale debitum. Ratio secundi ; quia teste Vega *de art: medendi lib: 7. c. 5.* qui cibo nuper desumpto coierit, cruditatem patietur, aut ciborum corruptionem, nisi validus admodum fuerit, & is si multoties id servaverit, manifestè lædetur. Et Palud: refert se à medico quodam didicisse, virum quendam in phtisim incidisse, quia solitus erat post prandium cognoscere uxorem. Ratio tertij ; quia etiam in balneis, vel statim à balneis; grave periculum affert eo tempore copula. Ita D. Antoninus *3. p. tit: 1. cap: 20. n. 13.* Tum etiam quia judicio medicorum, talis copula ob caloris naturalis debilitatem, grave damnum affert. Ita Arauxo *tom: 2. decis: n. 27.* & medicorum judicio in ejusmodi casibus standum est ; ait Cardinalis Lauræa *lib: cit: n. 81.*

DUBIUM 8. *An sanus conjux tenetur leproso reddere debitum etiamsi proles nascitura sit infecta?* ℞. *affirmativè.* Ratio est, quia proli tantùm obest, ut irrogetur injuria, quin potius maximo afficiatur beneficio, consequitur enim vitam ex eo concubitu, ac melius est illi leprosum existere,

stere, quàm omninò non esse; Ita D. Thom: Scotus, Durandus, D. Antonin, & plures alij apud Sanchez Neque obstat, conjugi sano non licet reddere debitum cum detrimento propriæ salutis, non obstat inquam, cùm enim conjux sanus habeat jam esse naturale, non potest non malè se habere, si contagione illa inficiatur. At proli non simpliciter necet, sed meliùs est.

DUBIUM 9. *An Vxor gravidationis tempore poßit licitè exigere debitum?* ℞. *cum distinctione.* Dum uxor est gravida, si timetur de occisione fætus in utero, vel de abortu, illicitum est petere & reddere debitum. *Ita Scotus*, quem recentes omnes sunt secuti Card: Laurea *lib: c n* 85 *& plures alij* prob: ex cap *non solùm causa* 32. *q.* 7. estque D Ambrosij, qui invehitur contra eos, qui indesinenter copulæ vacant sic; *sunt autem quadam, quæ sicut animalia, absque ulla discretione indesinentèr libidini serviunt, quas ego, nec multò pecoribus comparaverim; pecora enim cùm conceperint, ultra non indulgent maribus copiam sui.* Ipsa etiam ratio svadet, nam talis copula in ijs casibus nedum esset contra matrimonij bona, sed & contra legem naturæ: nam matrimonium ordinatur ad prolem: talis autem copula esset medium ad ejus necem, vel ejus manifestum periculum. Tum quia lege naturæ vetitum est malum alteri inferre: ex ea autem copula sequi posset probabiliter malum fætus, & uxoris, quæ vel ex fætûs occisione in utero, vel ex abortu, posset in vita propria periclitari. Si vero nec abortus nec occisionis fætûs immineat periculum, & urgeat stimulus carnis, timeaturque de incontinentia, nullum prorsus apparet malum petere vel reddere. Sed quia Cardinal: Lauræa, semper periculum,

saltem

saltem remotum conijcit, de nece vel abortu, aliove fœtûs vel uxoris damno, à veniali saltèm eximere non valet ejusmodi conjunctiones, & ad hoc periculum videtur Hieronymum respexisse, dub: *lib: 1. contra Iovin.* ait: *certè qui dicunt se causa Reipublicæ, & generis humani uxoribus jungi & filios procreare, imitentur saltem pecudes, & postquam venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos,* & *Glossa* in fine ait; *ex concussione perit partus frequenti.* Et quamvis D. August: & Ambros: de abortu mentionem non faciant, à fortiori conclusionem probant, si enim contra usum gravidarum invehuntur, magis facient, si periculum abortûs subsit. Confir: nostra conclusio. Quia matrimonij finis principalis est generatio prolis, sed abortus directè huic repugnat, ut de se patet, quando est tale periculum, non obligabitur conjux ad reddendum debitum. Tum quia illicitum est, innocentem periculo mortis exponere, id in tali casu fieret. Nec valet dicere hoc verum esse de abortu fœtûs animati, licere tamen quando fœtus non est animatus. Non valet inquam, quia hoc damnatum est, ab Innocent: XI. *proposit:* 34. cujus tenor est talis: *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Et meritò est proscripta, nam & Diana hanc propositionem cum summo Pontifice reprobat, & testatur se audivisse, damnatam talem opinionem adhuc suo tempore *in p. 6. tract: 8. misc: 3. resolut. 37. & in parte 9. tract. 5. misc. 1. resol. 11. & alibi, ubi ait,* esse grave peccatum procurare abortum fœtûs inanimati, esto propriè non sit homicidium, uti revera in rigore physico tale non est, quia informis fœtus

fœtus non est homo completè; sed quatenùs futura hominis nativitas impeditur, censetur moraliter homicidium ad illudque reductivè pertinere videtur; unde benè Tertullianus *tom. 5.* in Apolog: *lib. 2. cap. 9. n. 312.* ita ait: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est, prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet, homo est, & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est.* Et S. Augustinus tom: 10. serm: de temp. sic præcipiendo inquit: *nulla mulier potationes ad abortum accipiat, nec filios, aut conceptos, aut jam natos occidat, quia quæcunque fecerit hoc, ante Christi tribunal, sciat se illic eorum causam quos occiderit esse daturam. Sed nec alias diabolicas potationes mulieres debent accipere. Mulier autem quæcunque fecerit hoc per quod jam non possit concipere quantoscunque parere poterat Nb. tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.* Loquitur de homicidio morali & reductivo quatenus, medijs potationibus, futuram, hominis tollit, ac impedit vitam. Quod iterum damnat Innocent. XI. *proposit. 35.* cujus tenor est talis: *videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Et meritò, nam Facultas Louaniensis ad requisitionem Reu: D. Episcopi Gandaniensis *die 4. Maij anno 1657.* ut falsam, perniciosam, Philosophiæ ac Theologiæ principijs dissentaneam censuravit hanc propositionem, quæ opponitur insuper pluribus Sacræ scripturæ locis; nam Lucæ 1. v. 41. habemus D. Ioannem Bapti-

ſtam ſexto generationis menſe exultaviſſe in ute-
ro matris, *exultavit infans in utero ejus*: in quo
cognovit etiam Redemptionem, uſum rationis ob-
tinuit, & ſanctificatus fuit ut Angelus prædixerat
ibi v. 15. *Spiritu Sancto replebitur adhuc in utero*
matris ſuæ Et Ierem 1. *Antequam exires de vul-*
va ſanctificavi te. de quo D Thomas. 3. *p* q. 27.
artic: 6. c. & pluribus alijs in locis. Et Geneſis
25. v. 22. dicitur de Iacob & Eſau. *Collideban-*
tur in utero ejus parvuli vertit D Hieronymus,
Calcitrabant, alij *conquaſſabant* Syr: *colluctaban-*
tur, non caſu, ſed Dei nutu, in ſignum contentio-
nis futuræ inter populos ab eis derivandos, Idu-
mæos ſcilicet, & Iudæos ait Lyranus noſter. De-
nique *Geneſis* 38 v 27. habetur de Pharez, & Za-
ram, *inſtante autem partu apparuerunt gemini in*
utero, atque in ipſa effuſione infantium, unus, (vi-
delicet Zaram) *protulit manum illo verò retra-*
hente manu egreſſus eſt alter, nimirum Phares,
ergò ex his textibus apertè convincitur, quod in
utero poteſt eſſe fetus non ſolùm inanimatus, ve-
rum animatus, atque adeò dari poteſt abortus, qui
rigoroſè ſit homicidium.

DUBIUM 10. *An ſit licita copula cum uxo-*
re poſt partum? ℞. *cum diſtinctione*: Jllicita
eſt copula cum uxore, poſt partum, ante abla-
ctationem pueri, ſi à pariente lactandus ſit. Se-
cus ſi ab alia nutrice Ita Cardinal: Lauræa-
noſter *diſp*: 39 *de debito conjugali artic*: 3 *ſe-*
ct. 4. num: 90 prima patet, ex cap: fin: diſtinct:
5. eſtque Gregorij primi qui habet, *ad ejus ve-*
rò concubitum vir ejus accedere non debet, quo-
uſque qui gignitur ablactetur. Et Nicol: 1 *ad*
conſulta Bulgar: c 64 ait: *Quot diebus viro,*
poſtquam mulier filium genuerit, ab a ſit abſti-
nendum

tenendum non adinventionibus nostris, sed verbis beatæ memor: Gregorij Romani Pontificis &c. declaratur ad esus verò &c. repetitque jam dictum decretum Gregorij. Quid autem fit, si mulier lactare velit suum filium? probatur, nam si copulatur cum viro & rursum concipit, lac e mammis deficit, & puer ex lactis deficientia periret; & nullam aliam agnoscit Cardinal Lauræa, in hac copula malitiam: Jdeò probat: 1. Ex capt si causa 33. *quæst:* 4. Estque D. Ambrosij dicentis 33. *quæst.* 4. *dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptûs, & partûs juxta legem cessari temporibus his debere demonstrant.* Glossa autem verbo *Conceptus* ait: *ex quo incipit moveri partus,* addit tamen esse concilium, quia non respicit damnum pueri, ut nos respicimus.

Probatur 2. pars. Si puer ab alia sit lactandus, copula cum puerpera ex se mala non est, neque alteri nociva: ergò. Et ideò Gregorius & Nicolaus, ubi supra mirantur de prava hac hominum consuetudine in tradendo filios alijs nutricibus, cum excusatione incontinentiæ, sic; *Prava autem in conjugatoribus moribus consuetudo surrexit ut mulieres filios. quos gignunt nutrire contemnant eosque alijs mulieribus nutriendos tradant, quod videlicèt solâ causâ incontinentia videtur inventum, qui dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.* Jgitur præciso pueri periculo, eò quòd ab alia sit lactandus [esto hoc ex hominum astutia sit inventum] copulari cum puerpera ante ablactationem, nullum ex hoc capite est peccatum. Et ideò *Glossa,* ubi suprà dicit hoc esse consilium. Adde quod prohibetur copula cum pu-

erpera, ante ablactionem pueri, in casu autem quòd alteri tradatur lactandus, ita prorsus haberet respectu matris, ac si esset ablactatus: ergò.

Quæres. Quando est mortale copulari cum puerpera, quæ lactare debeat filium. R. Cum Cardinal: Lauræa, qui censet esse judicandum à damno, seu periculo damni, quod potest fætus incurrere: si enim periclitetur vitâ vel salute aut fortitudine, ut si debilis, mancus &c. ex subtractione lactis sit futurus non excusat à mortali. Si verò hæc incommoda ex peritorum consilio probabiliter sequutura non sint, quia alijs alimentis posset nutriri, sed cum aliqua difficultate, aut incommodo pueri, & hoc fiat ob periculũ incontinentiæ, vel caret omni peccato, vel ad summum conjungitur cum veniali.

Quid si puer detur alteri lactandus, an tempore purgationum sit illicita copula? R. affirmativè. Ita Cardinal: Lauræa *l. c. num:* 96. ita ut prohibitum copulari cum puerpera, seu debitum petere vel reddere toto tempore purgationum, etsi adsit spes concipiendi, sub mortali, si vero non sit talis spes, saltem sub veniali, nisi incontinentia excuset. *pars prima patet,* Ex D. Gregorio & habetur *in dist: 5. cap, fin:* totidem ferè verbis. *Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine, alijs nutriendos tradunt, nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri.* Ergò à Pastore Ecclesiæ supremo est prohibitum: 2. *pars etiam patet.* sicut de menstruata supra dictum est, nam si fætus eo tempore concipiatur, leprosus evaderet quod est contra charitatem; possent autem conjuges

juges, paulùm differe copulam, donec completa esset purgatio. 3. *pars etiam patet*, Si spes non adest concipiendi, & incontinentia non excusat, non videntur à copula, saltem veniali immunes, quia Ecclesiasticum præceptum violant, & pro eo tempore semen, frustra emittentes perdunt: alioquin frustra fierent Ecclesiastica præcepta in materia morum, nisi obligarent, saltem sub veniali. Neque aliquid suffragatur dicere, ut in multis legimus, ejusmodi præcepta cessasse. Vndè Cardinal. Lauræa fatetur, se non vidisse hanc cessationem, sed audivit pænitentes de his copulis importunis se in confessionibus accusare. Quod si aliqui id omittunt ex eò forte capite id faciunt, quia excusationem habent incontinentiæ; vel quia de venialibus nolunt se accusare, cùm non teneantur, sed alijs medijs ea delere curant. Intemperantia verò non mediocris, apparet in copulationibus, cum puerperis, & menstruatis, necnon gravidis &c. & sic culpa aliqua, saltem venialis vitari non potest.

Quares. Puerperæ quanto tempore à coitu abstinendum? Ratio dubitandi est, nam in lege antiqua erat præscriptum nempè ut mulier si peperisset masculum abstineret quadraginta diebus ab ingressu Ecclesiæ, si feminam octoginta, ut narratur *Levit: 12*, quo etiam tempore pariter videbatur usus conjugij interdictus, quia durabat adhuc corporis immunditia donec eo transacto purificaretur. Sed R. non teneri conjuges observare tempus purificationis lege antiqua præscriptum, cum hoc præceptum pertineat ad ceremonialia, consequenter *jam extinctum* est. Et sicut eo tempore non tenetur

mulier abstinere ab Ecclesiæ ingressu ut dicitur *Cap: un: de purific: post partum*, ita nec à conjugij usu. Atque ita fatentur Riccard: *in 4. dist: 32. artic. 4. quæst: 1.* Nicol: de Orbellio noster: *quæst: un: §. 6.* Abulensis *cap. 5. Matth: : qu 144.* D. Antonin: *3. p. tit: 1 cap: 20. §. 4.* & plures alij. Undè Paulus Zacharias Romanus, *in quæst: medico legalibus lib. VII. tit. 3. quæst: 3.* ut potè Protomedicus Generalis ait. Non intuitu hujusmodi præcepti nunc abstinendum est à coitu, sed ob decentiam, & ob timorem imminentis periculi. Ergò per totum tempus abstinendum quo periculum imminet: imminet autem ad summum per triginta dies in partu feminæ, in masculi per viginti: non enim ad quadraginta aut sexaginta; unquam prorogari puerperij purgationem comperimus, quin pluribus ante vigesimum cessat, & vix feminis enixis ad triginta aliquid expurgatur notatu dignum: in particularibus autem id observandum, ut abstineamus, quousque mulieres à puerperij reliquijs mundæ appareant.

DUBIUM 11. *An Vir exigere possit debitum ab uxore quæ semper mortuos parit?* R. Stante evidenti periculo mulieris, vir omninò teneatur ab exactione abstinere, & mulierem ipsam teneri stante eodem periculo non reddere: nam & maritus & uxor videntur aut in se ipsos aut in alium graviter peccare exponendo se occidendi periculo tam evidenti. Moderanda tamen hæc sunt his non obstantibus quo ad virum, quia vir debitum potest exigere & Venere uti, absque eo quod mulier semen emittat, & sic non emittente muliere, conceptio non sequitur, &

cessat

cessat abortûs omne & vitæ periculum, quod absque dubio adaugetur, si femina concurrat in emissione seminis cum viro, undè ex hoc magis erit prohibita exactio mulieri, quàm viro. Jta Paulus, Zachias, Romanus *l. c. num:* 10. Ita & Canonistæ prout Antonin. à Spiritu sancto Carmel. *tract. 11. disp. X, sect: 10. num: 65.* qui ait: excusabitur tamen conjux à redditione si filios pariat mortuos, nam sic pariendo exponitur magno mortis periculo, potest tamen licitè si velit tali periculo exponi & petere debitum, quando non petendo exponitur periculo incontinentiæ, eligit enim minus malum ad evitandum majus malum. Ita cum Vasquez: Led: & alijs Dicastillus.

DUBIUM 12. *An mulier quæ in partu, cum tamen apta copula sit: rationabili periculo mortis exponitur, teneatur reddere debitum?* R. *affirmativè* Jta Canonistæ, præcipuè Bonacina de matrimonio, *qu:* 4. *num:* 7. sed hoc difficultate non caret, cum quia mulier concipere non possit absque proprij seminis concursu, & debitum reddi possit absque proprij seminis effusione, certum est ex debiti redditione, absque eo quod mulier semen emittat nullum illi imminere periculum, at cessante periculo mulier tenebitur reddere, maximè si in ejus potestate sit abstinere à seminis effusione, & ab omni motione ipsius, quia quandocunque semen jam ad motionem properaret non est omninò clarum, an possit illud mulier retinere. Jllud ergò est, determinandum, an concurrente prædicto conceptionis periculo, & mortis in ipso partu, mulier possit proprij seminis emissionem impedire, aut concursum saltem proprij cum

 semina

semine viri, ad hoc ut conceptio non succedat, nam non solùm ut succedat conceptio, requiritur utrumque semen, sed etiam ut simul effundantur, aut unum non multò post aliud. Jtaque videndum, an femina licitè vel sollicitet vel remoretur proprij seminis effusionem, nè sequatur conceptio, & maximè si jam excitata fuerit ad expulsionem, an possit sese cohibere, & omninò semper retinere: aut an possit aliquo alio actu positivo conari, ut conceptio impediatur, veluti multùm se exagitando ac corpus retractando in coitu, vel naturalem modum concumbendi mutando, vel se retrahendo viro seminante, ita ut semen licet extra non effundatur, ad uteri tamen interna non perveniat; aut aliquid aliud simile agendo: sed quidquid sit de hac difficultate, quæ potius à medicis trutinanda & solvenda est, quàm canonistis Cum Sanchez *lib: 7. de matrim: imped. disp: 92. num. 18.* ergò tenenda est sententia. Ratio est, quia matrimonium est contractus essentialiter consistens in mutua obligatione ad copulam perfectam suaptè natura aptam ad prolis generationem, nec refert si accidentaliter, nequeat sequi proles, ut in sterilibus constat, At hic reperitur obligatio, & traditio potestatis corporum ad copulam perfectam. Erit ergò matrimonium. Firmatur ratio, quia esto matrimonium, absque culpa iniri non posset, minimè indè colligitur, id fore irritum. Quia satis est, copulam suaptè natura licitam esse : quamvis ex aliquo accidenti reddatur illicita, ut contingit in ijs, qui voto castitatis obstricti sunt.

Tum quia, illa periculosi partus circumstantia

non

non est perpetua, senectutis enim tempore, quã-do jam mulier sterilis erit cessabit. At impotentia quæ non est perpetua sed temporalis minimè dirimit matrimonium ut diximus supra. Tùm quia impotentia pariendi absque vitæ periculo tanquam quid posterius ipsa matrimonij essentia, illud vitiare nequit. Ideò ajunt Canonistæ, quemcunque defectum patiatur mulier dummodò debitum possit reddere non dirimi matrimonium: his tamen non obstantibus.

Dices 1. Mulier impotens ad reddendum debitum, absque vitæ periculo est incapax matrimonij. Et ideo *cap: Fraternitatis de frig: & malefic*: decernitur mulierem arctam, quæ sine vitæ periculo aptari nequit congressui viri esse ineptam matrimonio: atque eam impotentiam censeri perpetuam. At femina non potens parere absque periculo vitæ, nequit absque eo vitæ periculo reddere debitum & cognosci à viro, reddens enim exponitur periculo conceptionis & partûs: ℞. id periculum esse temporale ut supra dictum est. Adde esse remotum, non enim sequitur ex ipso actu conjugali, in cuius obligatione essentia matrimonij consistit: nec id periculum subeundum est, ut actus conjugalis possibilis sit, in quo casu decidit textus *capt Fraternitatis* esse impotentiam perpetuam dirimentem matrimonium, sed sequitur id periculum ex partu, qui incertus est ac posterior matrimonij essentiâ.

Dices 2. Actus coniugalis fit propter prolem, si mulier sit proli habendæ inepta absque vitæ periculo erit matrimonij incapax: perindè acsi copulæ aptari non posset absque vitæ discrimine. ℞. Neg: consequ: Quamvis enim

fit matrimonium propter prolem, at de essentia eius non est obligatio ad prolem, sed ad actum coniugalem, undè quamdiù hic possibilis est, nullo vitæ periculo præmisso, ut coniuges apti reddantur ad illum, valet matrimonium.

Dices 3. Non potest uti actu coniugali, sive petendo, sive reddendo ob vitæ periculum. Ergò ad id obligari nequit in quo essentia matrimonii ex responsione consistit. R. esto illicitus esset tunc actus coniugalis, non indè sequitur matrimonium forè irritum. Quia ut matrimonium valeat, satis est actum coniugalem ex se esse licitum, quamvis ex aliquo accidenti illicitus reddatur. Adde temporaliter fore illicitum, nempè tempore juventutis, inquo subest concipiendi spes.

Quæres. Quando femina nequit parere absque periculo vitæ gravi, an tunc petere & reddere debitum liceat. Aliqui Doctores, ut Petrus de Ledesma & Manuel. id negant dicentes esse mortale reddere, ex ea ratione, quòd dominium propriæ vitæ non habeat, ut illi integrum sit tanto eam periculo exponere. At probabilius tenet Sanchez *lib. 6. de matrim: impedit: disp: 102. num:* 11. utrumque licere. Magnum enim esset detrimentum, si semper coniugata illa deberet se à coitu abstinere, cum non immodico propriæ continentiæ & alterius coniugis discrimine. Quare ut id detrimentum vitet, potest iure optimo vitam periculo exponere: eò vel maxime, quòd nec id periculum ex partu certum sit: nec futura etiam conceptio. Tùm quia, cum morbus est diuturnus potest conjux proprio periculo cedere; ad vitandum maximum incontinentiæ periculum

culum, quod ex usus coniugalis perpetua privatione utrique conjugi imminet. Tùm tandem, quando mulier certa est de viri impotentia; eò quod triennium cohabitationis iure præscriptum ad experiendum transierit; nec illam probare potest, vir enim negat; nec potest constare per inspectionem, quod ipsa virgo non sit & vir integra membra habeat, neuter potest petere, nec reddere. Quod constet id matrimonium esse irritum. Ita docent D. Thomas *in 4. dist. 34. in fin: in expos: litt Vers. sed si & ibi.* Albert: Magnus *à 7 ad Vltim:* ubi dicunt eam feminam debere sibi consulere iacendo seorsum, nè viro impotenti periculum incontinentiæ immineat.

DUBIUM 13. Quando femina experientiâ didicit se nequire prolem vivam edere, (cuidam enim feminæ nuptæ, os laterale vulgo *cadena* ita confractum est, ut fœtum mortuum semper pareret, nec spes erat fore, ut posset vivum) Et videtur tunc nec petere, nec reddere licere debitum, quod concipiendi periculo exponatur, idque sit in detrimentum vitæ corporalis, & spiritualis prolis. R. *affirmativè.* cum consultis viris peritissimis licere his conjugatis petere & reddere. Ratio est; Quod præter intentionem & per accidens mors illa fœtus accidat, conjugibus suo jure utentibus: nec tenentur id prolis damnum vitare, cum tanto detrimento, ac est conjugatos perpetuò ab usu conjugij abstinere cum maximo incontinentiæ utriusque periculo. Tùm quia melius est puero sic esse cum originali culpa, & carentia visionis Dei, quàm omninò non esse, ut notat D. Thom: *1. 2. quæst: 83. a. 1. ad 5.* & colligitur

gitur ex D. August: *lib: 5. contra Julian: cap:* 8. Et ratio est, quia originalis culpa est peccatum habituale: at eligibilius est, existere in rerum natura cum peccato habituali, quàm omninò non existere: etenim licet, si homini detur optio, potiùs debeat eligere mortem, & annihilationem, quam peccatum actuale etiam levissimum. Si tamen jam commissum sit, & revelaret Deus se nolle id remittere, quamdiu homo existeret, adhuc melius faceret eligendo existentiam, quàm annihilationem. Quia supposita Dei voluntate, ille homo nec teneretur nec posset evitare id peccatum habituale: atque ita modo nil Deo exosum facit, id autem quod semel fecit, non tenetur jam delere, siquidem non potest: at ob id quod jam non est in ejus potestate non deberet se privare maximo bono naturali, quod est esse. At femina hæc non teneretur reddere, quia non modicum ex morte fætus, in utero ad difficultatem partus, sibi periculum imminet. In quo eventu diximus supra eam non teneri reddere, id enim detrimentum ab ea obligatione ipsam eximit; quamvis possit jure suo cedens reddere & petere, ac vir teneatur illi petenti reddere. Cum non habeat justam denegandi causam. Quamvis probabile sit non teneri putat Sanchez *l. c: num: 11.* & nos supra cum eodem.

DUBIUM *14. Sanus conjux an teneatur reddere infirmo exigenti cum Venus futura est maximè noxia?* ℟. *Cum distinctione.* Undè advertendum cum Paulo Zachia Romano, dispariem esse periculi rationem in viro & in uxore. Nàm viro reddere debitum graviter ægrotanti, est idem ac illum jugulare, at feminæ

etiam

etiam graviter ægrotanti reddere debitum si à marito exigitur, licet nocuum esse possit, non ejusdem periculi erit; Ratio esse potest, quia vir quadruplo magis, quam femina in coitu dissolvitur, tum ob majorem laborem, tum etiam ob copiosiorem utilis materiæ effusionem. Secundò advertendum mulierem minimâ aut etiam nullâ virium jacturâ, posse debitum reddere satis enim est absq; eo quòd semen emittat, ut se à viro iniri patiatur. Quod si etiam exigendo debitum semen effundere cupiat non potest hoc esse absque evidenti periculo, nisi morbus ex iijs esset, quibus Venus aliquomodo succurrere potest.

DUBIUM 15. *Sani conjuges an teneantur invicem reddee debitum, si ex coitu ambo notabilem morbum soleant incurrere?* Ratio dubitandi, nam sunt ex viris maximè qui Veneris laborem nullo pacto sustinere possunt, quin aut citò dissolvantur, aut stomachi cordis, ventrisve affectus, aut dolores contrahant, aut vertigine tententur, aut alio quodam notabili symptomate afficiantur. Quin etiam quædam mulieres ex coitu uterinos dolores lipothimiam, syncopen, aliosq; effectus incurrere sunt paratæ, quemadmodum Scorto cuidam, cui Angela nomen erat evenire consveviſſe narravit Joseph. Ghislerius Romæ inter primarios urbis medicos multa ac merita, cum laude medicinam exercens: quotiescunque enim mulier hæc cum viro congrediebatur, maximè si benè mentulatus existeret, in syncopen levem incidebat, si verò & ipsa semen emitteret, in graviorem syncopen lapsa longiusculo temporis spatio ad se

redi-

redibat; nonnullisque in posterū diebus decumbere, ex lassitudine, & ex uentris dolore cogebantur; & alios huic similes casus narrant alij in quibus considerandum peculiariter, an si petant, sit illis debitum reddendum, cùm enim hæc vitia sunt ut plurimùm connaturalia certè si infirmus prohibeatur exigere, & sanus reddere, matrimonium omni bono sine frustrabitur . Alia autem ex parte coitus his adeo nocuus esse potest aliquando ut subitam mortem subeant, & obeant, aut in longos & difficiles morbos, aut in perpetuam valetudinem labantur: nisi ergò noxa sit levior, fortè non tam prompte Canonistæ & summistæ concedent in hoc casu vel exigere, vel reddere, probabilius est tenendum.

DUBIUM 16. *An vir teneatur reddere debitum uxori imperforatæ, idest quæ uteri clausuram patitur incurabilem?* sunt enim mulieres nonnullæ, quibus membrana in medio uteri collo obtenditur, aliquando tam dura, ut nullâ irruentis viri violentiâ disrumpi possit : has Arte. tas imperforatas ac velatas uocant. ℞. *affirmative* cum Paulo Zachia *lib. c. n. 11. pag. 605* qui ad partem affirmativam inclinat, maximè si concipere possint, ut nonnullæ possunt; nullo enim sine videtur destitui hoc Sacramentum, ita ut irritari possit, dùm ultra cæteros, etiam hunc qui præcipuus est, habere potest nempè sobolis procreationem quia ut Hippocrates & alij medici asserunt, hujusmodi mulieres possunt concipere. Imò etiam si hoc sine destitueretur, tamen non deberet vir excusari, quin redderet, quia neque ipse vir, neque mulier impediuntur, quin semen emittant, undè uterque eorum potest habere, remedium concupiscentiæ, & usu matrimonij mutu-

mutuam dilectionem fovere Ergò etiamsi ex hoc capite mulier sterilis esset, tamen non esset illi denegandum debitum, quia & sterilium matrimonium valet, & sterilibus etiam ex alia magis irreparabili causa debitum est reddendum: quia etiam abstractâ à conjugio omni spe habendæ prolis tamen conjugium non est irritum ita Sanchez: de Matrim *lib* 7. *disp*. 92. *n* 16. Si ergò inter hos matrimonium valet, rectè matrimonio uti poterunt. *Neque dicas*, idcirco in hoc casu non esse reddendum debitum, quia necesse est virum extra vas femineum semen effundere, & hoc fieri non posse absque peccato, quia id non videtur habere locum in hoc casu, cùm non possit dici virum extra uas semen effundere, si intra uteri collum effundat; quemadmodum neque ille extra uas effundere dici deberet, qui vel per negligentiam, vel aliqua alia ex causa ad intima uteri concumbendo non perveniret, sed in media semita semen emitteret: totum enim uteri collum vas illud dici debet: in quod semen proijciendum est, sufficitque ad hoc, ut vir dicatur intra uas effundere, ut intra uteri labia emittat; satis namque est, ut in locum emittat, unde uterus sua attractrice facultate illud ad se allicere possit, ut inde conceptio sequatur.

DUBIUM 17. *Vir Gonorrhæa laborans, an possit debitum exigere?* ℞. *cum distinctione*, Gonorrhæam esse duplicem, aliam veram, aliam falsam: vera Gonorrhæa seminis effluxus indesinens est, absque voluntate factus: falsa, vel pseudogonorrhæa est morbificæ materiæ per genitales partes perpetuus effluxus, cujus sunt duæ species, nam alia quidem virulenta & maligna est, contagio communicabilis, alia non virulenta nec

conta-

contagio communicabilis: vera Gonorrhæa hominem emaciat, illumque ad tabem non longò tempore perducit, & idcirco cum non sine summo vitæ periculo in hoc affectu infirmi concubitu utantur, facilè summistæ & canonistæ decernent, neque exigere, neque reddere debitum conjuges invicem posse absque mortalis culpæ reatu. Pseudogonorrhæa virulenta præterquam quod generationem impedit, affert interdum molesta symptomata, & morbos etiam non nullos accersit, maximè autem ob ulcus in meatu vrinario carunculas excitans, difficultatem, & quandoque etiam urinæ suppressionem conciliat. Est autem hæc ita contagio communicabilis, ut ex ejus contagio interdum non simplex Gonorrhæa, sed mille Gallica symptomata, atque illa quidem gravia, homines contrahant, & in summa aliquando ex ejus tantùm vitio sævissimi Gallici morbi concipiant semina. Undè videndum an debeat hoc periculum retrahere hominem ab exactione, & excusare à debiti redditione. Pseudogonorrhæa non virulenta præter turpitudinem, & molestiam continui effluxus materiæ morbificæ, nullum insigne afferre consuevit incommodum, nisi quod interdùm ipsa quoque in viris carunculas excitat, nunquam tamen par incommodum affert cum virulenta, præterquam quod contagio caret. Sanchez lib: 9 disp: 21 n. 9. determinat nullam esse culpam exigere debitum à conjuge Gonorrhæa affecto, rationem hanc dans. Tum quia perpetua, aut nimis diuturna est passio, durissimumque esset conjuges ad tam diuturnam abstinentiam adstringere, tum etiam quia semen illud est generationi ineptum, atque ita nullum damnum infertur proli; ad hanc partem citat D. Thom: in 4. dist. 31. q.

q. 7. q. un. a. 2. quast: 2. ad primum Vbi Sotus *q. vn: a. 2. uer. Et pariter ad illud* Palac: *dist: 2. fol 710.* De qua autem Gonorrhæa intelligat Sanchez cum suis sequacibus: in vera enim hoc non potest habere locum ut patet: in virulenta autem non ita facilè dictu est; quid sentiendum: in posteriori locum habere poterit illius opinio ut ego existimo cum medicis,

DUBIUM 18. *An sanus conjux teneatur reddere debitum infirmo, peste vel rabie laboranti, vel tabe infecto?* R. circa pestem absolutè dicendum videtur *negativè*, quòd non teneatur sanus reddere debitum, quia periculum certum est & evidens: & de peste jurisconsulti. Ripa *de pest: part: 2. particell: 1. n. 202.* quanquam peste affectum conjugem, aut rabie detentum, nunquam eo dementiæ (nisi verè dementiat) medici pervenire existiment, ut debitum à sano reposcat. Circa tabem dicendo, opus esse distinctione: nam si sanus conjux tenerioris sit ætatis, & habet etiam promptitudinem ad concipiendum talem morbum, ut si esset habitûs gracilis, pectoris angusti, colli tenuis & longi, humeros habens alarum modo extensos, & alias haberet tabis dispositiones, non teneretur reddere debitum, quia facili negotio, & absque dubio inficeretur si verò talia non apparerent & jam grandior natu esset nempè si supra 35. annum ætatem ageret (usque ad hunc enim tertium tabidos fieri à 18. incipiendo voluit Hipp: 5. *Aphor: 9. & ibi Galen:*) tunc teneretur: quanquam æger conjux concupiscentiæ pænas lueret, cùm coitus tabidis maximè sit noxius.

DUBIUM 19. *An sanus conjux teneatur reddere debitum, infirmo gallica lue laboranti?* Quid

de morbo gallico dicendum fit, de eo enim majus dubium esse posset; nam etiamsi levis esset, quia tamen quilibet vel minimus fomes sufficit ad concipiendum magnum morbum, & potest ex levi contagio sanus conjux maximè affici, idcirco videretur, quòd, quotiescunque de morbo Gallico certitudo habetur, non teneatur sanus conjux reddere debitum ægrotanti. Dicendum tamèn eâ ratione non obstante, quod ubi levis morbus est, sanus teneatur ad redditionem debiti; contrà verò ubi imminet notabile infectionis periculum, Barbosa *in Coll: DD. lib. 4. tit: 8. cap. 2. n. 7. tit:* 2. Circa id sciendum, quod infectio ex morbo gallico, aut non pertransit pudendas pertes, & eis proximas, aut penitiora penetrat, & ad hepar pervenit, inficiens illud contagio, quod cùm sit officina sangvinis, inficitur tota sangvinis massa, & sic morbus universo corpori communicatur, In priori ergò casu apparent ulcuscula in pudendis, aut virulenta Gonnorrhæa, & alia symptomata his non dissimilia, in posteriori apparent bubones, primum dolores in universo corpore, ulcera maligna, depilatio, raucedo & alia. His sic se habentibus dicendum, urgente morbo quocunque semper imminere periculum infectionis, & idcircò nunquam vigente morbo, teneri sanum ad redditionem debiti; morbo remisso, si fuerit levis, omninò teneri: si fuerit gravis distinguendum, nam aut omninò morbi reliquiæ omnes sunt extirpatæ, aut adhuc remanent, si sint extirpatæ, teneri, si aliquæ remaneant, non teneri, cum per has infici possit sanus. Ratio verò harum distinctionum prædictarum est, quia quandocunque morbus fuerit levis, & jam cessaverit: aut si fuerit quidem gravis & integrè re-

miserit, nullis remanentibus reliquijs: potest sanus conjux, levi negotio, etiam si timeret infectionem, cavere sibi corporis & genitalium præcipuè partium emundatione & lotione, immediatè post coitum; at non ita tuto id fieret, vigente morbo, aut ipsius reliquijs permanentibus, cùm gravis fuerit.

DUBIUM 20. *Si unus conjugum commercium habeat, cum extranea persona gallico morbo infecta, an alter teneatur ad redditionem debiti ob infectionis timorem?* Ratio dubitandi est; quia notissimum habemus, & testantur auctores de morbo gallico, evenire, ut aliquis cum persona infecta coitum exerceat, neque tamen inficiatur: & hoc non obstante cum alia persona non infecta hic idem congrediens, eam inficiat: (confirmat hoc ex Fernelio *Platerus. lib: 3. de febr: c. 2.*) quod non ita frequens est, & tam morbi hujus peculiare, ut in alijs etiam morbis contagiosis non eveniat: nam in peste idem fieri probat Septal: *lib: 2. de pest: cap: 11.* Hoc fit, quia tunc hi habent rationem fomitis, suscipiunt enim in cute extremâ seminaria morbi, absque eo quod ad interiora penetrent: sic ipsi sani permanentes cum alijs congredientes, eos inficiunt. R. ergò in hoc casu, quod si alter conjugum cum persona maximè infecta commercium habeat, timendum esset iteri conjugi de notabili periculo, & infectione a ujus respectu credo, quòd per canonistas, liceret ei debitum denegare.

DUBIUM 21. *An possit quis negare debitum propter fætorem oris sui conjugis, hac enim magna incommoditas est?* R. *cum* Tamburino *lib: 7. cap. 3 de adulterio 23. negativè,* idest non posse. *Primò,* si fætor non est magnus, *Secundò,* si aliqui-

bus remedijs, puta odore apud se, vel conjugem assumpto, vel iterata ablutione vinci illa maleolentia possit. *Tertiò* Si aliquo tempore malus odor, cessante fortasse infirmitate, deferveat. Posset autem, si fætor est notabiliter gravis, nec ullo modo, vel tempore vinci queat, imò tunc etiam separationem tori fieri posse docet Bava: *in singul. casu.* de quo casu in terminis à nullo Doctore fuisse disputatum ibid. affirmat. Ratio allatæ doctrinæ esse potest, quia in prioribus tribus casibus difficultas non esse tanta supponitur, quæ possit vincere obligationem debiti, quam contrahunt conjuges in contractu matrimonij. At in ultimo casu cùm supponatur magna difficultas, non præsumuntur conjuges usum matrimonij cum tanta difficultate (quæ moralis impossibilitas vocatur à Theologis) promisisse. Firmatur ratio, quia docet Sanchez *lib: 9. de matrim: d. 24. n. 21 circa finem* non teneri sanum conjugem reddere debitum conjugi, qui incidit in lepram, etiam secluso periculo contagij, quando accessus est satis difficilis, ac moraliter impossibilis ex nausea talis morbi, affertque Cardinalem dicentem, non compelli conjugem, ad debitum reddendum, quando ob lepram nimius horror insurgit. Sed eadem nausea militat in casu de quo loquimur. Ergò.

Quid si conjux maleolens patiatur morale periculum incontinentiæ? R. nec tunc in ultimo casu prædicto obligari conjugem alterum ad reddendum debitum. Ratio est; quia lex charitatis non obligat cum tanto incommodo proprio, saltem quando necessitas spiritualis proximi, non est extrema, nec gravis, quemadmodum non est hæc, cùm conjux maliolens suis stimulis impuris, possit alijs remedijs occurrere.

Quid

Quid si fœtor fuit cognitus ante initum matrimonium &c. in tali casu tenetur reddere debitum, volenti non fit injuria; quando lepra præcessit matrimonium, & à sano cognita fuit; tunc ex Sanchez, *lib. cit.* à sano debet reddi debitum, quia ejusmodi periculo longi morbi consensum legitimè præbuit, & commune est omnibus pactionibus, ut si detegatur vitium rei ita obliget contractus, sicut si vitium abesset; idem igitur erit, in præsenti casu de oris fœtore, si illius conscius fuisti sive fœtor, sive horror ex lepra ut physicè te inhabilem reddat ad copulam: ut *ibidem* notavit Sanchez.

DUBIUM 22. *An quando quis redditur ineptus ad reddendum conjugale debitum, mediantibus abstinentijs, vigilijs, & pœnitentijs, peccet? Resp. distinguendo*, vel enim talis conjux se debilitat mediantibus abstinentijs, sive alijs honestis exercitijs spiritualibus moderatis, ut servet Ecclesiæ iejunia & præcepta, dùmmodo non totaliter se impotentem reddat ad debitum conjugale moderatè suæ conjugi reddendum, non peccat, eo quia sic non efficitur totaliter impotens, sed minus potens: non enim tenetur conjux cum sua spirituali jactura à spiritualibus & necessarijs exercitijs abstinere, ut robustiorem & potentiorem se reddat & conservet: si verò iejunia, & pœnitentiæ sint indiscreta, quibus mediantibus conjux fiat notabiliter impotens ad reddendùm debitum: si advertat, tenetur illa moderare, sive aliquantum desistere à tali excessu, per quem conjux cogitur negare debitum alteri conjugi ex justitia & obligatione debita. Ita Sanchez *lib. 9 de matrim. disp. 3. n. 4. & 5.* Bonac: *d. 9. qu. 4. de matrim. 1. p. n. 3.* cum alijs plurimis ab ipsis citatis.

DUBIUM 23. *An conjux teneatur uti calidis cibis, alijsque medijs, quibus potentiorem se reddat ad reddendum debitum conjugale?* R. *negativè*, communitèr loquendo, ad hoc non teneri, non enim tenetur maritus uti cibis calidis, ut potentior ad copulam exercendam efficiatur sed suæ obligationi satisfaciet, si se impotentem minimè reddat: quia matrimonij lex tantummodo conjugem adstringit, ut moderatè attentis suis viribus actum conjugalem exerceat, & ne huic obligationi ponat impedimentum nimijs vigilijs, abstinentijsque indiscretis, & incompossibilibus cum actu conjugali moderato. Verùm est tamen, quod aliquando lege charitatis ad hoc posset obligari, quando tamen non sine notabili detrimento suæ salutis, hoc commodè efficere posset: maximè quando uxor illius aliàs ad grave periculum incontinentiæ exponeretur, nisi frequentius sibi conjugali copula subveniatur.

Ita Palud *in* 4. *dist*: 32. *q* 1. *art*: 2. *n*. 8. Sanchez *d. lib*: 9. *D*. 3. *num*: 6. & plures alij.

DUBIUM 24. *An conjux excusetur aliquando à iejunijs Ecclesiasticis quando alter non posset reddere debitum moderatum alteri conjugi?* R. quando conjux propter iejunia notabiliter redderetur impotens ad moderatè reddendum debitum conjugale alteri conjugi, tunc excusabitur à præcepto iejunij Ecclesiastici: cujus ratio est, quia concurrentibus duabus legibus incompatibilibus, altera humana iejunij, altera divina naturali ad justitiamque pertinens reddendi debitum, hoc tanquàm fortius prævalere debet: si verò tantisper debilitaretur conjux non excusabitur à præcepto iejunij: nam quemadmodum non tenetur conjux uti calidis cibis, ut potentior sit ad copulam,

stam, ita nec poterit ob eandem rationem & caussam iejunia Ecclesiæ prætermittere, ut potentior sit ad copulam; quando verò redderetur inhabilis ad longum tempus tunc non teneretur iejunare. Ita Sanchez *d. lib: 9. de matrim: D. 3. n. 10.* Cajetan: *in sum. V. jejunium* Navar. *cap. 21. n. 16.*

DUBIUM 25. *An quando alter conjux sit nimis importunus in petendo debitum sit culpa negare? &c. quod quando alter* conjux nimis esset importunus in petendo debito, & excederet limites moderatos, & rationabiles, non semper teneretur alter conjux reddere secundùm voluntatem & appetitum immoderatum, alterius conjugis. In omnibus enim rebus modus, & temperantia est exercenda, & maximè in actu conjugali; nam vir sæpè sæpius, reddendo debitum fit in dies impotentior. Sperma enim frequentius emissum deficcat humores, facitque homines citius canescere teste Philosopho *lib: de longit: & brevit: vitæ c. fin.* quamvis in feminis minus periculosum sit. Ita Soto *in 4. D. 32. quæst. unica, artic: post 2. conclus.* Sanchez *lib: 9. d. 3. 2. n. 2.* quapropter post prandium nuper desumptum sæpè excusari potest conjux à reddendo debitum, eò quod ut plurimum, qui cibo nuper desumpto exercet coitum cruditatem patietur, aut ciborum corruptionem, nisi talis validus admodum fuerit & robustus, etsi multoties id efficeret manifeste læderetur prout dicit Palud: *d. 4. D. 32. quæst: 1. artic: 2. n. 8.* referens se à medico quodam didicisse: virum quendam in phtisim incidisse, qui solitus erat post prandium cognoscere uxorem. Ita Vega *de arte medendi lib: 1. cap. 4.* Sanchez *d. lib: 9. D. 24. n. 4.* Bonac. *d. q. 4. de matrim: p. 1. n. 6.*

DUBIUM 26. *Quid in casu facere debeat femina, quando non posit declarare viro suo nullitatem matrimonij contracti, sine sua infamia, aut periculo vitæ?* R. in hoc casu communiter quatuor remedia à Doctoribus solent assignari, quorum *Primum est*, ut separet se ad tempus à tali conjuge, aliqua occasione inventa, usquequo impetretur dispensatio, aut fingendo se esse infirmam, quia talis dispensatio in tali casu obtineri posset ab Episcopo. *Secundùm* remedium est, quando adsit aliqua causa petendi divortium, petatur & sic separentur, vel propter sævitiam alterius conjugis, vel propter adulterium, si commissum fuerit à suo viro contra fidem matrimonij. *Tertium*, ut abstineat se à copula habitando simul, tanquam fratres & sorores ex mutuo consensu: & *Quartum est*, ut petatur dispensatio medijs omnibus adhibitis, vel à Pontifice, quando impedimentum est dispensabile saltem in foro conscientiæ. Ita dicunt Henriquez *in sum: lib: 11. de matrim: cap. 11. n. 3.* Sanchez. *tom: 3. de matrim: lib. 9. D. 39. n. 13.* Bonac: *quæst: 4. de matrim: p. 4. n. 18. cum alijs.*

Verum tamen est, quod in casu supra dicto, propter periculum & maximè quòd non adsit facilis accessus ad summum Pontificem pro dispensatione obtinenda, vel propter inopiam, vel aliam justam causam impedientem, poterit in casu Episcopus loci in dictis impedimentis dispensare, saltem in foro conscientiæ, usquequò habeatur alia dispensatio pro foro externo, sive pro interno per viam sacræ pænitentiariæ prout benè aduertit Petrus Ochagavia, *d. tract: de sacram: tract: 2. de matrim: quæst: 11. conclu: 3. n. 5.* & sequitur Diana *d. lib. 4. tract. 4. resol: 48. in fin.* cum alijs supra cit.

DUBI-

DUBIUM 27. *An uxor in absentia per tot annos mariti, vel ratione morbi mortiferi lecto longo spatio temporis affixi, possit consentiente marito torum matrimonialem violare, & cum altero coire?* ℟. negativè. Nam inter gentiles Vlysses, & inter Christianos. S. Ludovicus similia non ausi sunt facere. Cùm enim Circe multa primo promitteret, si cum Nympha Calypso coire vellet, noluit tamen Vlyssès ullo modo consentire, ut fidem erga uxorem Penelopem, non frangeret, ob reciprocam fidelitatem, Ipsa namque ut singulare pudicitiæ exemplar, absente totis viginti annis, marito, nullis aut parentum precibus aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem, quam viro discedenti dederat, secundis nuptijs violaret. Sanctus autem Ludovicus cum à medicis regina absente monitus esset, ut si sanitatem recuperare vellet, cum ancilla quadam pulcherrima, quam præparârant coiret, in hæc verba respondit: *Malle se mori, quàm fidem suæ conjorali violare, &* tale *scandalum & exemplum subditis exhibere.*

Dices Scienti & consentienti nulla fit injuria de regul: juris in 6. R. *primò* Quia in primis maritus suo consensu nequit facere, ut suus torus comparatione tertij non sit alienus, ergo nequit facere ut tertij accessus, ad propriam conjugem, ex suo consensu non sit adulterium. *Secundò*, quia illud axioma intelligitur de rebus illis, quarum homo voluntate sua ac libero arbitrio est dominus, non sic in alijs: sed stante Apostolica doctrina *1. ad Corinth: 7. v. 4. Mulier sui corporis non habet &c.* ubi D. Thom:

Thom: *ut scilicet possit proprio arbitrio vel continere se, vel alteri se tradere* (prosequitur textus sacer) *sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ergò illa obligatio matrimonialis servandi fidem mutuam, utpotè connaturalis matrimonio neuter conjugum poterit ullo modo voluntate suâ & suo consensu à se adijcere. *Tertiò & ultimò* quia adversatur juri matrimonij cui alter conjugum nequit cedere, cum illi non competat respectivè ad bonum sui ipsius privatum, sed ratione status communis; ergò quantùm vis vir consentiat, ut alteri uxor propria carnaliter copuletur semper erit adulterium & injuria. Et meritò præsentem propositionem ut falsam & erroneam; cujus tenor est talis: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum anno 165*[illegible]. proscripsit instante Archiepiscopo Mechliensi Academia Lovaniensis, & nunc iterum Innocentius XI. ut summam nocentissimam in ordine. L. damnavit, quia ex Apostolica cùm Angelica doctrina illud solummodò in adulterio exigitur, si vivente viro, mulier alteri mixta dicatur, sic enim ad *Rom*: 7. v. 3. concludit Apostolus: *Igitur vivente viro, vocabitur adultera si fuerit cum alio viro.* Et Angelicus Præceptor 2. 2. q. 154. Adulterium sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum torum: Ergò etiam ex hac Angelica doctrina in adulterio (id est quasi ad alterum, quia scilicet ad alterius torum accendit) sola tori alienitas desideratur.

§. VI.

§. VI.

Quò ad impedimentum criminis, id est machinationis in mortem alterius conjugis?

DUBIUM 1. *An, & quid sit hoc impedimentum dictum crimen?* R. [a] cum Scoto, D. Thoma, D. Bonaventura, Cardinal: Lauræa dari in Ecclesia quoddam imdedimentum quod dicitur *Crimen*, prob: *Ex causa 31. quæst: 1. cap. Nullus. & cap: relatum* prohibetur, nè quis possit copulari, cum aliqua, quam polluit prius, vel postea adulterio. Jdem statuit Alexander III. & habetur in cap: 1. de eo *qui duxit*, & in cap: 3. ubi additur ut in sequentibus, quod hoc intelligitur, quando post vel ante adulterium tale, machinatio facta est in verum conjugem, vel fides data. Jdem statuit Jnnocent III. in cap. *Veniens* & Gregorius IX. *in cap: fin*: ibidem hoc autem delictum cum machinatione mortis, vel cum fide data de ducendo adulteram to ta Ecclesia vocat crimen. Et hæc materia ad nostrum propositum quam assumpsimus tractandam in principio nobis se nunc offert, siquidem tale crimen machinationis se insinuat & inclinat ad periculum, vel ad articulum mortis. Nàm non *quodvis* crime n, est impedimentum matrimonij & quidem dirimens matrimonium, sed solùm illud [ut rectè Tamburinus] quod est contra fidem matrimonij, & ex quo timeri possit conjugis, sive viri, sive feminæ occisio, Et hoc delictum rectè per antonomasiam à sacris Canonibus

nibus & DD. vocatur *crimen* quod impedit matrimonium ac dirimit si contrahatur.

DUBIUM 2. *Quotuplex sit hoc crimen?* R. esse quadruplex. *Primùm*; Conspiratio seu machinatio cum occisione conjugis sine adulterio. *Secundum*; Adulterium cùm occisione sine mutua conspiratione *Tertium*; adulterium cum promissione matrimonij. *Quartum*; adulterium conjunctum cum matrimonio attentato. Jta Tamburinus *lib*: 8. *de matrim*: *tract* 1. *de impedit*: R. 2. ex Scoto *in* 4: *sentent*: *dist*. 35. A ubi ait *Tria sunt crimina, quæ conjuncta vel separata videntur facere difficultatem circa matrimonium contrahendum, sunt autem illa crimina, contractus cum persona conjugata, scilicet adulterium, fidei datio ipsi adulteræ vel contractus defacto cum ea vel promissio cum juramento; addens tria hæc ultima ad propositum pro eodem reputantur.* Hæc Scotus. Et ita communius aliqui post D. Thomam impedimenta criminis dirimentia matrimonium, tria enumerant, aliqui duo tantùm, & quando utræque concurrunt simul, quasi tertium constituunt. Primum est homicidium; secundum est adulterium, & hoc iterum debet esse triplici vitio gravatum, & causatum; nempe cum homicidio; vel secundò cum fide data, de contrahendo cum adultera, post mortem conjugis matrimonio. Tertiò vel cum contractu matrimonij de præsenti cum adultera.

DUBIUM 3. *An adulterium cum machinatione mortis conjugis sit impedimentum dirimens matrimonium?* R: *affirmative* Jta Scotus [...] D Thom: D. Bonav: v, g. si conjux committat cum aliquo adulterium & machinetur in legitimi

gitimi viri mortem, hoc mortuo, non potest cum complice adulterij contrahere, & si contrahat, non est validum: & adducit Scotus causam, cur Ecclesia illud statuit, inquiens, *est re- præsto adulterij & homicidij quæ frequenter ac-ciderent, si tales personæ possent legitimè contra- here.* Hæc Scotus. Et ita adulterium cum machinatione mortis legitimi viri, seu uxoris in adulterante est impedimentum criminis dirimens respectu complicis. Pb ex concil: Lateranensi *in appendi tit: de sponsalibus cap 16. & tit: de sponsalibus secundo cap. 2. & ex Nicolao 1. Epist. 18. & alijs*, & habens in Epitome canonum Cardinal. Lauræa tit: *Matrimonio prohibita ra- tione criminis.* Quibus in locis firmatur hæc sententia.

Dices. David legum zelantissimus post adulterium Betsabeæ, & simul junctum homicidium Uriæ mariti illius, duxit eandem in uxorem. Ergo frustra prohibuit Ecclesia, & tamen valide duxit. ℞ Neg: consequentiam. Ratio est, quia pro eo tempore non aderat hoc impedimentum dirimens criminis inter criminosos. Cum sit inductum ab Ecclesia in lege Evangelica non autem à Deo. Tùm quia ex facto illo tantùm sequitur impedimentum hoc non esse juris naturalis, sed Ecclesiastici sanctissimè conditi ad impedimenta uxori & viricidia, nihil enim atrocius, in conjugio reperiri potest, quàm parari insidias aut machinari mortem consortis, cùm arctissimo & summo vinculo inter se devinciri debeant; undè etiam infideles, qui tempore infidelitatis crimen adulterij vel homicidij commisissent, possunt post modum ad fidem conversi invicem validè contrahere, cum

tunc

tunc Ecclesiæ subjecti non fuerint, si tamen unus complex esset fidelis, & alter infidelis, fidelis hoc impedimentum contraheret, cùm ipse sit Ecclesiæ subjectus, non autem infidelis.

Instabis. Fidelis non contrahit cognationem legalem, quando patrinum agit, cum infideli, aut illo baptizante, quia infidelis non contrahit illam, ergò si infidelis non subjacet crimini homicidij, nec subjacebit fidelis à paritate rationis. ℞. Neg: consequ: ratio disparitatis est, quia cognatio habet veram rationem relationis, ut ipsum denotat vocabulum cognationis, & relatio non ponitur in esse, nisi sit fundamentum, & terminus correlativus; crimen verò homicidij non sic se habet, sed subsistere potest, licet non sit in altero complice, videlicet in infideli.

DUBIUM 4. *Vt adulterium cum machinatione in mortem sit impedimentum dirimens, an debeat eße cum effectu mortis secuta?* ℞. affirmativè Pb: ex Glossa *in cap. 1. de converſ. infidel:* verbo *procuraverunt* dicente, ut hoc matrimonium impediatur duo exiguntur, scilicet effectus cum opere subsecuto. Ergò effectus est necessarius, ut insurgat hoc impedimentum. Tùm quia si mors conjugis ex actibus attentatis non sequatur re ipsâ, dictum impedimentum non incurritur à machinatoribus, ut colligitur ex cap: *si quis 31. qu: 1.* Undè rectè infers cum Bonacina, Sanchez & alijs, eum qui dedit mandatum occidendi, sed postea revocavit mandatum, cujus revocatio innotuit mandatario ante mortem conjugis non esse reum impedimenti, sicut nec est reus ille, qui dedit consilium, quod nihil influxit, si quidem in tali casu homicidium

um non imputatur mandanti aut consulenti.

Dices 1. Glossa dicto cap: *super hoc verbo machinata* refert quosdam dixisse sufficere solùm conatum & sufficere conatũ verè influentem per modum consilij mandati &c. licet ipsemet actu & proprijs manibus homicidiũ non perpetret, si enim illa consilia vel auxilia nullius fuerint effectûs & cooperationis ad mortem nihil operantur, v. g si interficiens jam omninò erat determinatus ad interficiendam compartem, nec per consilium fuit animosior factus; vel consilium aut mandatum suum jam revocavit, ut nullum prorsùs effectum habuerit, ita ut excuset à restitutione, & ab irregularitate mandantem & consulentem.

Dices 2. Machinatio in mortem non semper importat occisionem, sed solùm præparationem, insidias, & dispositionem, seu applicationem eorum, quæ inducunt mortem. Ergò non est de necessitate ut sit cum effectu secuto. R. Neg: consequ: Esto enim machinatio secundum se non importet semper dispositionem mediorum ad mortem cum effectu; tamen ut inducat impedimentum criminis, debet esse sic conjuncta. Omnes enim casus, in quibus Papæ rescribunt pro hoc dubio, supponunt mortem viri, postquàm asserebatur celebratum matrimonium, ideò dicunt nisi machinata fuerit in viri mortem, idest secutam. Et proindè hoc modo omnes DD intelligunt machinationem.

Dices 3. Per machinationem non stat quin sequatur mors, ergò, nam machinans consumavit delictum quantum est in se, & effectus ex aliquo accidente non fuit secutus: ergò. R. Nego consequ: Nâm hoc dependet à legislatore qui

re, qui cum hac circumſtantia illegitimavit machinantem: ideò huic decreto ſtandum eſt.

DUBIUM 5. *Vt hoc impedimentum inſurgat in adultero reſpectu complicis, an ſufficiat ſi adulter ratam habeat mortem legitimi conjugis per alium procuratam, abſque eo quòd eam præceperit, vel in ea conſenſerit.* ℞. *negativè* Ita Scotus *in diſtin: 33. F.* quam probat ſic. *Edictum de matrimonio contrahendo, eſt prohibitorium, & quandocunque non prohibetur, admittitur* ex cap: *Cum apud de ſponſal: &c.* Sed inter conjugem ratam habentem tantùm machinationem mortis legitimi viri, & machinantem non intercedit prohibitio matrimonij contrahendi. Ergò ſola ratihabitio mortis viri poſt ſcientiam, quod fuerit illata ab adulterio; non ſufficit ad ſtatuendum impedimentum criminis dirimens, niſi eam præcipiat, & in eam conſentiat. Tùm quia licet ratihabitio retrahatur, & mandato comparetur etiam in delictis, & etiam quo ad excommunicationis ſententiam inducendam ex cap: *Cum quis de ſent: Excommunic: in 6.* nihilominus, cùm ex ſola juris fictione retrotrahatur, & mandato comparetur, non habet locum niſi in ſubjecta antecedenter aliqua ratione conſenſerit, cùm ſit res pœnalis, & matrimonium caſſans extendi minimè debet, ſed valdè reſtringi, cum igitur ratihabitio non ſit machinatio, nec homicidium his comparari debet.

DUBIUM 6. *Vt inſurgat hoc impedimentum criminis, an ſufficiat ſi alteruter ex complicibus adulterij machinetur in mortem primi conjugis?* ℞. *affirmativè.* Pb. Ex *cap: ſignificaſti* de eo qui duxit, ubi explicitè id habetur ſic. *Niſi alterutro*

teruter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus quod confirmat Glossa in casu dicens, *responsio Papa est, nisi alter eorum vivente uxore in mortem fuerit machinatus*; sive ergò ipsa adultera sive complex, sciente adultera id fuerit machinatus; adest inter eos impedimentum criminis, ut ex cap: *Laudabilem de Convers: infidelium habetur.* Et ratio est convincens; quia Ecclesia cum hac prohibitione dirimente voluit impedire homicidia; at effectu careret hæc prohibitio, nisi se extenderet ad machinationem procedentem ex complice: ergò: Ex his.

Collige 1. Ut machinatio alterutrius ex complicibus adulterij sit impedimentum dirimens, non est necessarium, ut inter eos intercedat juramentum, vel fides Ita Cardinal: de Lauræa *l. c. artic' 2. num: 25.* Patet ex cap: *super hoc eo qui duxit* Ubi Alexander III. proposito sibi casu ejusmodi de machinante adultera, ait: *Si adultera est in mortem uxoris machinata, sive fidem dederit sive non, quod eo defuncto hanc esses ducturus secundum Canones ab ejus consortio prohibetur, & hac prohibitio perpetuò est servanda.* Tum quia Canones, pro hoc impedimento requirunt, vel quòd conjux machinata sit, cum effectu in mortem, vel quòd fidem dederit, ergo in primo non requiritur secundum.

Collige 2. Etiamsi machinatio procedat ab infideli cum consensu fidelis; adhuc tamen hoc crimen est impedimentum dirimens respectu fidelis cum infideli, etiamsi hic ad fidem post machinationem convertatur; patet ex supra cit: cap: *Laudabilem de convers: infidel: si in mor-*

tem ipsorum, idest virorum Christianorum *malitiosè fuerint machinata. licet eorum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhaerere debent, nec sunt, si adhaeserint etiam tollerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesiae compensare non valet.*

Si dicas. Ecclesia non potest hoc impedimentum statuere pro infidelibus, qui ejus jurisdictioni non subduntur. R. Cum Cardin. Laur: facillimè, ut dixit de disparitate cultûs, esse positum contra fideles, isti enim illegitimantur, nec possunt cum talibus contrahere. Esto ergò infidelis de tempore machinationis non esset capax impedimenti, & veniens ad fidem, quò ad hoc posset legitimè contrahere; tamen fidelis qui consensit in ejus machinationem habet impedimentum ubique & semper.

DUBIUM 7. *An adulterium solùm sit impedimentum dirimens respectu complicis.* Quaesitum esse de impedimento dirimente; tamen videndum etiam est, an saltem sit impedimentum prohibens. Sensum dubij esse clarum, scilicet si quis conjux cum aliqua persona libera adulteriū comittat; an mortua conjuge possit contrahere cum ea persona libera an non, sed invalidè faciat, si facit. R. Ergò *negativè* solùm adulterium absque aliquo actu positivo machinationis, vel fidei datae de ducendo complicem post conjugis mortem, non est impedimentum dirimens Ita Scotus, Cardinal: Laur: [b] *Patet 1.* Ex cap: *Significasti de eo, qui duxit.* Ubi Innocenti III. proposito sibi hoc casu de Spoletano quodam conjugato, adulterium committente & post mortem uxoris cum hac contrahente

ita

ita respondet. *Nos inquisitioni tua taliter respondemus, nisi alter eorum in mortem uxoris defuncta, fuerit machinatus, vel ea vivente, sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supradictum:* Ergò solùm adulterium non sufficit *Patet 2*, ex cap' *si quis vivente causa 31. quæst. 1.* allato in præcedenti articulo ubi statuitur quòd si solùm adulterium, & non machinatio, neque propinquitas vel alia criminalis actio, matrimonium non separetur, si verò probetur aliquod horum conjungi cum adulterio, sive spe conjugij detinendos esse ejusmodi. *Patet 3.* Ex Glossa in cap. *si quis vivente*, & in cap: *significasti* nuper citatis, idem prorsùs confirmante.

DUBIUM 8. *An adulterium sine machinatione mortis, vel fide seu sacramento seu juramento de contrahendo cum complice, sit prohibens tantum?* ℞. *affirmativè*, & si fiat, validum est, sed cum mortali. *Patet 1. pars.* Ex cap: *Illud verò Causa 31. quæst. 1. sic* habente. *Illud verò communi decreto secundùm Canonum instituta definimus, & præjudicamus, ut si quis cum uxore alterius eo vivente, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, nè ulterius ei conjungatur matrimonio, quàm prius polluit adulterio.* Ergò. *Patet 2.* Ex cap: *Si quis vivente* ibid: ubi habetur: *ut si talis adulterata mortuo viro, complici conjungatur, omnimodè publica pænitentia subijciatur: & post præfatam pænitentiam servetur regula. Patet 3.* Ex cap: *Si quis fuerit:* ibid estque Concilium Eliberit: *cap: 72. dicente Si qua fuerit vidua mæchata, & postea eundem habuerit maritum, post quinquennij tempus, actâ legitimâ pænitentiâ, placuit,*

enit, eā ad communionem reconciliari: Glossa autem tollit scrupulum de vidua dicens, quod mæchia refertur ad tempus antecedens. ideft si mulier mæchata est, & postea facta vidua mæchum accipit.

Patet 4. Ex cap: *Hi verò 33. quæst:* 7: ubi adulteræ prohibetur post viri mortem cum nullo contrahere sic. *Si autem adultera mortua fuerit, vir ejus si vult, nubat tantùm in Domino adultera verò nunquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus, omnibus tamen diebus vita sua acerrima pænitentia lamenta persolvat.* Ergò.

Patet etiam 2. Pars, nàm operans contra præceptum Ecclesiæ gravè, peccat mortaliter, Sic facit, qui stante hac prohibitione contrahit cum complice, post conjugis mortem: Ergò. Nor: patet, nàm est adeò grave delictum, ut pro eo incurratur excommunicatio per quinquennium ex dictis, hæc autem censura, non incurritur sine mortali peccato, *ex Concilio Melden: cap: 56.* & Concil: Lateranen: *4. cap: 47.* Tùm quia pro hac transgressione statuta est pænitentia publica *ex cit: cap:* & tamen, hæc raro, & pro gravi delicto imponenda.

Dices 1. Ex cap: Relatum *Causa 31. quæst: 1.* ubi Concilium talis adulteræ cum complice, esto sine machinatione in mortem dicitur prohibitum, & anathematizatum. Ergò R. dist: anteced: Adulteræ simplicis neg: adulteræ jurantis de contrahendo cum complice post mortem viri, concedo. Sic enim habet. *Relatum est, auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius uxorem stupro violaße, & insuper mœcha, vivente viro suo, juramentum dedisse, ut post legitimi mariti mortem, si supervixißet, duceret uxorem*

uxorem, quod & factum est. Tale ergò connubium prohibemus, & anathematizamus.

Dices 2. Ex cap: *Illud verò caus: 31. qu: 1.* sic habente. *Si quis cum uxore alterius eo vivente, fornicatus fuerit, moriente marito, synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, nè ulterius conjungatur matrimonio, quàm prius polluit adulterio:* ℞. Neg: consequ: Nam textus ait: *Aditus ei claudatur illicitus, non verò irritus, aut invalidus,* adde quod sic prosequitur. *Nolumus enim, nec Christianæ religioni convenit, ut ullus ducat in conjugium, quam priùs polluit per adulterium.* Ubi nullum fit verbum de irritatione, & ita ab omnibus DD. juxta dicta *in cap? significasti de eo qui duxit* intelligitur de illicito, scilicet non de invalido.

Dices. Glossa *in summa causa* 31. dicit; duo esse crimina quæ dirimunt, adulterium, & occisio conjugis. Ergò solùm adulteriũ sufficit. ℞ Neg: consequ: Nam in verbo *uxorem ib:* 2. ubi de hoc loquitur summariè loquitur de alijs impedimẽtis criminis merè prohibentib⁹, sic enim dicit, *Licet enormitas delicti impediat matrimoniũ contrahendum, non impedit tamen nisi in hũ casibus, scilicet; quod quis commisit incestum. Causa 31. quæst: 7.* cap: *Si quis viduam,* & cum quis interfecit uxorem. *Causa 33. quæst: 2. C. Admonemus* & *in alijs casibus notatis causa 27. quæst: 1.* cap. *Hi qui, de alijs non reperitur expreßum, quod impediant, nisi de solenniter pœnitente de quocunque crimine. Causa 33: quæ 2. C. De his quod non admitto.* Ergò non loquitur de nostro casu.

Dices 3. *Ex cap: 1. Causa 31. qu:* 1. ubi S. Leo ait: *Nullus ducat in matrimonium quam*

prius polluit adulterio. Et *Glossa loc: supra cit:* sic terminat suum dictum. *Nullum crimen dirimit matrimonium jam contractum nisi in duobus casibus sequentibus:* Casus autem sunt isti de adulterio: Ergò R. Ex dictis, textum illum intelligi de impedimento prohibente. Aliàs enim ei contradicit capitulum sequens, dicens: *Denique mortuo viro, cùm verum connubium fuit, fieri potest conjugium, cum quo precessit adulterium.* Ad probationem Glossæ dico, casus *Glossa* non esse illos expressos *in cap: Nullus & cap: illud,* quia ut patuit, in his agitur de simplici adulterio, in quibus ex d. *cap: Denique* mortuo viro legitimo contrahi potest cum complice adulterij, & hoc docet expressè *Glossa* in cap: *significasti de eo qui duxit* in casu. Sed casus sunt expressi in cap: *Relatum* & cap: *Si quis vivente,* in primo enim sermo est de adulterio cùm fide data de conjugio post mortem primi. Jn secundo verò de adulterio cum occisione primi. Et huic doctrinæ consona est doctrina totius tit: *De eo qui duxit* in hoc enim hi duo tantùm casus adscribuntur impedimento dirimenti criminis.

DUBIUM 9. *An machinatio sola sine adulterio sit impedimentum dirimens?* Dubium vel est de impedimento dirimente, vel tantùm prohibente. Sensus autem dubij est, an mulier seu vir occidens vel per se vel per mandatarium alterum conjugem, ut ducat alium, sive determinatum, sive indeterminatum; sed neque adulteretur cum eo, neque det ei fidem, aut juramentum de accipiendo illum, utrum mortuo ex machinatione viro impediatur, nè validè cum alio contrahat. R. *affirmativè* ita ut machi-

machinatio sola in mortem conjugis cum aliquo occidente, respectu illius etiam absque adulterio, est impedimentum dirimens criminis Ita Scotus, Sanchez, Bellarm: Barbos: & Card: Laur: (c)

Prob: 1. Ex cap: 1. *Laudabilem de convers: infidel:* quod Scotus acutè notavit proposito ibi casu Papæ Cælestino III. de quibusdam Saracenis interficientibus viros Christianorum, & post hoc conversis ad fidem opera earundem, & petito consilio, an Saraceni isti conversi possent cum præfatis mulieribus contrahere, Papa sic respondet. *Hic Triburiensis Concilij regula contenti sumus asserentis, quòd si in mortem ipsorum malitiosè fuerint machinata, licet earum studio ad fidem accesserint, nec tamen eis adhærere debent, nec sunt, si adheserint etiam tolerandi, cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.* Et postea de alio casu ibidem respondet. *Cum tales non procuraverint virorum interitum defunctorum, matrimonium inter hujusmodi personas licitè potest contrahi.* Ubi Scotus notat, quod in hoc casù nulla fit mentio adulterij mulierum cum Saracenis captivis, neque de fide mulierum machinantium in mortem data Saracenis occisoribus, sed de sola machinatione atque cooperatione earum, Ergò sola machinatio sine adulterio facit impedimentum criminis dirimens respectu complicis.

Prob: 2. Finis quem habuit Ecclesia in statuendo hoc impedimentum non fuit vitatio adulterij, sed homicidium. Ergò cum æquè hoc periculum adsit, sive interveniat adulterium; sive non, dummodo hac intentione cooperetur conjux in alterius mortem ut complicem homicidij accipiat æquè machinatio in hoc ca-

 su, est

sū est impedimentum dirimens, sicut si adjungatur adulterio: alioquin non fuisset adæquatè provisum uxoricidijs, & viricidijs.

Dices 1. Canones *in* tit: *de eo qui duxit* cum de impedimento criminis loquuntur, semper copulant machinationem cum adulterio. ergò. Anteced: patet ex cap: *1. super hoc* cap. *significasti nobis*, cap: *Veniens*, & *cap: fin:* in his enim omnibus locis de muliere adulterata est sermo, & resolvitur, quod si hæc non sit machinata in mortem viri; adulterium postea haberet, vel nisi ei adultero fidem dederit, vel de facto cùm eò contraxerit: Ergò. R. Conced: anteced: & Neg: consequentiam. Ratio est, quia in ijs capitibus, semper fuerunt Papæ propositi casus de mulieribus adulteris copulatis cum complicibus post mortem legitimorum. Ideo ad interrogata respondentes Papæ loquuntur de illis. Imo notandum cum nostro Cardini de Lauræa ad rem, quòd dùm Pontifices ad casus propositos respondent, loquuntur relativè ad subjectum propositum dicentes, *nisi alter eorum &c.* vel *dummodò non præstiterit fidem adultera &c.* At nunquam inter conditiones necessarias ad hoc impedimentum apponunt à proposito seu à Concilio hanc, ut machinans debuerit esse adultera. Quod maximè confirmat casus propositus in cit: cap: *Laudabilem*, in quo de mulieribus non adulteris machinantibus sit petitio, & respondet Papa, ejusmodi, esto ad fidem reduxerint Saracenos ex eo, quod machinatrices fuerunt mortis, habere impedimentum dirimens criminis. Ergo ex sacris Can: habetur utrumque.

Dices

Dices 2. Edictum matrimonij cum sit prohibitorium non comprehendit, quæ non prohibet, sed admittit ex cap: *Cum apud de sponsalibus* &c. Sed matrimonium conjugis machinantis, absque adulterio, non comprehenditur in edicto matrimoniorum. ergo: R. Neg: minorem: Licet enim verbis explicitis, non prohibeatur dirimendo, tamen verbis implicitis, & facto explicito secluso adulterio machinatio prohibetur, ut ex cap: *Laudabilem*, est evidens, valdè enim urget locus ille; neque video quomodo possit solvi, maximè si jungatur cum motivo legis, seu edicti talium matrimoniorum.

Dices 3. Totum fundamentum hujus sententiæ *est in cap: Laudabilem*, sed hoc ruit. Nam in eo capite declarat Papa, se velle sequi decretum *Concilij Triburiensis*: hoc autem *Concilium*, loquitur expressè de machinatione mæchæ; & de fide data eiusdem. igitur in his duobus casibus adest impedimentum criminis dirimens, & propterea Pontifices successores *Calestini* tenaciter in his tantùm casibus impedimentum criminis agnoverunt. R. nego minorem, ad probat: dicitur, quòd licet *Concilium Triburiense* de mæcha machinante, vel fidem dante loquatur, Papa non toto sequi voluit decretum, sed in ea parte quæ sibi placuit; non enim narrativa decretorum, sed dispositiva est attendenda. Sicut dum *Concilium Trident: in sess: 24. de reformatione matrimonij cap: 1.* dicit se velle sequi Concili Lateranense sub Innocent: III. Circa impedimentum clandestinitatis, quod ab ipso *Tridentino* tactum est dirimens, & tamen non sequitur illud decretum

in

in toto, sed in parte; nam Concilium Lateranense exigit denuntiationes, quas exigit etiam *Tridentinum*, sed volens postea statuere impedimentum dirimens clandestinitatis, non exigit ad illum denunciationes; si enim præsente parocho & testibus fiat matrimonium sine denunciationibus est validum. *Ita* videtur *Cælestinus* fecisse; sciebat quidem *Concilij Triburiensis* decretum, quod est *in Canone 40.* ubi damnat matrimonium quorundam, qui præcedente adulterio, fidem dederunt, de contrahendo post legitimi mortem; assignans rationem, quia inde oriuntur veneficia, & homicidia; & proindè præfatus Papa ob solum homicidium sequi voluit decretum *Concilij*, quia hic erat finis ejus principalis.

DUBIUM 10. *An machinatio in mortem, sit impedimentum dirimens, etiam sine fide accipiendi alium?* Sensum dubij esse si conjux machinetur in mortem viri v. g. consentiendo, seu cooperando cum aliquo, ut eum postea accipiat, tamen non det de hoc juramentum, neque fidem, an secuto effectu hæc machinatio sit impedimentum criminis dirimens. Difficultas hæc sicut præcedens oritur ex eo, quòd Canones sæpè sæpiùs videntur ad machinationem exigere etiam adulterium, vel fidem datam, de accipiendo alium in conjugem, his tamen non obstantibus. Rᵉ *affirmativè.* Ita Scotus, & Cardinal. Lauræa. *Sola machinatio in mortem conjugis videtur impedire, & dirimere sine fidei datione, & sine adulterio.* Hæc Scotus, quem sequitur Bellarm. Sanchez, Barbosa (d) & plures alij, ab his citati, qui machinationem conjugis solam cooperantem alteri procuranti mortem legitimi conjugis illius, dicunt

dicunt esse impedimentum dirimens. Ratio est; nam machinatio est motivum legis prohibentis, & dirimentis matrimonia machinantium, ne scilicet cum spe futuri validi matrimonij occidantur conjuges: igitur etiam sine fine data, dummodo ad hunc finem sit conjux cooperatus, machinatio cadit sub legis objecto, & motivo. Evidens est consequentia. Alias Ecclesia non providisset sufficienter huic enormi delicto uxoricidij, vel viricidij. Imò ut ex sæpe citato cap: *Laudabilem* in fine colligitur, neque videtur exigi intentio contrahendi cum occisore, ad hoc ut machinatio sit dirimens, quia ait Papa, posse mulieres illas contrahere cum Saracenis, qui viros in bello occiderunt, eo quòd ipsæ mortem eorum non procuraverint, & non addit, *ut eos sibi conjungerent*, sed solùm quia mortem ipsorum non procuraverint, ergò si eam procurassent, absque alio superaddito, mulieres illæ haberent impedimentum dirimens, sicut aliæ in primo casu, quæ eam procuraverant, licet nec adulterium nec fidem aut promissionem futuri conjugij adhibuissent.

Neque obstat ut in præcedenti notavimus quod Canones *Alexandri* III. & *Innocentij* III. nec non *Gregorij* IX. *in cit: tit: De eo qui duxit.* Semper cum adulterio conjungant machinationem, vel fidem datam de contrahendo, aut contractum de facto; quia per ea responsa voluerunt statuere, ut eæ tantum circumstantiæ constituerent impedimentum dirimens; sed quia casus propositi erant de adulteris uxoribus, sic respondere fuit necessarium, ut scilicet, si præfatæ adulteræ non fuerint machinatæ in mortem virorum, vel non dederint adulteris fidem, vel juramentum de contrahen-

trahendo, eorum matrimonia essent valida. Quando verò fuit propositus casus Cælestino de mulieribus absque adulterio machinantibus, ut secuta virorum morte acciperent machinationis complices in conjuges, respondit, non posse, & tollerari non debere, si contraxerint. Et semper urget efficax ratio, quia voluit Ecclesia præcludere viris, ac mulieribus viam ad homicidia, ut alios accipiant. At si requireretur semper adulterium ad hoc malum impediendum, esset melius consultum carnalibus, ac procacibus viris, & mulieribus ut suæ possent satisfacere libidini, per innocentum conjugum homicidium.

Adverte tamen quod in his duobus casibus machinationis sine adulterio, & sine fide data duo sunt necessaria & quod machinans hac intentione machinetur, & quod hoc nedum alteri, quem intendit postea accipere, sit notum, sed & hic in morte legitimi cooperetur; quæ ex *cit. cap. Laudabilem* colligi videntur, altero autem ex his deficiente non subsistit impedimentum dirimens, per solam machinationem. Ita quod, quando adest adulterium, sufficit machinatio unius sine fide data. Quando non adest, requiritur cooperatio alterius, & hæc videtur mens Scoti, quàm bene & perspicuè assecutus est Sanchez, *lib. 7. disp. 78 n. 9*, & alij ante ipsum, quos ibidem citat.

DUBIUM II. *An sine machinatione, sed cum sola fide accipiendi alium; sit impedimentum dirimens?* Sensum esse dubij hunc, si conjux adulterium committit cum aliquo & non machinatur in mortem viri sui, aut in mortem conjugis sui complicis, sed solùm ei jurat, vel dat fidem,

dem, vel promittit, se illum ducturum, an valide possit facere. ℞. *affirmativè*, ita ut adulterium cum sola fide data de accipiendo complicem post mortem primi conjugis est impedimentum dirimens. Ita *Scotus in 4. sent: dist: 35 Pb*: 1. Ex *cap: significasti de eo, qui duxit* sæpe relato, ubi interrogatus Papa de quodam qui viuente uxore, adulterium fecerat cum meretrice, & mortua uxore, duxerat meretricem, an esset separandum tale matrimonium. Respondit, Non posse separari his verbis: *nisi alter eorum in mortem uxoris defuncta fuerit machinatus, vel eâ viuente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supra dictum.*

Prob: 2. Conclusio ex cap: cum haberet in sequenti dubio adducenda ubi Clemens III. in puncto solvit difficultatem de quodam absque machinatione ducente aliam defacto, dicens, quod, nec post mortem primæ legitimæ eam habere possit, licet decem filios ex ea genuerit. Assignans pro ratione, quia si hoc non licet ei, qui fidem dedit adulteræ de contrahendo post mortem primæ, quanto minus ei, qui defacto contraxit. Sed perpetuam continentiam eis statuit injungendam: ergò ex hoc capite habetur, quod adulterium cum sola fide sine machinatione est impedimentum dirimens.

Firmatur ratio Ex *Glossa* ibidem. Docente: nullus potest habere in matrimonium illam, cui fidem dedit, de ea ducenda post mortem uxoris, si eam cognovit uxore viuente: ergò &c. *Prob*: 3. Finis Ecclesiæ in statuendo hoc impedimentum fuit pax familiæ, & conjugum, incolumitas eorum & charitas, ac vitatio malorum, præsertim

homi-

homicidij ; sed nisi adulterium cum fide data es-
set impedimentum dirimens, hæc mala non vi-
tantur. Nam conjux, qui alteri dedit fidem, odi-
ens legitimum, eum spernit, occasiones quærit ri-
xarum cum ipso, & continua domi adsunt bel-
la, proles non bene educatur, imò neque ei ope-
ra datur, cum adulteræ animus fixus maneat in
adultero, cui se despondit. Quæ omnia cessant,
cum scit adultera, se non posse cùm amasio con-
trahere, etiamsi vir doloribus & calamitatibus
affectus tandem moriatur. Ergò fuit necessari-
um ad hæc mala cohibenda statuere, ut adulteri-
um cum fide data de contrahendo esset impedi-
mentum dirimens.

DUBIUM 12. *An sit dirimens impedimen-
tum criminis, contractus conjugati initus defacto
cum alio?* sensum dubij esse clarum v. g. si quis
conjux, viuente primo, de facto, (licet nulliter)
contrahat cum alio, an mortuo primò, habeat
impedimentum dirimens, ne contrahat cum illo.
R. cum distinctione contractus conjugati de fa-
cto cum alio, si fit cum copula adultera, est impe-
dimentum dirimens, etiam post mortem primæ
conjugis; secùs si non adsit copula. Ita Scotus
in 4. dist: 35. est communis. *Prob*: Ex *cap: fin: de
eo qui duxit*. ubi Gregorius IX. ait: *si quis uxore
viuente, fide data promisit, alium se ducturum, vel
cum ipsa defacto contraxit, si nec ante, nec post le-
gitima ejus superstite cognovit, quamvis utrique
ipsorum pro eo, quod graviter in hoc deliquerunt,
sit pænitentia injungenda, non est tamen matrimo-
nium, quod cum ea contraxit post uxoris obitum
dirimendum. Cæterum tollerari non debet, si pri-
us vel postea, dum viueret uxor ipsius, illam adul-
terio polluisset*: ergo. *Firma-*

Firmatur 1. ex *Glossa fin:* in casu docente. Quod sola fides data, vel quod tantùm defacto contraxit cum alia uxore viuente non impedit, quominus post mortem uxoris possit contrahere cum illa, cui fidem dedit, vel cum qua tantùm de facto contraxit, hæc *Glossa*.

Firmatur 2. ex *Glossa fin: ibidem* dicente. Sic patet quod sola fides data, vel tantùm defacto contrahere non impedit matrimonium, uxore defuncta, nisi ad carnalem copulam sit processum.

Firmatur 3. Voluntas vel factum non nocet, nisi fuerit secutus effectus, quia non obfuit conatus, ubi injuria non habuit effectum ex capt ult: de sponsal: ergò cum fides illa nullum habuerit effectum, neque injuriam intulerit, non est impedimentum dirimens. *prob: 2. conclusio.*

Ex cap: *cum haberet, de eo qui duxit,* ubi Clemens III. interrogatus, de quodam, qui viuente uxore contraxerat cum alia, & per multos annos cohabitaverat, & filios ex ea susceperat, an prima mortua, valide istam posset ducere? Respondet Papa, esse separandos, talemque assignat rationem. *Nosti quod Leo Papa statuit, ut nullus ducat in matrimonium, quam adulterio polluit, & quod hic plus processum fuit, quam si fides præstita duntaxat fuisset adultera, ut defuncta legitima, eam duceret in uxorem, cum eadem etiam prima viuente, quasi matrimonialiter mœcha mœchus adhærere præsumpsit. Quod Gregorius Papa, & Triburiensis Synodus detestatur, & utrumque hoc modo conjunctum præcipit publicæ pænitentiæ subijci, ac perpetuò sine ulla spe conjugij permanere. Nec aliquod adminiculum affert, ut simul maneant,*

quod

quod decennio cohabitaverunt, ac decem filios susceperunt, cum multiplicitas prolis, ita susceptis magis eorum crimen exaggeret & diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet. ergo.

Firmatur adhuc ex Glossa hic in casu ubi idem replicat; & versu. *Et quod hic plus ait, videtur, quod casus iste non sit alius ab alijs duobus, de quibus supra.* (idest de dantibus fidem) & sequitur, *satis potest dici, quod hic non est diversus ab illis sed quod plus est hic, quam si fides tantum detur, &c.* & confirmat esse fortiorem rationem de hoc, quàm de alijs. Sicut fortior est ratio de contractu matrimonij, in quo est promissio & datio de præsenti, quàm de contractu sponsalium, in quo est promissio de futuro. Ergo à primo ad ultimum sequitur, quòd sit impedimentum dirimens.

DUBIUM 13. *An sit, de viro machinante in uxorem, vel alteri fidem dante, eadem ratio?* sensum hujus dubij clarum esse, an sicut machinatio uxoris in mortem viri, & fides alteri data de ducendo illum est impedimentum dirimens, ita & in viro machinante in mortem uxoris, vel fidem dante alteri, viuente uxore, de eam ducendo, vel defacto contrahente sit impedimentum dirimens, ne mortua uxore, illam ducat? Resp. affirmativè. Ita ut machinatio in mortem uxoris, cum effectu, vel datio alteri fidei, aut contractus cum ea, si adsit adulterium eodem prorsus modo est impedimentum dirimens, sicut in uxore respectu viri. Est communis paucis exceptis, tenet Scotus, quem sequitur Bellarm: Pallud: & alij innumeri, quos refert & sequitur Sanchez (e) prob. 1.

Et

Ex cap: 1. *De deo qui duxit.* ubi Alexander III. de viro loquitur sic. *Licet autem in Canonibus habeatur, ut nullus copulet matrimonio quàm prius polluerat adulterio, & illam maximè, cui fidem dederat uxore vivente. vel qua machinata est in mortem uxoris, quia tamen præfata mulier erat inscia, quod ille aliam haberet uxorem viventem &c.* Ergo nisi inscitia mulieris excusaret, jam vir ille haberet impedimentum dirimens criminis. *Prob:* 2. Ex cap: *super hoc ibidem*, ubi de viro est quæstio, an posset contrahere cum ea, quam cognovit legitima vivente & Innocent: III. sic respondit. *Si adultera est in mortem uxoris machinata* sive fidem dederit, sive non, quod ea defuncta hanc esset ducturus, secundùm Canones ab ejus consortio prohibetur. ergo.

Prob: 3. Ex cap: *significasti* ibid: ubi Innocentius III. interrogatus in simili de quodam Spoletano, qui vivente, legitima uxore: meretricem cognovit, an mortua uxore, posset cum ea contrahere? Respondit. *Nisi alter eorum in mortem uxoris defuncta fuerit machinatus, vel ea vivente, sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium.* Ergo ab opposito, si vir fuisset machinatus in mortem uxoris, imo si mulier illa tantùm id fecisset; vel si vir ei fidem dederat, matrimonium cum ista, post uxoris mortem, fuisset nullum:

Firmatur ex cap: *veniens ibid*: ubi idem Papa in simili interrogatus de G. laico, qui vivente uxore, aliam insciam de ligamine illius duxerat, an posset hanc, mortuâ primâ, ducere. Respondit Papa, *posse de novo cum ea matrimonia*

monialiter consentire, dummodo non præstiterit fidem adulteræ, vel machinatus fuerit in mortem uxoris. Ergo;

DUBIUM 14. *Vt adulterium cum machinatione, vel fide, causet impedimentum criminis, quæ nam sint necessaria requisita?* Ratio dubitandi est ex Scoto qui *in 4 sentent: dist:* 35. multa requirit in hoc negotio, ut insurgat hoc impedimentum criminis. Quæ distinctè hic referentur & alia adducentur. unde

Collige 1. Jnter cætera requisita necessaria requiritur, ut persona cum qua habetur copula, sciat alteram esse ligatam cum legitima conjuge: patet ex cap: 1. *De eo qui duxit* ubi *Alexander III.* proposito sibi casu de quodam, qui vivente uxore, cum alia rem habuit, & fidem dedit de ea ducenda, & uxore mortua eam duxit, sic respondet quod licet id Canones prohibeant. *quia tamen præfata mulier erat inscia, quod ille habeat aliam uxorem viventem, nec dignum est ut prædictus vir, qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet consultationi tuæ, taliter respondemus, quod nisi mulier divortium petat, ad petitionem viri non sunt aliquatenus separandi.* Ergo.

Collige 2. Si cum tali persona inscia adulter defacto contrahat, nullum est matrimonium, tamen adulter, si innocens petit tenetur de novo consentire, *prima pars patet,* nam mulier consensit in eum, tanquam in potentem contrahere, vir autem ex parte sui non poterat, consensus ergò nullus est. Hæc Scotus & fundatur *in cit: cap:* 1. quia potest separari, si petit, Tum quia tale matrimonium ad petitionem insciæ potest, & debet solvi, fuit ergò nullum. Antec. patet ex *cit: cap:* 1. *de*

2. de eo & Gloſſa ibid. conſequ: eſt evidens, quia validum non poteſt ſolvi

Dices. Si mulier inſcia non petat ſeparationem, poſſunt matrimonialiter cohabitare: ergò fuit validum; aliàs cohabitatio fornicaria eſſet licita. Antec: eſt ejuſdem Canonis dicentis, niſi mulier divortium petat, non ſunt aliquatenus ſeparandi R. ex *Scoto lib: cit.* C. & eſt probatio ſecundæ partis, quod ſi mulier inſcia perſeveret in illa ignorantia, quantum eſt ex parte ſui matrimonialiter poteſt cohabitare, & bona fides ſeu ignorantia invincibilis eam excuſat. Adulter tamen non poteſt matrimonialiter eam tractare, ſed debet impedimentum manifeſtare & de novo conſentire, ut poſſit cohabitare.

Si dicas. Quid ſi mulier ſciens poſtea impedimentum, non petat divortium, an poſſint cohabitare; ſi enim illud petat vir, non eſt ei credendum, quia reportaret commodum de dolo. Igitur ſequitur quod fornicariè cohabitarent. Reſpondet *Scotus ſub: C.* ſi mulier ſciens impedimẽtum conſentiat in matrimonium, vir eſt cogendus, ut conſentiat de novo in pænam peccati ſui, quia ſcienter decepit inſciam, & ſic erit matrimonium novum, ex novo conſenſu mutuo. Et hoc ait *Scotus* juſtum eſt, ut decipiens inſciam ita dando poteſtatem corporis ſui, quam non poteſt dare, cogatur poſtea veraciter implere, quod fecit doloſè. Imò ait *Scotus*, eſto inſcia virtute primi conſenſûs conſentiat in actu conjugali; & vir ſciens, quod iſta vult eſſe ejus uxor, de novo conſentiat, non manifeſtando tamen impedimentum, ne forte generetur odium, adhuc tamen non ſubſiſtit matrimonium, nam cum primus conſenſus non fuerit matrimonialis, nullus actus ſe-

 quens,

quens, potest esse licitus virtute illius primi consensûs; ac proindè, ut sint conjuges, requiritur novus consensus.

Si dicas, Sufficit novus consensus dolosi, ad quid mulier inscia iteràto debet novum consensum elicere? ℞. non sufficere novum consensum dolosi, nisi adsit novus consensus insciæ, post manifestationem impedimenti: alioquin poterit semper uti propriò jure separandi matrimonium, quia virtute primi consensûs nullius redderet debitum, & consensus ille nullus censeretur semper durare. Et hoc patet de contractu cum servo, uxore ignorante, si enim post contractum manumittatur servus, & perseveret uxor ignorans, in reddendo debitum, actus hic non firmat matrimonium, quia fit in virtute primi consensus dolosi.

Petes si adulterium & fidei datio præcedat cum persona, inscia adulteri, tamen contractus ab adultero non fiat vivente prima, sicut est in casu *cap: 8. de eo qui duxit*, sed expectetur mors primæ, deindè contrahatur cum inscia ab eo prius polluta, cui fidem dedit, an verum sit matrimonium, vel saltim confirmetur per copulam. ℞. *Scotus* adducendo priùs quorundam sententiam affirmativam. Ratio evidens est, quia cum impedimento criminis adulter contraxit; ergò nullitèr; & licet inscia ex bona fide seu invincibili ignorantia posset matrimonialiter cum adultero illo decipiente cohabitare; ideòque debet accedere novus, verus, ac validus utriusque consensus, sicut dictum est in præcedenti. Cùm enim mulier possit reclamare, & petere separationem; signum est nullum fuisse matrimonium.

Collige 3. Ad hoc ut machinatio cum adulte-

rio causet impedimentum, non sufficit si fiat à solo complice adulterij sine participatione adulteræ ita Scotus *in 4. dist. 35. F.* patet ex cap. *Laudabilem de conuers: infidel:* ubi dicitur, quod si quis in bello occiderit virum alicujus, & ipsa non procurrauerit mortem ejus, poterit inter eos fieri matrimonium: Tum quia si mulier occidit virum, inscio aliquo, potest cum hoc contrahere. ex *cap: interfectores causa 31. q. 2.* Igitur idem dicendum, si alius occidat virum ejus, absque participatione in mortem alius.

Collige 4. Occisio alicujus veri conjugis, sive fit à conjuge adultera, sive ab alio, conscia conjuge illa ut causet impedimentum dirimens, debet fieri contrahendi simul. Si verò fiat ex alio fine non causa, impedimentum dirimens. Ita D. Bonaventura, D. Thomas, & alij innumeri, quos citat & sequitur Sanchez [f] Patet nam finis Ecclesiæ in statuendo, hoc impedimentum est, ne machinans seu occidens contrahat cum persona in quam deperit: igitur nisi adsit hæc intentio non oritur impedimentum dirimens. Et ita, si ex alio fine occidatur non insurgit. Ex quo

Habes 1. Quod si uxor, vel vir adulter occidat conjugem, ut aliud faciat matrimonium, nullam tamen personam explicitè cogitat, sed indistinctè non insurgit hoc impedimentum. Ita dicendum si quis alterius virum occidat, non intendens ejus uxorem ducere in matrimonium, licet eam polluerit: non impeditur, quin ducat. Secus tamen esset, si omnes illas, quas indistinctè cogitat polluisset.

Habes 2. Quod si conjux machinetur in mortem viri, ut cum adultero possit fornicariè vivere, non verò ut illum ducat, esto multis

annis sic viverent, non insurgit hoc impedimentum, quia Ecclesia illud statuens voluit impedire homicidia cum animo contrahendi. At propterea si ejusmodi fornicarij postea contraherent, validè facerent.

Collige 5. Vt adulterium cum fide data, vel cum contractu defacto causet impedimentum, debent hæc præcedere durante primo matrimonio. Ratio est, nam si alterutrum tantùm præcedant, durante primo matrimonio, nullum adest impedimentum, impositum, à sacris Canonibus; nam omnes Canones relati in præcedenti loquuntur de adulteris fidem dantibus vel contrahentibus constante matrimonio, seu vivente primo conjuge ita habet textus *cap: relatum 31. quæst: 1. C. Macha. viVente Viro suo, juramentum dedisse. ut post mariti legitimi mortem, si superVixisset duceret uxorem.* Tum quia finis legis fuit, ne conjugati homicidia conjugum procurarent, & ne spe novi conjugij cum alia, lites, & odia domestica foverentur. Ad hæc autem impellunt illa duo scilicet adulterium cum machinatione, aut etiam ista sine illo; & adulterium cum fide data: Tum quia si adulterium tantùm præcedat, & mortuo legitimo, sequatur contractus, est validus & licitus. Sic etiam si sequatur fides, vel juramentum de futuro matrimonio cum eo, qui fuit adulter licitè fit. Ita pariter, si datur fides, conjuge vivente & eo mortuo sequatur copula; licet utrumque grave peccatum sit, tamen à nullo Canone statuitur pro impedimento dirimente: igitur ut ista duo sint impedimentum dirimens, debent uniri constante matrimonio.

Collige 6. Vt adulterium cum fide data, vel contractu vel cum machinatione causet hoc impedi-

pedimentum, primum matrimonium debet esse legitimum patet ex *cap. relatum causa 31. quæst. 1* sic habente. *Vt post legitimi mariti mortem, si supervixisset duceret uxorem; quod & factum est.* secundo, ex cap. *si quis vivente, ibid:* ubi *de marito* loquitur textus. Maritus autem nequit dici, nisi qui legitimè est copulatus. Tertiò, quia Canones loqvuntur de adulteris: hi autem sunt, qui constante legitimo matrimonio, se commiscent cum alijs *ex causa 32. quæst. 5.* cap. *Puto Christianum.* Major probatur ex cap. *super hoc.* ex cap: *significasti*, & cap. *veniens*, ubi de uxore legitima viuente est sermo. Edictum autem matrimonij, ut sæpè diximus, est prohibitorium, & quandocunque non prohibetur matrimonium potest fieri ex cap. *Cum apud, de sponsalibus &c.* Secundò, quia pœnalia sunt restringenda. Tertiò, quia Ecclesiæ finis fuit impedire spem conjugij secundi cum adultero, non autem verum conjugium, quod eveniret, si copula cum fide data de faciendo, vel cum machinatione impediret, ac dirimereret, ne invalide copulata, & fornicaria posset verè & legitimè copulari.

Collige 7. Ut adulterium cum fide, vel contractu causet hoc impedimentum; sufficit, si fides, vel contractus externè tantùm compleantur, sive animus sit verus, sive fictus. Ratio est, quia finis Ecclesiæ in hoc impedimento, est prohibere spem futuri conjugij cum adultero. At sufficienter provisum non esset nisi dicatur quamlibet externam fidem, seu contractum esse impedimentum, quia cùm conjux animum adulterantis non videret, habita ejus fide, vel facto contractu, adhuc spem secum aleret futuri matrimonij: ergo.

Tum quia etiamsi teneatur sententia contraria,

non inservire t praxi Ecclesiæ, quæ non judicat de occultis. Posito enim, quòd revera cum fictione præcessisset contractus, vel fides data, & postea, mortuo legitimo, fieret matrimonium, tunc si innocens seu fictionis inscia opponeret de nullitate ob impedimentum criminis, & peteret divortium; fictus non posset excipere de fictione, quia nequiret eam probare: sed compelleretur cohabitare: ergò. Exemplum adduci potest de hæretico externo, qui punitur pœnis à Canonum statutis, quia externa judicat Ecclesia.

DUBIUM 15. *Quo jure impedimentum criminis sit inductum?* sensum esse hujus dubij, an jure naturæ, Divino, vel Ecclesiastico inductum sit hoc impedimentum criminis? ℞. nec jure naturæ, nec Divino, inductum est hoc impedimentum, sed solùm Ecclesiastico. Est Scoti, D. Thomæ, & D. Bonav: *Prob:* 1. nam nec ex principijs, neque ex conclusionibus ab eis deductis habetur, adulterantem occidentem conjugem, vel dantem fidem adultero non posse cum eo contrahere: ergò. Esto enim contra legem naturæ sit machinari homicidium ob quemcunque finem, & violare fidelitatem, tamen secuto homicidio, vel violata fidelitate, non dictat lex naturæ, nullum esse contractum sequentem, seu non posse validè contrahi. *Prob: de lege divina.*

Nec in novo, nec in veteri testamento id habetur. Nedum enim utraque lex dicit invalidum matrimonium in hac suppositione, sed nedum illicitum. Nullus enim assignari potest locus scripturæ, qui de invaliditate, vel malitia hujus matrimonij loquatur. Licet enim conjugibus præcipiatur, ut mutuo se amore foveant 1. *Cor:* 7. & homicidium ac infidelitas ubique prohibea-

hibeatur: nihil tamen dicitur de matrimonijs, cum homicidio, & infidelitate præcedente, celebratis. Tum quia si esset de *jure naturæ*, vel Divino, Ecclesia non posset in eo dispensare: sed potest. ergo. *Prob*: 3.

Ex 2. *Reguli*: *cap*: 11. David adulterio polluit Bersabeam uxorem Uriæ; & ut eâ liberiùs uteretur, sibique sumeret in uxorem, machinatus est mortem Uriæ, remittens eum ad bellum, & præcipiens Ioab duci militum, ut poneret eum ex adverso belli, ubi fortissimum erat prælium, & derelinqueret, ut percussus interiret, sicut verba textûs; quo facto ait textus; *transacto autem luctu Bersabea, misit David & introduxit eam in domum suam, & facta est ei uxor.* Et licet hoc displicuerit Domino, & per Nathan reprehenderit David; nihilominùs matrimonium illud non damnatur tanquam invalidum, & filij ex eo nati non fuerunt illegitimi; imò *Matth*: 1. cum observatione digna notatur quòd Salomon fuit filius David *ex ea quæ fuit Vriæ* & per eum Genealogia regia, & ipsius Christi per Mariam, & Patrem suum putativum nempè Joseph, texitur. Jgitur tale crimen ut inductivum impedimenti non est de lege naturæ, aut Divinæ; quia, si sic Nathan ipse omnium primus, & totus populus restitisset in faciem David, quod contra Dei & naturæ legem, tale matrimonium incurrisset, & Salomonem de illegitimatione notasset; nec ullus Theologorum, aut interpretum sacræ scripturæ illud matrimonium censuit illegitimum. Ergò nec de *jure naturæ*, nec de *jure* Divino crimen est impedimentum irritans. *Prob*: *ergo* 3. *pars Ex citatis Canonibus, in præcedenti numero ex causa* 31. *qu*: 1. *cap*: 1. *estque Leonis* 1. *cap*. *Illud verò estque*

Concilij

Concilij apud Alchaum habiti, estque Cælestini *III.* *ex cap: super hoc de eo qui duxit.* estque Alexandri *III. ex cap: propositum ibid:* estque Innocentij *III.* ex Concilio Laterani *3. in appendice tit: de sponsalib: cap: 16.* & ex Nicolao I. *epist: 28.* in omnibus autem his locis statuitur, ne habentes hoc criminis impedimentum possint contrahere cum persona, quam respicit crimen. & si fecerint sit irritum. Ergò ab Ecclesia impositum est hoc impedimentum.

a Scotus *in 4. dist: 35. A & B. sub G.* D. Thomas *in 4. distin: 35.* D. Bonavent: *dub: ult: liter.*

b Scotus *in 4. dist: 35.* B. Cardinal: Laur: *disp: 33. artic: 4. n. 52. & sequ.*

c Scotus *in 4. dist: 35. B.* Cardinal: de Lauræa *l. cit: arti 4. n. 52. & sequent.* Sanchez *lib: 7. disp: 88. n. 9.* Bellarm: *lib: 1. de matrim: cap: 22.* Barbosa *in cap: 1. de converstone infidel: n. 6.* & alij ab eis citati.

d Scotus *in 4. sentent: dist: 35:* Bellarm: *lib: 1 de matrim: cap: 22.* Sanchez *lib: 7. disp: 88 n. 9.* Barbosa *in cap: 1. de convers: infid: n. 6.*

e Scotus *in 4. sentent: dist: 35. A.* Bellarm: *lib: 1. de matrim: c. 22* Palud *in 4. sentent: dist: 34.* Cajetan *in summa, v. matrim: c. 1. impedim: 5.* Sanchez *lib: 7. disp: 88. n. 8.* Cardinal: Lauræa *lib: c. artic: 8. n. 82. & sequent.*

f D. Bonavent: *in 4. dist: 35. p. 1. quæst: 2. artic: 2.* Sanchez *lib: 7. disp. 88. num. 13.* Cardinal. Lauræa *loc. cit: num. 144.* & sequent.

§.

§. VII.

Quò ad divortium.

Causa sævitiæ, insidiarum vitæ, & morbi.

Supponas nos hic agere de divortio non quò ad vinculum conjugale, sed quò ad torum, & cohabitationem, quamvis enim matrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum sit omninò indissolubile, quo ad vinculum conjugale, sunt tamen aliqui casus in quibus possunt conjuges licitè ab invicem separari remanente tamen semper vinculi conjugalis indissolubilitate, quo sensu communiter à Theologis divortium usurpatur, & à Concilio Tridentino *seß*: 24. Can: 8. dum ait: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quò ad torum & cohabitationem ad certum, incertumque tempus fieri poße decernit, anathema sit.* hoc præ supposito, non recedendo à nostra materia, quam tractandam in hoc opere per totum assumpsimus; occurrit nobis.

DUBIUM 1. *An ob sævitiam conjugis licitum sit alteri facere divortium?* ℞ affirmativè est omnibus communis, & in jure Canonico clara decisio. Ita Cardinal. Lauræa de divort: quò ad torum *disp*: 42. *artic*: 8. *n*. 256. Fr. Mastrius *disp*: 20, *de Matrim*: *quæst*: 6. *artic*: 1. *num*. 134. *Patet ergò* 1. *Ex cap. Literas de restit: spoliat*: ubi proposito casu de muliere quæ temerè

à vi-

à viro recesserat, prætextu parentelæ in 4. gradu, & viro instante pro restitutione. Innocent. III. relatis diversorum Pontificum sententiis, an facienda sit restitutio, antequam fiat causa validitatis, inclinat in partem affirmativam, tamen sic restingit restitutionem, *Si verò tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non posit sufficiens securitas provideri, non solùm non debet illi restitui, sed ab eo potiùs amoveri &c.* ergò sævitia est sufficiens causa & divertendi, & manendi separatum. *patet* 2. *Ex cap. Ex transmissa ibidem* ubi proposito casu de muliere temerè divertente à viro, prætextu consanguinitatis, an esset restituenda viro instanti ante cognitionem causæ. Alexander III. rescribit affirmativè, ida ta tamen cautione à viro, quòd non debeat ei malum inferre; at subdit. *Si autem capitali odio ita mulierem vir prosequitur. quòd meritò de ipso diffidat, alicui probæ, & honestæ mulieri, usque ad causa decisionem custodienda. studiosius committatur in loco, ubi vir, vel parentes ejus mulieri nullam posint violentiam inferre.* Ergò si sævitia est causa impediendi restitutionem uxoris temerè discedentis, est etiam sufficiens ad efficiendum divortium; primò enim discedere, & perseverare in absentia, sunt res ejusdem generis, & eodem modo matrimonio ac tori unitati adversæ.

DUBIUM 2. *An ob insidias vitæ posit fieri divortium?* R. *affirmativè.* si conjux alterius vitæ insidietur, procurando ejus mortem, innocens potest ab eo divertere; quod de utroque conjuge dicendum est. Ita innumeri quos citat, & sequitur Sanchez, Cardinal. de Lauræa *loci. cit. supra.* (a) Ratio est, ex præcedenti Conclus:

ctus: ob sævitiam conjugis licet innocenti divertere. eò, quòd timet aliquod malum, sed mors est omnium malorum maximum, igitur si mortis, vitæ, insidias sibi moliri certò præsentiat nè dùm potest, sed ex suimet charitate, tenetur divertere. Jmò sævitia perfectò non levis, sed tanta, ut grave malum, seu damnum ex illa immineat uxori à viro quod solet esse frequentius, vel viro ab uxore quod solet evenire rarius, dat ex jure. C. *Ex tit: de divertio* causam divertendi pro tempore, quo illud periculum durat. Censetur etiam ad hunc effectum sævitia contra conjugem ea, quæ fit contra ejus conjunctos, vel filios, vel parentes, necessariò in eadem domo manentes, & etiamsi malum, quāvis non timeatur ab ipso conjuge, timetur tamen ab ipsius conjunctis v. g. ab alterius parentibus in eadem domo pariter manentibus, ut notat Aversa *quæst: 23. matrim. sect: 10. Va Rursus.* Ad hoc caput pertinet periculum cujuscunque mali gravis, ut si conjux sit ita furiosus, ebrius, malo contagioso affectus, ut inde grave damnum uxori immineat. Ex dictis deducitur (ait Leander *d. 26. matr: quæst: 26.* justam divortij causam esse) *Quod vir gladium apposuerit ad collum uxoris, animo illam occidendi, vel faciendi, quod alter conjux, alteri per venenum, vel per maleficia, vel alio modo insidias vita paraverit; Quod vir graviter & atrociter uxorem percusserit. sive id fecerit gladio, sive hastâ. in capite, facie, oculo, aut in pectore, aut in manibus; Quod vir uxorem acriter & immoderatè excedendo levem correctionem viro permissam verberaverit.* Hæc ille. cui addo Aversam *loc: cit: V. Non sufficit timor,* qui ex Henriquez & Sanchez docet, hujus generis censeri nimie

molesti-

molestiam cohabitationem convitijs & frequentibus jurgijs ob noxiam. Intelliguntur autem hæc afferre potestatem divertendi pro tempore, quo pericula prædicta non cessent. Quod si nunquam cessare prudenti & morali certitudine judicabuntur, sane tunc perpetuum erit divertium. Addidit in responsione hujus dubij, pro ultima parte Card: de Lauræa, *quod de utroque conjuge dicendum est.* Ratio est; nàm æquè uterque tenetur, se diligere, & à mortis periculo se liberare. Ergò si ob sævitiam viri, & insidias mortis, potest uxor à viro divertere, ex motivis poterit & vir ab uxore, nam citata capitula *literas & ex transmissa de restit: spoliat:* loquantur de uxore, est, quia isti casus tunc contigerunt, & isti regulariter circa eas solent accidere. Tum quia etiam ex causa fornicationis soli viro legitur permissum divortium *Matth:* 19. ubi ad interrogationem Iudæorum, si licet dimittere uxorem quacunque ex causa, Salvator respondet, *non licere nisi ex causa fornicationis*; & tamen in proprio loco supra dictum est, æquè uxori licere sicut viro. Ergò & in hoc casu. Tùm quia vir & uxor non judicantur ad imparia ex *Causa* 32. *qu:* 1. *cap: si quis uxorem qu:* 5. *Praecepit & qu:* 7. *cap: Apostolus*, Ergò in his quæ respiciunt unitatem vel seperationem conjugij, quod conceditur uni, conceditur alteri.

Dices. Christus Math: 19 ob solam causam fornicationis permittit divortium: ergò non potest ob alias fieri: R. cum distinctione: ibi loqui Salvatorem de divortio perpetuo, non verò de temporali, quod cessat, causa cessante; ut dicemus infra. Alioquin non potuissent Romæ

Pontifi-

Pontifices jure Canonico statuere, licitum esse ob hæresim, & ob sævitiam. Imo est hæreticum dicere, quòd non potuerint hoc facere.

DUBIUM 3. *An liceat divortium: quando vir de se timet fore, ut uxorem interficiat, eò quòd urgentißimam causam odij dederit?* R. *negativè* cum Sanchez *lib: X. de divortio disp: 18. num. 9.* Unde non excusabit maritum à cohabitatione cum uxore; quòd de se timeat fore, ut continere nè utiquam se possit, quin eam enecet: eò quòd corruptam invenerit, cum virginem esse existimasset, vel aliquantulum suspicionis de ejus adulterio conceperit: vel ob acerbissimum ipsius uxoris ingenium, vel demum ob quamcunque aliam causam, quæ ad divortium non sufficiens est. Quippe in sua potestate situm est Divina ope implorata ejusmodi tentationi resistere: ad idque tenetur. Poterit tamen ad aliquantulum temporis divertere donec iracundiæ impetus fervens remittat. Nec juvabit virum, si uxor eam cohabitationem non exigat. Quia præsumitur non sponte sed metu adductam, ab exactione abstinere se. Debitor autem non excusatur in foro conscientiæ à mora solvendi, quando probabiliter creditur, præ pudore, aut metu, debitum non postulari à creditore. Minus etiam eximet à culpa, sic virum divertentem, quòd velit aliò mutare domicilium gratiâ dedecoris vitandi; ex convictu uxoris sic corruptæ, aut de adulterio suspectæ: ut uxor teneatur ipsum sequi. Quoniam si uxor verisimiliter timeat sibi periculum aliò migrans cum viro, non tenetur ipsum comitari; quin potiùs vir ipse tenetur, in loco uxori tuto ipsi convivere; nec causatio illa dede-

coris

coris ex prædicto convictu consurgentis, aliquid confert. Quippe coram Deo id non dedecori sed decori tribuitur. Sicut dedecus duellum sibi oblatum recusantis, non liberat à culpa il-lud acceptantem. Ita docent Navar: Vega & alij apud Sanchez *l. c.*

DUBIUM 4. *An quando uxor vitæ viri insi-dias parat, quo ipsum perimat liceat viro diver-tere?* R. *affirmativè.* Ita multi apud Sanchez *l. c. num: 8.* poterit enim ratione hujus sævitiæ divertere maritus, cujus vitæ uxor tendit insi-dias, eo vel maximè quando aliter nequit com-pescere uxorem, sibique adversùs insidias illius consulere. Ratio est, quia jus naturale unicu-ique concedit facultatem vitandi mortis peri-culum, nec contractus matrimonij obligat ad cohabitationem cum tanto vitæ discrimine: eò vel maximè quòd id discrimen, ex culpa uxo-ris proficiscatur; Quæ ratio æquè militat in u-troque conjuge, cum alter vitæ alterius insidi-atur, nec aliter coerceri potest nisi divorti facto.

Dices: Textus *Literas in fin: c. Ex transmiß de restit: spol: cap: 1. ut lite non contestat?* q divortij ratione sævitiæ meminerunt, loquunt expressè de uxore virum timente. Et quamv maritus & uxor sint correlativa, & proindè deatur dispositum in uxore, censeri quoqu dispositum in marito. *l. un: C. de indicta duit.* At id locum non habet, quando utri que correlativi non est eadem ratio: esse aut diversam rationem in hoc casu manifestè co stat. Quia uxor nequit coercere, virum, ipsu que punire, at potest vir ipsam uxorem. Id *probat ex C. Quidquid 32. qu. 5.* quod est Ni

lai

lai Pontificis ibi: *Quidquid mulier contra te cogitaverit, vel si te accusaverit non est (exceptâ causâ fornicationis] reiicienda.* Ita docet Tanner: quem refert & sequitur Glossa *c. 2. verb. vel alio de divort:* &c. *Host: ad fin:* Anton: ibi § *Illud autem fin:* R. retorquendo argumentum vir & uxor sunt correlativa, ergò dispositum in textibus præcedentibus allegatis in uxore, cujus vitæ maritus insidiatur, censendum est disponi in viro easdem uxoris insidias patienti. Adde eos textus loqui de uxore, eò quod frequentior sit viri in uxorem sævitia & raro accidat (ut supra annotavimus] talis sævitia uxoris in virum: verba autem posita in lege gratiâ frequentioris usus non limitant legem. Nec obstat c. *Quidquid* pro contrariâ sententia. Non enim venit intelligendum, quando sævitia uxoris tanta est, ut absque periculo vitæ non possit vir cum illa habitare. Dicendumque est, exceptionem illam fornicationis non excludere casus alios jure exceptos [ut explicans testimonium Christi *Matth: 5. & 19.* excipientis solam fornicationem) Tùm quia aliæ expositiones ejus testimonij traditæ serviunt intelligentiæ *d. cap: Quidquid*; quod idemmet dicit. Atque idem asserunt alij dicentes indistinctè justam esse divertendi causam, si alter conjux alterum veneno aut alio modo interficere tentet. Jta Covar: Ludov: Lopez.

DUBIUM 5. *An uxor venefica, & liberorum interfectrix possit esse causa divortij marito?* R. *affirmativè* ita, ut integrum esset viro recedere ab uxore venefica, liberorum interfectrice, aut viri facultates deprædante. Jta docent Sotus Angles Scotista in flor: Ludovic: Lo-

pes, 1. *pars patet*, quia cedit in grave matrimonij detrimentum. Item quia præ nimio liberorum affectu magis terrentur in illis parentes, quàm in se ipsis: atque ideò talis metus in virum constantem cadit. Quando autem est uxor venefica, licet crimen illud veneficij non sit ex se causa divortij, at meritò timere potest vir sibi, nè veneficio aliquo lædatur. Sunt enim hujusmodi feminæ pessimæ, & facilè amore alieno captæ, aut ita percitæ, solent maritos interficere. *2. pars etiam patet*. Nam quando uxor substantiam viri deprædatur, non est semper causa sufficiens divortij, donec cautio præstetur, sed quando vel furtum est notabile, vel præsumatur fore tale, ita: ut is timor facultates amittendi, cadat in virum constantem, nec aliter compesci valet. Hoc enim malum Cardinal: Lauræa *l. cit: num* 272. reducit ad sævitiam, si conjux bona omnia, vel majorem partem dissipare, & profundere velit. & de facto id exequi inceperit, hoc enim grave est, innocenti onus non facile tolerandum.

DUBIUM 6. *An fas est uxori à viro recedere, qui præ sævitia tres infantes in utero ejus necavit?* R. *affirmativè.* Gravissima enim tyrannis hæc. Ita Palud: *in 4. dist.* 39. *quæst: un: art:* 3. *num:* 14. Gaeta *repet: c. ad Limina* 39. *qu.* 1. §. 4. *num:* 235.

DUBIUM 7. *An justam divortij hujus causam præbeat, quòd vir uxorem verberavit?* R. *cum distinctione.* Quando est levis verberatio, & ex urgenti causa, manifestum esse non licere uxori divertere. Quia vir justè agit. Idemq; credit Sanchez quando levis est verberatio, etiam absque causa. Quamvis enim vir injustè

agat

agat, at ea sævitia non tanti momenti est: nec verberum levium timor in virum constantem cadit, sed quando ea gravia sunt. Atque ita meritò Doctores petunt ad hoc esse gravem verberationem. Ut supra Dub: 2. annotavimus ex Leandro *l. c.* Tùm quia non licere hoc divortium causa verbeoationis præteritæ quantumvis atrocis, si casu ex insolito iræ, ac perturbationis motu viri contigerit, nec probabilis timor ejusmodi punitionis in posterum exercendæ subsit; nam causa hujus divortij ex solo damni futuri timore proficiscitur: cujus signum est, teneri uxorem divertentem causa sævitiæ redire ad virum data sibi sufficienti cautione incolumitatis futuræ; *c. literas &c. Ex transmissa de rest: spol:* Ergo: ubi attenta consuetudine viri, ejusque à natura indito ingenio, excessus ille inoponatus fuit, non erit justa divortij ac petendæ cautionis causa. Tùm quia ex unica verberatione minimè sævitiam concludi. Tùm quia ad probandum solitum esse quempiam minas exequi, quæ minæ incutiant metum viri constantis, non satis est unicus executionis actus. Unde meritò Enriquez *lib: 11 alleg* exegit molestam cohabitationem, rixis & discordijs, quæ omnia assiduitatem quandam important. Tùm quia Sanchez *l. c. t. num: 16. in fine col: 2.* existimat contra Barbosam, non desiderari quo verberatio gravis causet justam divertendi causã, & cautionis exigendæ præstet, ut probabile mortis periculum inferat: sed sufficit eam acrem esse, & correctionis marito concessæ, limites excedentem ut sentiunt alij DD. & eam non semel accidisse, sed repetitam esse.

DUBIUM 8. *An sit sævitia si maritus, vi debitum extorqueat?* R. *negativè.* Ratio est quia licet in modo sit aliqua injuria, at non est tanta, ut sævitiæ tribuenti causam divertendi adscribenda sit, eò vel maximè, quòd si uxor sponte debitum reddat, nulla erit vis, si autem deneget, jus habet maritus cogendi, quod si in modo aliquantulum excedat, non est tantus excessus, & uxor potest vim illam cavere, si spontè reddat ut tenetur reddere.

DUBIUM 9. *An ea sævitia præsumatur, vivo vehemente concubinam, ita ut uxor non teneatur habitare, donec cautio præstetur?* R. *affirmativè*, & posse præsumi hanc causam sævitiæ, si vir concubinam teneat, ac proindè hac ratione integrum esse uxori divertere. Quippè non benè conveniunt uxor & concubina, soletque hæc vitæ illius insidiari. Ita docent Baldus & alij apud Sanchez *lib: 10. de divortio disp. 18. n. 22.* Et quamvis Ioan: Lup: & Matien: loquantur quando vir domi tenet concubinam, vel eam adducere domum intentat. At idem dicendum est, si extra domum propriam eam teneat Quia est hujusmodi retentio causa molestæ cohabitationis, & perpetuæ discordiæ inter conjuges, sic favent alij qui indistinctè de retentione concubinæ loquuntur. Quare uxor redire non tenebitur, donec sibi sufficienter caveatur de expellenda concubina, & in posterum ea non admittenda, Ita Balb: Jo, Lupus & Matienzo *ibid:* adduntque non teneri redire, nisi data prædicta cautione & pænâ oppositâ, Quæ omnia etiam docet Graffis 1. *part: decis: lib. 2. cap: 84. num: 4* Et hæc doctrina apertè procedit ratione sævitiæ seclusâ ratione adulterij. A-

lias

lias falsum esset teneri uxorem præstitâ cautione redire. Quare licet uxor esset adultera, ac proindè compensatione delictorum facta, non liceret sibi ratione adulterij fugere; id utique esset sibi integrum ratione sævitiæ futuræ probabiliter præsumptæ ex retentione concubinæ.

DUBIUM 10. *Quando sævitia est tanta, ut cautione subveniri nequeat, quid agendum, & an sufficiens sit causa divortij?* R. Quando sævitia est tanta, & nulla securitatis cautio sufficiens ab alio præstari possit, non est restituendus conjux spoliatus, sed sententia divortij pronuncianda est. Habetur expresse: *C. literas in §. de restit: spol:* Et docent omnes, & specialiter ibi Abbas *num:* 7. multos alios referens Barb: rubr: *§. Sol matrim: 1. p. 26. fine* & divortium perpetuum est celebrandum. Et arbitrio judicis committitur, quando sævitia est tantà decidendum perspectis bene omnibus circumstantijs occurrentibus. Eo vel maximè cum in jure [ut constat ex C. literas in fin. &c. c. Ex transmissa de restit: spol:] nec alibi præscriptum sit; quanta esse debeat sævitia, & qualis sufficiat, totum id negotium arbitrio judicis librandum erit. Ita *Host: Bald: Menoch, Gut:* & plures alij apud Sanchez *lib: 10. de divortio disp: 18. num: 31. & 32.*

DUBIUM 11. *Quando lis circa adulterium conjugis, aut majorem partem bonorum pendet, aut inimicitiæ sunt capitales, in hoc casu quid agendum?* R. Ubi odium est capitale non debere conjugem cautionis fragilitati fidere. Nec enim cautionis malevolum animum mutat, nec in hoc casu sufficiens cautio præstari potest. sic Aimon *Cons: 45. num: 4. Vol: 1.* exemplificans

 in uxo-

in uxore litigante cum viro, circa majorem bonorum partem, in quo casu ait præsumi inimicitias capitales. Et non esse tunc cautioni fidendam. Et idem constat ex Glossa *C. Ex parte ul: de appel: Verb: periculosum in fi.* ubi ait citato ad locum periculosum, non satis esse præstare ducatum. Ubi Decius *num:* 15. *Versi. in fin: Gloss:* dicit, non teneri quenquam literis salvi conductus fidem habere, quando locus non est tutus propter inimicitias.

DUBIUM 12. *Si conjux sit furiosus, & adsit certum periculum gravis mali, an sanus possit divertere ab illo?* R: *cum distinctione.* Furorem conjugis ubi absque pepiculo gravi cum illo habitare potest, non præstare istam divertendi causam, sed sanum teneri cohabitare, illique ministrare. Nil enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus, mulieris, maritum vel uxorem, viri participem esse. Secùs existenti in gravi periculo. Quia prævalet jus propriæ vitæ tuendæ. Ita Barbosa *rubr:* ʃ. *solut: matr: c.* 4. 2. *p.* 8 *num:* 17: Graff: *1. p. decision: l.* 2. *cap.* 84. *in fini* & alij plures apud Sanchez *lib: c. num:* 18. Qui non credit esse necessarium vitæ periculum, sed satis est aliud gravissimum arbitrio prudentis. Non tamen satis erit molesta cohabitio & rixæ, Quoniam hæc absq; culpa conjugis amentis accidunt. Atque ita quamvis cæteri Doctoris asserant desiderari periculum vitæ ex cohabitatione imminens! At melius Covar: Ludov: Lop: Graff: allegati Petrus Ledesma *de matrim: quæst.* 61. *artic:* 1. Enriqu: *lib:* 11. *de matrim: cap:* 8. *num:* 13. dixerunt indistinctè, quando ex cohabitatione periculum imminet. Et Anton: Cuc: & Veracruz quando

furor

furor est maximus Et Thesaurus, quando fu-
ror est intolerabis. Quæ omnia in alio peri-
culo gravi verificantur.
Dices D. August: *lib* 1. *de serm: Domini in*
monte C. 32 & refertur *C. uxorem* 32: *qu:* 4.
asserit ob nullum infortunium esse conjugem di-
dimittendam Ita *Abb: c:* 2. *num:* 3. *de con-*
jug: lepros. Et DD. alij asserunt: conjugi amen-
ti reddendum esse debitum. ℞ cum Cardinal:
Lauræa *disp.* 42. *de d. Vortijs quoad torum art:*
8. *num:* 270. Hanc rationem contrariæ senten-
tiæ, quam in suam partem trahunt, non obstare,
quia sic loquitur *August: si uxorem quis habe-*
at sterilem, vel deformem corpore vel debilem
membris, vel cæcam, vel surdam, sive morbis, si-
ve doloribus, languoribusque confectam, & quid-
quid [excepta fornicatione] cogitari potest, vehe-
menter horribile, pro fide, & societate, sustineat;
sed nullum istorum infert damnum aliquod sa-
no conjugi: secùs loquitur *in cap: Idolatria*
causa 28. *qu:* 1. *ubi docet* posse divortium fie-
ri, propter quascunque concupiscentias, ob quas
conjux innocens trahitur ad peccandum, ubi,
ut videtur, non sistit in sola causa materialis
fornicationis; Quia quisque tenetur charita-
tem erga se habere. Quando postea inferunt,
conjugi amenti reddendum esse debitum, con-
trarium multò probabiliùs, annotavimus supra,
conjugem sanum non teneri per se atque ex na-
tura rei, debitum reddere amenti, & furioso,
quamvis nullum aborsus, aut damni conjugis
periculum subsit. Et ratio est; quam attuli-
mus, quia illa debiti petitio, non est actus hu-
manus, atque perinde est, ac si vir in somnis
peteret, cui non teneri uxorem annuere quis du-

 bitet

bitet? Firmatur ratio; quia ficut vir amittit ob furorem jus ad fuam, bonorumque administrationem, fic ad ufum matrimonij; ita ut exigens obliget. Hoc effe probabiliffimum docent *Victoria fumm. de matrim: num: 287. Aften-fis. Nicolaus de Orbellu Scotifta*, & alij plures. Dictum eft *per fe & ex natura* non teneri. Quia fi periculum effet in conjuge furiofo, negato fibi debito, acceffus ad aliam, vel effufionis feminis, teneretur per accidens ratione cavendi hoc periculum. Jta *Victoria, Sotus, Lud: Lop:* & plures alij, ibi apud Sanchez *lib: 9. de debit. conjugal: difp: 23. num: 10. & 11.*

DUBIUM 13. *An fit jufta caufa divertendi, fi vir fapè inebrietur cum periculo vita uxoris?* R. *affirmativè.* Jta Sanchez *l. cit: difp: 18. in fine num. 18*, cum Enrig: *lib: 11. de matrim: cap: 19. num: 7:* Jdem cum alio gravi periculo: & tunc præftanda erit fufficiens cautio in pofterum abftinendi ab ebrietate, Idemque cenfendum eft, fi è contra uxor fic ebria fiat, nec compefci poffit à viro. Quoties autem id periculum abeffet; non liceret hac ratione divortium: ficut nec ob alia crimina, quæ in alterius conjugis perniciem minimè vergunt.

§ DUBIUM 14. *An grave periculum patienti corporale notabile damnum, eft quoque caufa divortium faciendi temporale?* R: *affirmativè.* Ita Sanchez *lib. cap.* & alij plures fundaturq; in prioribus principijs; & cafus enumerantur *L. confenfu C. de repudijs.* Ut funt fi uxor fit venefica, à cujus veneno meritò fibi timeat vir, aut fi fit prolium interfectrix: aut fi fubftantiã mariti decoquit, nec fit aliud remediũ corrigendi eam, quàm per divortium. *Adde.* Etiam grave periculum falutis animæ cohabitandi alteri

conju-

conjugi, est sufficiens causa faciendi divortium temporaneum. Patet ex cap. *Idolatria* suprà, ac ex auctoritate scripturæ apud D Matthæum, & ex Hieronymo supra, quæ omnia huc quoque quadrant: quare si conjux unus alterum ad latrocinia, adulteria, aliaque peccata mortalia, ad alios incorruptos mores trahere conatetur ob quæ conjux innocens ruinam timens sive ratione coactionis alienæ, sive fragilitatis propriæ, non tantùm potest, sed & debet à nocente separari ex cap: *Quæsivit de divortio.*

DUBIUM 15. *Morbus Gallicus, quando sit justa causa divortij, quando verò solius separationis tori?* ℞. *cum distinctione.* Nam consideratio fieri potest circa morbum gallicum, qui ubi ad eam magnitudinem pervenerit, ut totum corpus putridis ulceribus, ac maximè guttur, fauces & palatum ex edentibus ob multam ejus malitiam scateat, ubi æger febri lenta ac nocturna detineatur, artuumque doloribus indesinenter affligatur alijsque sævissimis symptomatibus molestetur, justissimam omninò causam divortio præbebit: Quod si ad eam gravitatem & sævitiem non pervenerit, tunc inter minus graves causas, ob quas torus solummodo separandus sit, erit connumerandus. Jn priori enim casu, tam ex usu coitûs, quàm ex cohabitatione imminet periculum infectionis sano conjugi ab infecto, ita ut non satis sit eos quoad torum separari nisi etiam quoad cohabitationem separentur. Jta Paulus, Zachias, Romanus *totius status Ecclesiastici Protomedicus Generalis, in quæst: medicolegalibus lib: 9. tit: X. quæst: 4. de tori seperat: num: 9.*

Quæres? an etiam ex levi gallica lue timeri possit

possit maximum periculum, ita ut sanus conjux, etiamsi alter levi morbo detineatur, semper habebit justissimam causam faciendi divortium? Ratio dubitandi est; quia morbus gallicus non est morbus dependens à manifestis qualitatibus, sed ab occultis; quæ à tota substantia originantur; undè etiamsi mitissimus sit, semper tamen habet secum occultam illam qualitatem ac pravam illam malitiam inficiendi totam sanguinis massam, non aliter quàm venena externa facere consveverant, quæ vel in minima quantitate suam deleteriam vim exerunt, & venenati corpus in suam substantiam immutant, animalque ad interitum perducunt; ac simili modo de gallico veneno evenit: Et idcircò, etiamsi quis levissima lue detineatur, potest per contagium, communicando pravam illam ac deleteriam qualitatem non solùm leviter sanum hominem inficere, sed totam sanguinis massam conspurcare, ac gravem morbum, sævisque symptomatibus associatum accersere; undè videmus ex quotidiada experientia, virum aliquando aut mulierem simplici Gonorhæa, aut levioribus pudendorum ulcusculis detentos, eos qui secum commiscentur, tàm malè accipere ut capitis,& artuum dolores molestissimos, depilationem, gummata, ulcera maligna, & id genus alia symptomata,, indè contrahant; quin tantoperè ultrò processisse, ut in eis dentes excidant, aures obsurdescant visus obtenebretur, & auditus etiam hebetetur, sensusque omnes in summa diminuantur; & depraventur, ut huic difficultati satis fiat, qualis nam lues gallica levis dici debeat, ac qualis gravis, seu gravissima. Paulus Zachias Romanus; *l. cit. num. 12. respondet* & determi-

terminat, quæ determinatio dependet, absque dubio à gravitate & levitate symptomatum, quæ ubi gravia sunt, faciunt morbum gravem, gravissimum, si sint gravissima, qualia superius commemoravimus, sed advertis in hoc non considerari statum morbi præsentem, sed etiam prægressum, ita ut etiamsi de præsenti levis morbus sit, ex eo, quia gravissima symptomata aut remiserint, aut etiam ex toto cessaverint, quomodocunque id successerit etiam ex usu remediorum, quæ à morbo requirebantur, non dicetur talis morbus levis, nam tota sanguinis massa infecta à prægresso morbo, retinet semper malitiam primæ radicis, undè repullulare facilè potest, & conjugem sanum inficere etiamsi non repullulet, & in hoc casu tantum habet locum, quod dicebatur, nempè conjugem sanum posse ex levi morbo conjugis ægrotantis contrahere morbum gravissimum, ut in casibus propositis evenire experimur: aliàs veritatem non habèt illud dictum quia ut obiciebatur, gallica infectio dependet à morbo totius substantiæ, dantur tamen gradus quidam majoris aut minoris malignitatis, pro quorum magnitudine aut parvitate, morbus à principio majoribus aut minoribus symptomatibus associatur Ex quibus jam patere potest, quando nam sanus conjux etiam propter levem morbum gallicum, possit instare pro divortio.

DUBIUM 16. *Lepra & Phtisis, quando ita graves sunt, ut possint dare divortij causam; quando verò non.* R. cum *Paulo Zach a medico l. 6. num. 8.* Ad tantam gravitatem Phtisis aliquando devenit cum confirmata est, & in Phtoen hoc est, in corruptionem partis, nempè ipsius pul-

us pulmonis abijt; quia pulmo à præterlabente purè jam corrosus est ut dicebat *Aretaeus lib: 1. Diuturn: Passion: cap 8.* Tàm lepra igitur quàm Phtisis prædictis conditionibus associatæ, causæ gravissimæ cum sint, ad divortium faciendum erunt sufficientissimæ: lepra verò ac Phtisis non adeò graves, nec eadem gravitate insignes, tori solummodò separationi causam præstabunt. Neque undequaque apparet esse id verum quod aliqui dicant; nimirum quòd in cohabitatione cùm conjuge lepra infecto immineat sano conjugi periculum infectionis; quod non imminet ex redditione debiti matrimonialis: Nam contravenit, si enim ex cohabitatione sanus conjux incurrit periculum infectionis, multò evidentius incurret periculum ex redditione debiti, in qua sola exspiratio, illa putrida conjugis infecti excepta à sano, illicò, ac momento potest illum inquinare, ac multò certiùs quàm vapores, & exhalationes, domus infectæ, quas licet aliquomodo evitare, non commorando, in eodem domicilio, præterquam quod ipsum semen infectum, conjugis infirmi, absque dubio sanum inficere est aptum, quibus adde laborem & insudationem, arctamque conjunctionem in coitu impensam.

DUBIUM 17. *An pestis possit dare causam divortij, & febris maligna?* ℞. cum eodem *affirmativè.*, nam gravissima quidem & sufficientissima causa esset ad divortium faciendum; cui tamen comparata, simplex febris maligna, minus gravis causa judicari posset. Quia tamen tam pestis, quàm maligna febris, morbi sunt acutissimi, & idcirco breves neque ob id aut divortio, aut tori separationi locus esse videtur.

DUB-

DUBIUM 18. *An morbus aptus ad inficiendam domum conjugum est justa causa divortij?* R. *cum distinctione.* Nam ubi conjux sanus, non solùm ex carnali copula cum infirmo, sed etiam ex commoratione in eadem domo periculo infectionis exponitur, morbus evadet causa justissima faciendi divortium, v. g. in maligna & confirmata lepra, in Phtisi ferina, & cacoethica, & id genus alijs evenire potest, in quibus non modo ex prava exspiratione infecti conjugis, sanus incurrit periculum infectionis, sed etiam ex inquinatione ipsiùs habitationis, quippe cùm putridæ exhalationes indefinentèr ab ægrotantis corpore emanentes, ipsis parietibus domus hærere soleant, ut de lepra testantur non solùm medici omnes, sed sacer Levitici textus *cap. 13.* plenissimè comprobat: undè eam ob causam, ipsi parietes ab infectione emundari præcipiebantur ne inde postmodum sani homines inficerentur. Eodem etiam pacto de Phtisicis evenit, qui teste Galeno lib: *de diff: febr: cap. 2* & Hieron. Fracast: *lib: 2 de contag: & morb contagios: capi* 8. & alijs, ipsas domos in quibus commorantur, putredo halitu, & abominabili evaporatione, ita coinquinant, ut sanis neque simul habitare, neque eorum habitationes frequentare tutum sit, & tanta est ejus contagij vis, ut aliquando visa sit hæreditaria, ac tanta malignitate insignis ut interdum usque ad quintam generationem sese propagaverit, personas omnes eodem morbo, ijsdemque symptomatibus associato, eadem ætate, quod multò admirabilius est, absumens, ut Fracastorius *loco proximè allegato narrat.*

S.

§. VIII.

Quoad impedimentum ligaminis causâ mortis conjugis.

DUBIUM 1. *Quid sit ligamen, quod est impedimentum dirimens matrimonium?* R. velut certum: ligamen dirimens matrimonium contrahendum, nil aliud est, quàm vinculum, quo aliqua persona per contractum matrimonialem validum, & legitimum alteri est conjuncta. Ita Scot: D. Thomas, D. Bonaven: quos citat & sequitur Cardinal: de Lauræa noster (a) loc: supra cit.

DUBIUM 2. *An hoc ligamen inductum per matrimonium consummatum sed & ratum sit dirimens impedimentum, matrimonium?* R. affirmativè; Ita communissimè DD. Ratio est, quia matrimonium ratum est verum matrimonium, ideoque hoc decreverunt Canones Concil: Lateranensis III. *in appendic: tit: de sponsal: cap: 17.* & alij relati à Cardinali Lauræa *lib: cit: infra n. 19. & sequent.*

DUB: 3. An Ligamen invalidum ex quacunque causa, cujus invaliditas in foro externo probari nequit, sit impedimentum dirimens? R. velut certum *negativè*, Ita communissimè DD. intelligentes nomine ligaminis solùm ligamen validum nominatim sub hac modificatione. Herin: *dist: 4. n. 38.* contra Marchantium, Caramuelem in Theologia Regular: & alios quosdam innominatos docentes, eum qui ante Tridentinum vel in locis in quibus Tridentinum non est receptum, post sponsalia copulam absque animo contrahendi de qua publicè constare nequit, habuit cum aliqua, fuisse inhabi-

inhabilem ad quodcunque aliud matrimonium contrahendum, illudque invalidè contraxisse.

DUBIUM 4. An validum sit matrimonium, quod aliquis temerè, & illicitè absque notitia certa mortis suæ conjugis contrahit, supposito, quod tempore contractus, altera pars verè fuerit mortua? R. *affirmativè.* Ita communissimè Cardinal Lauræa *n. 129.* Henrix contra Basilium Pontium. *lib: 7. cap: 13. n. 5.* Amicum, constat manifestè ex *cap: Dominus de secundis nuptijs* (quod perperam contendit Pontius per caput *in præsentia* fuisse correctum, cum in eo nullum verbum habeatur quo inhabilitentur ad contrahendum secundùm matrimonum) in quo Lucius III. respondet, eum, qui transivit ad secundas nuptias absque, quod priorem conjugem fuisse mortuam sciverit, posse reddere debitum, sed non petere. Et ex cap: *cum in Apostolo,* de sponsalibus in quo Lucius III. non declarat matrimonium, quod quis lite pendente divortij ante sententiam Ecclesiæ inijt, esse invalidum, sed si feratur sententia, eum, qui illud matrimonium inivit, puniendum. Vndè

Velut certum: neminem posse quamdiu est dubius, num prior conjux adhuc vivat ad secundas nuptias absque peccato mortali transire ita communiter. Ratio est quia in dubio stat possessio pro matrimonio.

DUBIUM 5. *Quanta notitia de morte alterius congis exigatur, ut quis ad secundas nuptias transire possit?* R. 1. *Velut certum.* Ut mors conjugis habeatur sufficienter probata, ad solvendum ligamen pro foro interno & externo, & consequenter sufficiat ad licitè ineundem secundum matrimonium, debet parti superstiti constare per certum

certum nuncium, consortem obijsse. Ita communissimè DD. Ita Iulius III. in cap. *Dominus de secundis nuptijs* decernens non posse conjugem transire ad secundas nuptias, nisi constet conjugem alterum obijsse & cap *in præsentia de sponsalibus* Clem: III. exigit certum nuncium? R. 1. *Velat certum* tunc sufficienter constat priorem conjugem obijsse, quando per instrumenta, testes, sententiam aliamvè claram probationem, ita innotescit mors alterius, ut absque tergiuersatione, aut ulla dubitatione hoc ita manifestum sit, ut non nisi imprudentèr & temerè negari possit. Ita Mascardus, & alij apud Barbosam in Tract: de dict: indicit. *Constat*, quos citat & sequitur Cardinal: Laur: *artic*: 6. Hinc

Collige 1. Per nullam quantumvis diuturnam absentiam sufficienter probari: mortem conjugis, ad solvendum ligamen pro utroque foro. Ita communissimè Cardinal: Laur: *lib*: *c. n. q. 5.* Et habetur manifestè capite *præsentia de sponsalibus* ubi Clemens III. sic habet, Quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus, quæ viros suos causâ captivitatis, vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolatæ fuerint, nec certificari possunt de vita vel morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis, nequeunt continere petentes, alijs matrimonio copulari, consultationi suæ talitèr respondemus, quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium Canonicè convolare. Ergò nulla temporis præscriptio probat mortem, vel suffragatur pro ligaminis solutione. Firmatur ex Glossa *ibid*: in casu ubi, hæc habet, Nota, *quod in matrimonio non-*

non currit præscriptio, licet omnia jura præscriptione tollantur. Item *quòd alter conjugum tenetur expectare, quousque sit certus de morte alterius.* Item, *per hanc decretalem abrogantur leges, quæ dicunt mulierem per quinquennium tantùm debere expectare virum.* Hæc ad rem *Glossa.*

Dices. Si nulla præscriptio temporis, probaret mortem conjugis non comparentis, matrimonium esset odiosum; & sententia hæc nimis dura, nam excluderet omnem verisimilitudinem, ac certitudinem moralem, quæ potest concludi ex non comparentia per 20. v. g. aut 30 annos ℞. cum Cardinal: Lauræa *lib: c. n.* 140. neg: utramque sequalam. Dum enim contrahitur, cum hoc onere contrahitur, ut uterque conjux æqualitatem servet, potest enim captivitas & absentia utrique accidere: igitur cum insolubilitas & monogamia sint de lege Divina, & cum tali scientia conjuges contrahunt, nulla eis fit injuria nullumque novum imponitur onus, si mortis certitudinem etiam per tempus infinitum necessariùm sit expectare. Ad secundum neg: excludi omnem virisimilitudinem; nam non comparentia sola mortem non arguit; cum sit etiam verisimile, ut conjux ad regionem longinquam secedens, alterius amore inductus, secundum inierit matrimonium, ut sæpissimè contingere in causis polygamiæ experiuntur inquisitores. Igitur præscriptio non comparentis seu absentiæ, esset fallax indicium.

Instabis Remaneret conjux absque remedio contra concupiscentiam, quod maximum est incommodum: ergo. ℞. cum eodem Cardinal: Lauræa neg: consequ: si enim hoc argumentum probaret, concluderet etiam de alijs casibus, quando

scilicet alter est impotens; vel non vult reddere debitum, vel jam secutum est divortium. Sicut ergo in his casibus non potest aliud fieri matrimonium propter remedium concupiscentiæ ita in illo. Optimè autem ad hunc casum respexit Clemens III. *ut ex cap: in præsentia de sponsal:* proposito sibi casu *de mulieribus*, quæ ultra septennium præstolatæ fuerunt, nec certificari possunt de morte virorum, licet super hoc certitudinem adhibuerint diligentem, *& pro juvenili ætate, seu fragilitate carnis, nequeunt continere petentes alijs copulari.* & nihilominus Papa decernit; *non posse etiam si magno, & quantocunque tempore sine viris sint, donec per certum nuncium de morte certificentur.* Hæc autem prohibitio nequit ad aliud reduci, quàm ad Dei legem, quæ permittit ad indulgentiam, unum solum habere viventem virum in remedium concupiscentiæ.

Collige 2. Velut certum. Ad probandam mortem conjugis ad finem solvendi ligamen, non sufficit sola fama, rumor, &c. Jta communiter DD. Pontius *lib: 7. cap: 13. Cardinal: Lauræa lib: c. n. 97.* Ratio est, quia sola fama, etiam per idoneos testes probata, non concludit sufficienter in criminalibus, nec facit semiplenam probationem ut constat ex cap: *Tua nos de cohabitatione clericorum & mulierum.* quia in his casibus rationes debent esse apertissimæ. *ex lib: fin: c. de probationibus.* Hæc autem causa solutionis matrimonij est gravissima, & veluti criminalis; per eam enim solutionem contrahens secundò, exponit se periculo sacrilegij, & invaliditatis sacramenti matrimonij. Præterquam quòd, ut habetur ex cap: *Inquisitionis. §. quæsivisti de accusat.* ut aliquid probet fama, debet esse non paucorum. Pau-

ci autem dicuntur 40. ex cap: *Latores de cler: excomm: minist.* & 23. millia etiam dicuntur pauci, ex cap: *disciplina, dist:* 45. unde Glossa *ubi supra* §. *quæsiviſti* verbo *dicta paucorum* ait Credo, quod major pars viciniæ requiratur, quia fama loci requiritur, non fama aliquorum ex cap: *illud de præsumpt:* igitur, ut aliquid probaret fama, deberet esse majoris partis loci, sed neque tunc probaret, quia ab aliquo de visu debent esse orta. Igitur iste posset deponere. Tum quia ex cap: *in præsentia ubi supra* in fine ait Papa, *nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.* Ergò non sufficit fama sola.

Collige 3. *Velut certum.* Ad probandam mortem ad effectum solvendi ligamen non sufficit indicium morale, seu moralis mortis existimatio. Ita communiter Doctores Pontius *lib:* 7. Cardinal: Lauræa: *loc: cit: n.* 100 Aversa. Ratio est quia hæc non tollunt prudentem formidinem de vita conjugis, nec sunt certus nuncius, existimatio enim non est certus nuncius. Tum quia, prout conspicuè Card Laur: allegat regulam & instructionem emissam à sacra Congregatione sancti officij super modo examinandi testes, pro matrimonijs contrahendis *anno* 1658. in interrogatorio 12. sic habetur, si responderit testis contrahentem habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco, & tempore, quo sunt mortui, & quomodo ipse testis sciat esse mortuos, & si respondet, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa Ecclesia, vel occasione militiæ sepultos fuisse à militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico à rectore hospitalis, in quo

prædicti decesserunt &c. Ergò judicavit sacra Congregatio, existimationem moralem mortis, non sufficere ad probandam mortem secutam ad effectum laxandi ligamen, pro foro saltem externo.

Dices Ex cap *cum per bellicam* ex cap *Dominus*, in quibus habetur mulieres illas contrahentes cum secundis, absque certo mortis nuncio primorum, sola existimatione morali præfatæ mortis id fecisse; imò eas, quæ referuntur in cap: *cum per* bellicam cum sola opinione, vel mortis, vel perpetuæ servitutis virorum contraxisse, & tamen Papa non dicit invalidè fecisse: ergò sufficit existimatio. ℞ cum Cardinal: Lauræa *lib: c. n. 142.* hoc argumentum resolutum esse, in cap. *cum per bellicam*, quòd non fuit interrogatus Papa, de validitate, vel invaliditate talium matrimoniorum; sed quid esset agendum de illis, qui cum tali existimatione, sic contraxissent, & respondet, redeundum esse ad primos viros; igitur ex hoc concluditur, quod invalidè contraxerunt. Neque mirum est, quòd Papa dicat, actum illum esse inculpabilem; quia secundi viri invincibili ignorantia ligaminis mulierum, laborarunt, audientes enim ab ipsis se liberas esse, eas duxerunt, feminæ autem ex simplicitate. Vel utrosque ex ignorantia, & ruditate excusat, si defacto contraxerint existimantes in talibus circumstantijs posse contrahere; eò vel maximè, cùm in ijs temporibus clandestinè & sine solennitatibus, nunc adhibitis, fierent matrimonia, ut facillimum fuerit, in hujusmodi inconvenientia incidere. Ad secundum per idem potest responderi, quod mulieres illæ præsumentes de morte virorum, defacto contraxerunt cum viris de hoc ignatis. Et quia

ut

ut notat *Glossa.* verbo *non deneget in dubio præsumitur pro matrimonio.* Ex cap. *juvenis de sponsal.* & ex cap. 1 *de matrimonio contracto contra interd: Eccles:* nisi dubitetur, an contractum sit matrimonium, quia tunc reddere debitum est adulterium, ideò Papa non declarat invalidè fecisse, sed præcipit, ut si, facto hoc matrimonio, aliqua habeat dubium de morte primi, non exigat debitum à secundo, at si ei petatur non deneget quia vir est in possessione, nec potest spoliari, nisi probetur vita primi.

Instabis. Totum hoc concludit propositum, scilicet per solam existimationem moralem probari mortem. Ergo, Anteced: patet, quia absque certitudine ait Papa, mulieres illas contraxisse. R. neg: sequelam. Nam Papa non approbat factum illud, imò prohibet ulterius fieri, sed tolerat factum, quia cum ea præsumptione contractum matrimonium esse poterat validum, si primus vir erat mortuus, de tempore secundi contractûs; & quia vir secundus innocens est, in possessione, nec potest, aut debet privari, nisi constet de vita primi de eo tempore; proindè Papa permittit seu tolerat cohabitationem. At non per hoc fit, ut sit validum hoc secundum, si primus vir vivebat; hoc autem à futuro eventu est judicandum ut notat Glossa in fine verbo *Adulterinus,* dicens: *aliquod enim matrimonium non fuit, ab initio in veritate, sed nunc primò declaratur, non fuisse, sicut e converso, & ex futuro eventu apparet matrimonium ab initio non fuisse* hæc *Glossa.* Poterat quidem Papa de temeritate mulieres illas punire, sed ex fine aliquo bono abstinuit. At ex hoc non concluditur intentum, sufficere scilicet existimationem mortis primi ad eam concludendam,

pro contrahendo secundo matrimonio ; imò ibidem Papa contrarium declarat.

Collige 4. Velut certum Unus testis etiam de visu, hoc est qui interfuit exequijs, septimo, anniversario, qui vidit aliquem efferri ad tumulum, non probat sufficienter esse solutum ligamen, quando nullæ aliæ probationes sunt nec potest dare causam sui afferti, &. consequenter ob dictum unius, præcisè se vidisse mortuum, vel sepultum conjugem, non potest secundum matrimonium licitè inire. Ita Barbosa, Sanchez & alij quos sequitur Card: Lauræa *lib: c. num: 113.* Ratio est, tum quia unus testis, nullus est testis, nec sufficientèr probat, ut constat ex viribus citatis à Cardinal: Lauræa *n. 114.* Tum quia Clemens X sua constitutione statuit, ad dictum alicujus [illegible] entis, aliquem esse mortuum in hospitali, prælio, sepultum in aliqua Ecclesia, non esse dandam licentiam ad ineundum secundùm matrimonium ; nisi prius habito testimonio rectoris hospitalis, Ecclesiæ, belli ducis & *n. 13.* ob dictum testis dicentis, se non scire, an altera pars ad secunda vota transierit, non esse dandam licentiam ; sed alia argumenta expectanda.

Collige 5. E contra, conjux qui vidit suum consortem mortuum. potest pro foro conscientiæ licitè ad secundas nuptias convolare. Ita Cardinal: Lauræa *l. cit: num: 178.* Ratio est, quia certior notitia haberi non potest quàm intuitiva. Dixi *pro foro conscientiæ*: quia & in foro externo absque alijs adminiculis, & indicijs, non admittitur etiam cum juramento, cum enim testetur in propria causa in præjudicium tertij cum præsumptione, quòd anhelet ad secunda vota non debet admitti.

Collige

Collige 6. Velut certum: Duo testes idonei, hoc est non vagi, nec milites [nam hos non nisi datâ causa, & ex consilio vult admitti Clemens X. n. 18.) de visu probant sufficienter pro utroque foro ligamen esse solutum. Ita Cardinal: Lauræa *lib: c. n. 110.* cum communi. Ratio est, quia ut dicetur suo loco, duo testes sufficienter, & plenè probant, ac terminant omnem causam. Tum quia probatio per duos testes, facit certitudinem moralem adeò sufficientem ad operandum, ut in causis omnibus sufficiat ad concludendum seu terminandum; ergò cum omni proprietate dici possunt certus nuncius, patet hoc ex illo Matth: 18. *In ore duorum velirium stabit omne verbum.* Secundò ex Concilio Lateranensi *3. in appendi par: 50 c. 8.* duo testes legitimi sufficiunt ad terminandum, omnem causam etiam in testamentis. Tertiò & cap· *si testes 4. quæst: 2.* duo testes legitimi plenè probant: ergò per duos testes de visu habetur certus nuncius sufficiens ad concludendum, solutum esse ligamen ad effectum contrahendi secundum matrimonium.

Collige 7. Velut certum: Ligamen probari sufficienter solutum in utroque foro per testem legitimum habentem adminiculum famæ, alios testes de auditu, alia adminicula, jure communi legitima, & sufficientia si aliæ probationes haberi nequeant, & mors in loco ualdè remoto contigerit. Ita Barboza Sanchez, & alij quos citat & sequitur Cardinal Lauræa. *lib: cit: n. 113.* constat, ex constitut: Clementis X in qua *num: 12.* admittuntur aliæ probationes, & in cap: *præterea de testibus* in quo dicitur testis, de visu, auditu cum alijs adminiculis, inter quæ recensetur fa-

ma, sufficienter probare. Tum quia evidenter constat, ex instructione sacræ Congregationis allata, ubi habetur testimonium unius de visu non sufficere, ut detur relictæ licentia contrahendi.

Collige 8. Velut probabile publicam famam annexam authoribus certis & fide dignis, adjutam alijs adminiculis moralem certitudinem facientibus, pro utroque foro sufficienter probare ligamen esse solutum. Ita D. Antoninus, Navarus, Aversa, quos citat & sequitur Cardinal: Lauræa *n. 123.* Constat ex cap: *cum per bellicam 34. quæst: 1.* in quo Leo Papa non damnat feminas, quæ putantes suos priores maritos in bello absque dubio ex fama, & alijs adminiculis mortuos: nam aliter non potuerunt judicare eos mortuos: non damnat inculpabiles. Undè nomine certi nuncij venit publica fama plenè probata, & de authoribus certis, & fide dignis verisimiliter informatis, si sit adminiculata alijs conjecturis verisimilibus, certitudinem moralem facientibus.

Collige 9. Testimonium parochi, librum mortuorum gignere moralem certitudinem, consequenter nomine certi nuncij potest etiam venire probatio, quæ fit per librum parochi, in quo describi solent nomina mortuorum, dummodo ità sit descriptum nomen prætensi defuncti per appositionem nominis, cognominis, patriæ, & temporis ut identitatis certitudo haberi possit; Ita Aversa. *quæst: 14. sect: 3. §. quinto* Cardinal: Lauræa *lib: cit: num: 120* contra Pontium *lib: 7. c. 57. n 3* Ratio est: quia parochus & liber, est quasi notarius publicus. Tum quia probatio non est unius testis, sed attestatio publicæ personæ, nam non minus probant libri Rectoris, quam Cancellarij alicujus loci, ambo etenim sunt publici ministri,

nistri, & jurant de officio fideliter exercendo, parochus quidem in professione fidei. Tum quia (ut perspicuè discurrit Cardinal: Laur: *n. 122. l. c.* cum de existentia alicujus matrimonij agitur ad effectum probandi polygamiam, vel eam excludendi libri parochorum faciunt plenam fidem, & sic est in praxi apud inquisitores hujusmodi causas tractantes. Omnium enim primò probandum est utrumque extremum, idest vtrumque matrimonium quod probatur per partitas, authenticas, extractas ex libris parochorum, qui matrimonijs fuerunt assistentes; imò ex decreto sacræ Congregationis sancti officij, edito anno 1613; si matrimonium non inveniatur scriptum in libro parochi, potest probari per testes, igitur isti sunt subsidiarij & magis probat liber parochi, quam testes. Ergò si talis liber probat ad effectum polygamiæ, probat etiam ad effectum monogamiæ, eadem enim ést ratio de utraque.

Dices. Descriptio in libro parochi non facit certum nuncium: nam posset ab alio parochus id scire; & sic deceptionis periculo subjecta est hæc probatio; & consequenter invaliditas matrimonij. ℞. Cum Cardinal: Lauræa. In primis parochum in suo libro scribere mortuos sub ejus cura constitutos. Secundò si ad pericula deceptionis respiciamus, evadit impossibilis certitudo nuncij nam facillimum est, ut duo falsi testes in gratiam alicujus deponant de visu, primum virum esse mortuum, & frequenter id accidere compertum est. Tertiò stantibus adminiculis senectutis, morbi, &c. facillimum est, ut fama spargatur, & longe latèque diffundatur, primum obijsse. Neque proinde dicimus ablatum esse modum probandi per certum nuncium, ita prorsùs dicendum

dum de libro parochi; imò à fortiori quia parochus in longinquo positus, dùm suos mortuos describit, nullum habet interesse in ijs, quæ sequi possunt ex probatione mortis peregrinorum, cum è contra testes interesse habeant ad deponendum, vel ob favorem, vel ob pecuniam. Tum tandem si liber parochorum probat contractus matrimoniales, quare non probat mortes fidelium? si est authenticus, ad probandum matrimonium, ad effectum convincendi de polygamia (sola enim extractio partitarum matrimonij utriusque de libris parochorum probat existentiam & factum duorum matrimoniorum) erit paritèr authenticus ad probandam monogamiam & matrimonij primi solutionem. Adde, quod ut supra dictum est, sacra Congregatio S. Officij testes admittit ad probandum matrimonium in casu, quo non fit scriptum in libro parochorum; ergò liber parochi præfertur.

Collige 10. Si non expectato certo nuncio mortis, conjux defacto contrahat aliud matrimonium, & de tempore contractûs verè alius erat mortuus, contractus hic licet temerè & licitè fit factus, & si accusetur, possit separari donec constet de tempore mortis, tamen in re est validus. Est contra Pontium, qui *lib: 7. c. 53. n. 5.* contrarium debili nititur fundamento adducendo in argumentis. Aversa tamen meritò tenet hanc sententiam de validitate cum alijs. *Prima pars patet*, nam operans contra præscriptum sacrorum Canonum, temerè, & illicitè facit, si esset in casu cum ex citi con: *in præsentia &c.* Dominus, & ex praxi Romanæ Ecclesiæ, expectandus sit certus nuncius de morte conjugis. Item exponeret sacramentum matrimonij periculo

culo nullitatis: ergò illicitè faceret, neque de hoc est dubium. 2. *pars* patet; nam in facie Ecclesiæ conjuges semper præsumuntur ligati, donec certus nuncius mortis adveniat: ergò. Si fiat secundus contractus ante certum nuncium, Ecclesia, quæ polygamiam abhorret, & validitatem matrimonij primi defendit, potest & debet conjuges illos separare, donec de morte primi constet per certum nuncium; imò contra secundò nubentem potest procedere de polygamia; ipsi enim incumbit probare mortem alterius. Et sic proceditur in sancto officio: Ergò. *Vltima pars etiam patet.* Ex cap: *Dominus ubi supra.* Postquam enim Papa dixit, *nullus amodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus*, subdit. *Si verè aliquis vel aliqua id hactenùs non servavit, & de morte prioris conjugis adhuc existimat sibi dubitandum, ei qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti; quod à se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris conjugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem revertatur.* Ubi patet quòd eatenus est nullum, quatenùs post factum constat, primum non esse mortuum; at si erat mortuus, imò per dictum textum, si ita tenebatur, erat dandum, & exigendum debitum, si verò dubitabatur, adhuc erat dandum tantùm, & non exigendum: ergò tantùm abest, ut contrahens defacto, si revera conjux obierit, non faciat validè, ut potius concludatur contrarium. Cætera vide apud Cardinal: Lauræa, quam partem ultimam perspicuè & efficacitèr probat *l. c. n. 133. 134. 135. & 136. 137.*

Collige 11. Testis non requisitus, sed spontè accedens non testatur sufficientèr mortem alterutri-

us conjugis constat ex constit: Clementis X. *in qua §. 4.* talis, utpotè qui præsumitur mendax, repellitur.

Collige 12. Velut certò probabile Iuvenculam, quæ nupsit viro sexagenario abstracto, vel separato per barbaras incursiones barbarorum non posse præcisè ob quamcunque diuturnam absentiam usque ad centesimum annum, etiamsi fuerit infirmæ valetudinis, ad secunda vota transire. Ratio est, quia adest tantùm consimilitudo non certitudo moralis cum jura teste Navarro, Iasone, & alij apud Sanchez extendant ætatem hominis, usque ad annum centesimum, & ratio est; quia cum hoc onere contrahitur matrimonium, cum hæc utrique conjugi euenire possint.

Collige 13. velut certò probabile: conjux infirmæ valetudinis senex, amans familiæ, filiorum, conjugis, diu absens conjux ingressus locum pestis, iter marinum, terrestre, etiamsi cessante peste non reperiatur inter vivos, se revertentibus alijs militibus, aut toto exercitu profligato, non compareat, esto nec de navi, nec de navigantibus, nec nautis post aliquot annos aliquid audiatur, probatur sufficientèr mortuus, ut pars superstes pro utroque foro ad secunda vota transire possit, probatur autem sufficienter ex fama quæ procedit ex fide dignis, & probatur per duos testes esse publica. Ita in re Cardinal Laur: *lib: cit: n. 124.* si inquam hæc indicia copulentur cum fama procedente, ex personis fide dignis, & probetur per duos testes esse publicam, & dicit cum præfatis authoribus, probabile esse, quod sit certus nuncius in his enim circumstantijs rarissimè accidit contrarium.

Collige 14. Velut certum: omnes vicarij deputati

putati pro examinandis testibus ad probandum liberum statum contrahentium matrimonium, tenentur ad unguem observare instructionem præscriptam in constitutione sæpè citata Clementis X.

Collige 15. Conjux, qui in locum valdè remotum discessit, non probatur sufficienter mortuus, per dictum unius testis, adferentis tantùm verisimiliter argumenta, etiam alijs probationibus destituta. Ita contra Sanchez.

Collige 16. Maritus, furiosus, amens, qui aliquoties sibi necem inferre voluit, ideoque vinculis fuit innexus, non sufficienter probatur mortuus, si è vinculis eruperit, & etiam diligenter quæsitus non compareat. Ratio est, quia non adest moralis certitudo, potuit enim venire ad locum remotum, & in eo rursus vinculis innecti. Ita Gobat *n. 198.*

Collige 17. Ordinarius resciens matrimonium contractum sine morali certitudine de obitu alterius conjugis, non potest separare tales conjuges; dùmmodo ad secunda vota ob conjecturas, indicia, testimonia à probatis Theologis, Canonistis pro sufficientibus habita, transitum sit. Ita Layman, & constat ex cap. *per bellicam.* Hinc velut certum: ordinarius tenetur eos separare, si ob leues, & ridiculas conjecturas ad secunda vota transierint. Ita Gobat *n. 307.* cum communi.

DUBIUM 6. Conjugato rapitur à paganis ejus uxor, & ducitur in captivitatem, aliquo temporis transacto spatio ex diversis nuncijs, percipit eam mortuam, postea est in Papam electus & consecratus, inde inopinatè libera redit uxor, ad virum suum, & repetit eum. An vir in Papam electus sit ei reddendus? vel si ipse neget, eam suam

uxorem

uxorem esse, apud quem cognoscetur, cum Papa judicari non possit, nisi de hæresi? R. cum gl: in can: si *quis pecunia* d. 79. *si reuocetur in dubium non est* cogendus, stare judicio alterius: imò excipere potest: Dominus est, qui me judicet, ut habetur in Can: *aliorum*. 9. *quæst*: 3. *aliorum hominum causas, Deus voluit per homines terminari, sed sedis istius præsulem suo, sine quæstione reservavit arbitrio*, responsionem pro se gl: cit si autem certum est (*scilicet illam esse suam uxorem*) *tenetur ei reddere debitum, nisi mulier induci possit ad continentiam observandam, vel abrenunciabit Papatui, & satis faciet uxori.*

DUBIUM 7. *Maritus accedens ad Turcas præliaturus: fit inimicorum captivus, & ibi existens per aliquod tempus si nihil de vita aut morte ipsius uxor audiverit, an licebit ei, ad secundas transire nuptias?* R. *negativè*. Ita Doctissimus Pignatellius *tom*. 4. *consult*: 189. qui censet hujusmodi matrimonia esse dirimenda, & in posterum nullo modò id esse permittendum, nec prætextu cujusvis gravis, & imminentis scandali tolerari posse aut debere. Non enim sufficit absentia mariti, nec centum quidem annis, ut possit mulier ad secundas nuptias transire, etiamsi toto hoc tempore nihil audiverit de viro suo. Quia pro transitu ad secundas nuptias requiritur (ut supra toties diximus) quod alter conjugum acceperit certum nuncium mortis alterius. Ita Gloss: *in cap: in præsentia in fine de sponsal:* alijque communiter, ac desumitur expresse *ex d. cap: Dominus* illis verbis. *Id vobis respondemus, ut nullus quamodo ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux.* Et *ex d. cap: in præsentia*, ibi: *consultationi ergo*

tua

sua taliter respondemus quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare, nec auctoritate Ecclesia permittas contrahere, donec certum nuncium recipiant de morte virorum. Ratio autem est, quia de priori matrimonio constat certò, & proinde certum est, adesse impedimentum contrahendi aliud matrimonium. Quod autem dissolutum sit matrimonium, per mortem alterius conjugis, & sublatum impedimentum non certò constat, sed solùm est dubium, & ad summum adest levis probabilitas. Non potest autem, quod est incertum elidere, quod est certum, nec contra ipsum prævalere. Unde cùm incerta mors conjugis ita se habeat, ut possit esse sequuta, & non possit esse sequuta, remanet in suo statu impedimentum ligaminis, quod impedit ac dirimit secundas nuptias.

Neque obstat dispositio d. cap: *Dominus de secund: nupt*: quatenùs disponit: *si verò aliquis vel aliqua id hactenus non servavit & de morte prioris conjugis, adhuc sibi existimat dubitandum, & qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti, quod à se tamen noverit nullatenùs exigendum.* Nam hæc dispositio non est pro tempore futuro, atque adeò nec pro matrimonijs subsecuturis, ab illo tempore, sed tantùm respicit matrimonia eatenùs, & ad tempus illud usque contracta, ut satis declarat dictio illa *hactenùs.* Hoc autèm disposuit Pontifex de matrimonijs præteritis, quia cum eo tempore non extaret jus expressum, quod deberet constare de morte alterius conjugis, ut locum habere possent secundæ nuptiæ, fuit locus bonæ fidei, quæ locum habere nequit post dispositionem dicti *cap: Dominus.* Et proinde transe-

untem

untem ad secundum matrimonium absque certitudine mortis alterius conjugis puniri posse ab Inquisitoribus, tradunt, Farinac: *de hæres: quæst: 178. n. 71.* & Carena. *de offic: inquisit p. 2. tit: 5. §. 4. n. 23.* Ratio est, quia abutitur sacramento, dùm adhuc dubius, an sit solutus vinculo prioris matrimonij transit ad secundum contra expressam prohibitionem sacrorum Canonum, qui requirunt certitudinem mortis, ut possit superstes conjux ad secundas nuptias transire. Quare & contra parochos, ac alios potest inquiriri à S. Officio de celebratione matrimonij poligamorum, sine legitimis probationibus, & prævia interrogatione, an credant, vel crediderint licere. Parochis etiam tempore belli vel pestis, dum itinera sunt infrequentia, & minus tuta celebrare matrimonia, non factis prius diligentijs à sacro Concilio Tridentino præscriptis. Et si rectè responderit, possit damnari ad carcerem triennalem cum suspensione perpetua à cura animarum, & exilio à locis delictorum. Quoad matrimonia verò ut supra celebrata, debet comprobari vera mors priorum conjugum, & interim moneri conjuges, ne insimul cohabitent.

DUBIUM 8. *Maritus accedens ad Turcas præliaturus, fit inimicorum captivus; post aliquot dies, ut à captivitate exeat Christi fidem denegat, & fit infidelis; uxor verò ejus hoc audito transit ad secundas nuptias: quæritur, an de jure hoc ei licuerit?* majus hic occurrit dubium: R. *tamen negativè.* Ratio est, quia professio fidei naturam & jura matrimonij non immutat. Tum qui *ex cap: gaudemus de divortijs,* si conversum ad fidem, & illa conversa sequatur, eam recipere compelletur, at nupties alterutri licuisset transire ad secundas

nupti-

nuptias, quomodo compelli possent sese recipere ad invicem? ergo &c. & eò magis, quia in eodem cap dicitur, quamvis obiter & enunciatiuè, idem esse matrimonium apud fideles, & apud infideles. Tum quia, illa matrimonia dissoluuntur, quorum radix inficitur ex illis 14. impedimentis contentis in illis vulgatis carminibus, error, conditio, votum, disparitas cultus &c. & ista debent præcessisse ab initio, & non ex post facto, prout in casu proposito: ergo nullo modo licuit uxori transire ad secundas nuptias. Tum quia Innocent: III. omnem solvit difficultatem, & hunc nodum Gordianum duobus gladijs præscindit. in *cap: quartò de divortio* In quo Canone duos casus distingvit Sanctissimus Christi Vicarius, nimirùm an ex duobus infidelibus, si alteruter ad fidem Catholicam convertatur: vel ex duobus fidelibus, alter labatur in hæresim, seu in gentilitatis errorem? quò ad primam partem inquit. Si alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero nullo modo, vel saltem sine blasphemia Divini nominis renuente converti, qui relinquitur, ad secunda si voluerit vota transibit. Et in hoc casu intelligitur, quod inquit Apostolus, si infidelis discedit, discedat; frater enim, vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi; & Canonis regula, quæ dicit contumelia Creatoris solvit jus matrimonij, circa eum qui relinquitur 28. *q. 1. cap: jam nunc & sequent:* quoad secundam verò partem ait. Si verò alter fidelium conjugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus quod in hoc casu, is qui relinquitur vivente altero possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu major appareat contumelia Creatoris.

Rationem addit. Quia matrimonium inter infideles est verum, sed non est ratum, inter fideles verò, & verum & ratum. Et Sacramentum fidei semel admissum nunquam amittitur sed ratum efficit conjugij sacramentum, ut ipsum in conjugibus, illo durante perduret. Hæc eadem solutio habetur in *cap: ex parte de conversi conjugat: §. non autem* ibi. Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd, etsi possit, non inconsultè videri, quòd ex quo matrimonium inter legitimas personas per verba de præsenti contrahatur, illis viventibus in nullo casu possit dissolvi, ut vivente reliquo alter ad secunda vota transmigret, etiamsi unus fidelium, inter quos est ratum conjugium, fieret hæreticus, & nollet permanere cum altero sine contumelia Creatoris; nisi fortè secùs fieret, ex revelatione Divina, quæ superat omnem legem, sicut à quibusdam sanctis legitur factum & actitatum ad formam text: *in cap duæ sunt* 19. *q.* 2. demum succurrit Concil: Trident: *sess: 24. de reformat: matrim: Can: 5.* ibi. *si quis dixerit propter hæresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi matrimonij vinculum, anathema sit.*

Si dicatur 1. Fidelis relictus, non debet jure suo privari absque culpa. R. 1. hoc multis casibus contingere, ut si alter alteri conjugum insidietur, vel aliut impedimentum supervenerit. R. 2. quod si hoc liceret in casu deflexionis, vel adhæsionis ad gentilitatem seu ad hæresim, quoties adveniret occasio odij, vel displicentiæ, simularet hæresim, ad effectum resolvendi, à quo in specie cavet Concil: Trident: *sess: supra cit: Can: 5.* ibi, aut affectatam absentiam à conjuge &c. R. 3 per Gloss. in cap: *cum per bellicam cladem 34. q. 1.*

quæ-

quæstio frivola erat, ideò summus Pontifex Leo I. non curat respondere.

Si dicatur 2. In textu cap: *quanto de divortio ibi licet quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur*, qui dicuntur fuisse, seu Cælestinus III. *in cap.* 1. *de convers: infidelium*, seu Urbanus III. prout inquit; Caiatius *in cap: de illa de divortio*. Ex quo plures DD. induxerunt errorem, in his duobus Pontificibus contrarium sentientibus, ut Alphonsus de Castro *lib:* 1. *de hæres: cap:* 4. alijque penes Emanuel Gonzal: *ad d. cap: quanto & alibi*, Sedit autem in Cathedra Petri Urbanus III. *anno Domini* 1185. Cælestinus autem III. *anno Domini* 1191. Innocentius verò pariter III. *anno* 1198. R/. quoad Urbanum III. *in d. cap: de illa*, constare non esse locutum, quoad vinculum, de dissolutione matrimonij, sed quoad torum divortio sequuto perpetuo. Quò verò ad Cælestinum. Videt Belarm: *lib:* 4. *de Rom: Pontific. cap:* 14. Nec Cælestinum nec Innocentium aliquid de ea re certi statuisse, sed utrumque respondisse, quòd probabilius sibi videbatur. Id quod expressè colligitur ex verbis Innocentij, qui cum dicit, prædecessorem suum aliter sensisse, indicat in opinione rem totam adhuc positam fuisse. Quod verò Alphonsus ait, Epistolam Cælestini fuisse aliquandò inter Epistolas decretales, verum quidem est, sed non potest indè colligi factum esse à Cælestino decretum planè Apostolicum, & ex Cathedra, cum constet multa esse alia in Epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solùm opiniones Pontificum de ea re nobis declarant. Ly enim *videtur*: quo utuntur, certum est, quod id, tanquam Doctores privati docuerint, tempore quo non erat ab Ec-

clefia definitum, quam controverfiam modo de remedio fuftulit Concil: Trident: *seff. 24. de reform: matrim: can: 5.* clara definitione, & hic eft fenfus communis DD Melchior Can: *lib. 6 de loc: cap: 8. ad 3.* Suarez *de legibus lib: 4. cap: 14. n. 11* Barbosa *in cap: quanto hic.* Macedo *de clavib: Petri lib 4. de matrim: cap: 8.* Non enim Cæleftinus in præcitato Canone quidquam definivit, verba quippe Cæleftini tertij fic habent. *Licet quidam prædecessores nostri sensisse aliter videantur, sensisse,* ait *non definisse.* Sed nec Jnnocent: III. quidem definivit quidquam, fed explicat fententiam & opinionem fuam inquiens; non credimus quod in hoc cafu, is qui relinquitur, poffit ad fecundas nuptias tranfire, quod profectò verum eft, quamquam per illam Jnnocentij decretalem non fit firmiter definitum, non enim ftatim, fi aliquid juris volumine continetur, fidei dogma credendum eft, nam nonnulla habentur in Epiftolis decretalibus, quæ fidei Catholicæ decreta non funt, quòd conftat ex Clem: *un. de summ: Trinit: & fide Catholic:* in qua ea opinio, tanquam probabilior eligitur, quæ habet, in baptifmo gratiam & virtutes infundi. Pari ergò caufa & in alijs Conciliorum decretis dicere poffumus probabiles opiniones eligi, non res exploratas definiri, quòd non in hac folùm Clementina exiftimandum eft interveniffe, fed idcirco hic admoneri nos, ut in alijs quoque locis fimile quippiam credamus poffe contingere. Id verò tum maximè, cùm aut verbis opinandi vtuntur judices, aut refponfa, non ad totam univerfalem Ecclefiam, fed ad privatas Ecclefias, & Epifcopos referuntur. Intelligendi enim funt in eo tantùm cafu de fide pronunciare, ubi judicium ad omnes

Chri-

Christi fideles spectat; omnesque ligat: certitudo namq; fidei judicibus à Deo constitutis: non propter Ecclesias privatas promissa, & concessa est, quæ singulæ errare possunt. Sed propter Ecclesiam universalem, quæ errare non potest. Itaque summorum Pontificum Conciliorumque doctrina, si toti Ecclesiæ proponatur, si cùm obligatione etiam credendi proponatur, tunc de fidei causa judicium credendum est; at diligentius animadvertendum est, quæ natura rerum sit, de quibus judicium est, & quæ verborum proprietas, & pondus. Hactenus Melchior Cano, & benè, & doctrinaliter, Canonicè, Cano: *lib: 6. de loco cap: 8. ad 3. & lib: 5. cap: 5 vers: illud autem.*

Si dicatur 3. textus *in capi perlatum 8. ext: qui filij sint legitimi*; in quo, cum maritus cujusdam feminæ ad partes Constantinopolas transijsset, & ibi per decennium, & amplius moram faciendo, ad uxorem suam non rediverit. ipsaque uxor ad Episcopum Vicentinum recursum habuerit, coramque ipso allegaverit, non posse diutiùs eundem expectare: factâ per Episcopum medijs parentibus ejusdem viri diligentiâ, ut ad propria reverteretur, & longo temporis spatio ille redire non curaverit: Episcopus ipse sententiam divortij partibus auditis pronunciavit. Et Alexander III Episcopum virum providum, & discretum fuisse asserit; filiosque ex tali matrimonio susceptos legitimos judicavit, silentium imponendo ei qui contra hoc niti voluerit. At constat Episcopum hoc fecisse, cum elapso longo temporis spacio, prædictus vir ad propria non remeaverit, ergò ob longum & diuturnum temporis spatium, poterit mulier ad secundas & legitimas nuptias transire, cùm filij ex ijsdem

orti decernantur legitimi. R. hoc ei contī-
gisse, quia auctoritate sententiæ, qua ab Episcò-
po obtinuit facultatem & licentiam, cum alio
contrahendi, justam habuit credendi causam si-
bi licitum esse, ex bona fide, secundum matri-
monium contrahere. *ad text: in l. justè possi-
det de acquirend: possessi* junctis adductis à
Gloss: *in cap: dicit Dominus 14. qu: 5.* quia
judicij decreto missus in possessionem illius rei,
quam alienam esse scit, dicitur habere bonam
fidem, eamque usurpare. *l. generaliter ff. de no-
viali act:* Ergò similiter mulier, quæ virtute
sententiæ legitimè prolatæ, motrimonium con-
traxit, in bona fide fuisse creditur, & propte-
rea filij ex tali mattimonio suscepti legitimi na-
scuntur. Agnovit tamen Alexander III. ma-
trimonium secundum nullum fuisse, superstite
primo marito, sed quia per Episcopum Vicenti-
num divortium factum fuerat, & simul con-
cessa facultas transeundi ad secundas nuptias,
idcò decidit prolem ex tali matrimonio susce-
ptam, tanquàm susceptam ex matrimonio puta-
tivo cum bona fide legitimam esse. Non appel-
lavit tamen Episcopum Vicentinum virum pro-
vidum & discretum, quia hanc licentiam dede-
rit uxori illi transeundi ad secundas nuptias,
sed quia jusserit parentibus mulieris, ut nunci-
um mitterent, & ita ad propriam patriam vi-
rum revocarent. Non itaque Pontifex atten-
dit ad ordinem processûs, seu validitatem sen-
tentiæ, ad effectum legitimationis filiorum, de
qua interrogabatur; quia sive sententia esset va-
lida, sive nulla, semper sufficiens erat ad legi-
timandam prolem, susceptam, ex secundo ma-
trimonio, quod ejus auctoritate in facie Eccle-
siæ publicè parentes contraxerunt.

Nec quidquam officit, quòd olim Rex Francorum, Reginam illustrem dimiserit, & aliâ postmodum superductâ puerum susceperit & puellam qui de benignitate Apostolica, legitimi fuerunt declarati *in cap: per Venerabilem 13. ext: qui fil.j sint legitimi.* Nâm dum in serie facti, in eo Canone figurati Innocent: III. expenderit diversitatem casûs Regis Franciæ & nobilis montis Pessulani, ait multa intercessisse, in casu Regis Franciæ, quæ filios legitimos esse svadebant, & præcipuè sententia separationis primi matrimonij, licet propter juris ordinem non servatum nulla esset, undè potiùs ex eo textu deducitur: sententiam divortij etsi nullam, prodesse tamen ad legitimationem filiorum. Glos *ad d. cap: per Venerabilem Covarrum de sponsali 1. parte c. 8. §. 1. n: 10.* Gonzales ad cap. perlatum, qui filij sunt legitimi, & ad cap: inpræsentia de sponsi:

DUBIUM 9. *An filio, qui indignè nuptias, contra Patris voluntatē celebravit, possit pater citra mortale reconciliationem denegare, ac familia, ne cum illo consvetudinem habeat prohibere?* ℞. *affirmativè* Si id non odio, sed in locum pœnæ agat, modo talis pæna sit ad tempus, ad hoc ut proportionetur culpæ. Quodsi quæras an filius peccat mortaliter, matrimonium irrequisito Patre contrahendo? id affirmat Gutticres *lib. 1. 99. Canonicarum cap; 20. num: 3.* asserens debere filium sub mortali patrem; quoad hoc, consulere, & eius consiliū ac voluntatem in hoc sequi, si matrimoninm pensatis circumstantijs honestum ac bonum sit nullatenus sequi deberet; Ego verò nec puto filium peccare mortaliter, si irrequisito & inconsulto patre matrimonium si illud honestum sit, ineat: si enim filius quò ad matrimonium ineundum, est sui iuris, etiam

in ordine ad parentes, consequenter à nullo in hoc dependet, & dùm à nullo dependet, nulli facit injuriam, si inconsulto patre, vel alio quocunque id agat, proindè nec mortaliter peccat: licet ex honestate quadam & ex congruentia de matrimonio contrahendo ejusque qualitate suos parentes informare debeat.

Firmatur nostra assertio 1. Auctoritate summorum Pontificum. In primis 22. *caus: 2 Can: sufficiat*, sufficiat inquit Nicolaus *ad consult Bulgaro cap*: 3. secundùm leges solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur Lucius autem ejus nominis III. *in tit: de raptoribus, cap: cum causa* 6. ait: Raptorem dici non posse qui habuit mulieris assensum, & postea prius eam desponsavit, quàm cognovit, licet parentes reclamarent.

Firmatur 2. per Concilium Tridentinum *sess: 24. c. 1. de reformatione matrim:* quod anathenate ferit eos, qui falso affirmant, matrimonia à filijsfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.

Si dicatur cum P. Rabardeo Decretum Concil: Trident: loco cit: circa validitatem matrimonij filiorumfamilias, absque parentum consensu ad mores tantùm pertinere, & ideò dictum decretū non obligare, nisi fuerit usu receptū sed prorsùs cavendum est ab hac doctrina: nam ea, quæ Concilia generalia determinant circa validitatem vel nullitatē alicujus sacramenti, illa non ad mores sed ad doctrinam & veritatem pertinere omninò dicendum est, ac propterea statim omnes obligare, neque ab acceptatione ulla populorum dependere quidquid de

alijs

alijs legibus Pontificijs sentiant alioqui: Et quidem quo pacto hoc decretum Concilij potest pertinere ad mores, & non potiùs ad veritatem & doctrinam stante Calvini errore lib: 4. inStit: cap: 19 § 37. Ritcherscij & aliorum hæreticorum asserentium ad valorem matrimonij consensum parentum requiri. Quorum sententia ex hoc decreto Concilij claudicat, & reprobata venit ut in specie notat Bellart *lib: de matrim:* cap: 19 & alij communiter.

Si dicatur cum hæreticis Nonne c. aliter 30. quæst: 5. dicit Evaristus Papa? *Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his qui super ipsam feminam potestatem habere videntur, & à quibus custodiatur, uxor petatur, & à parentibus & propinquis sponsetur.* R. sine dubio non intelligi de matrimonio legitimo, quoad essentiam & valorem, cùm eodem tenòre subdat Papa: *& suo tempore sacerdotaliter ut mos est, cum precibus & oblationibus benedicatur: & biduo vel triduo orationibus vacent* eliasque conditiones addit ut stultum sit credere [certè nunquam credent hæretici] sine ijs conjugium esse irritum; intelligit ergo matrimonium legitimum secundùm legales ceremonias & solennitates tunc in more positas de quibus & alijs videre potes Bellarmin: loc. cit c. 20.

Firmatur 3. assertio ratione. Sic, & quidem efficaciter, In his quæ sunt naturalia, homo hominis potestati non sit obnoxius, cùm in his pari omnes utantur jure, pari omnes fruantur libertate solique DEO pareant; sed matrimonium est de his, quæ ad naturam pertinent, in qua tam liber est filius, quàm Pater, cum se ipso postea futurus sit Genitor; igitur non teneatur

nentur liberi parentibus obedire in contrahendo matrimonio. Tum quia potest filius non modo inscio, sed etiam reclamante Patre, Deo se per votum solemne Religionis dare, consecrare, addicere: ut D. Thom: 22. quæst: 104. ar. ticulo 5: in corpore & communiter DD. id fatentur. Ergo & dare feminæ per conjugium. Prob: consequentia respectu obedientiæ patri debita. Plus est Deo vouere religionem, quam uxorem ducere, cùm Religio magis à potestate parentis ejusque obsequio subducat filium, quàm matrimonium; sed potest primum sine patris consensu ergò & secundum. nec: prob: In his quæ sunt proprij juris, & quibus unus alteri non subest, obligare se quilibet potest independenter ab alio; sed filius in electione & mutatione status sui est juris, nam ubi attigit annum 14. In his, quæ ad propriam personam spectant, non pendet ab alio, si ergo tunc potest pro libitu obligare Deo in Religione; ergo, & eodem jure patre irrequisito, stringere se feminæ in matrimonio, ut fecêre Tobias junior & Esau, quod cuique etiam permissum esse habetur in Trident: sess: 24. cap: 1.

Si dicatur. Filium inscijs vel invitis parentibus matrimonium ineundo eos graviter contristare, & sic letaliter peccare. R. talem contristationem ad effectum peccandi mortaliter esse passivam, sumptam scilicet à parentibus, non verò à filio eis datam. cùm filius agat id, in quo est juris, atque adeò dum matrimonium undequaque honestum est, nullus inde rationabilitèr contristari debet. Peccaret verò mortalitèr filius, si matrimonium honestum secundùm voluntatem patris non iniret, quod esset medium necessarium ad conciliandas inimicitias propriæ domus, cùm

fami-

fœminæ in uxorem ducendæ, alius in hoc modus aptior non adesset, cùm filius teneatur, ex virtute pietatis, quam erga parentes servare debet, patri in gravibus illius necessitatibus, inter quas hæc una supponeretur esse, succurrere, illum scilicet ab inimicitiarum periculo liberare; quod fieret, si filius secundùm illius dispositionem matrimonium iniret, idque procedit etiamsi alioqui matrimonium filius contra voluntatem patris contraheret, adhuc pensatis circumstantijs, honestum foret quamvis etiam letalis peccati labe inficeretur filius, uxorem ducendo contra patris voluntatem, & ex eo matrimonio, rumores, & scandala suboriri possent, debet enim filius in rebus noxijs, vel undè mala oriri queunt stare obedientiæ, ac dispositioni sui patris, & sic, cùm in rebus malis, & gravibus vitandis non obediret Patri, mortaliter peccaret. Ita Graff: *lib: 2 deciss: cap: 55. num: 19.* Bellarmini *lib: 1. de matrim: c. 19. proposit: 5.* S. Thom: *lib: cit: & in 4. dist: 29. q. unic: ar: 4.* Victoria *in sum: de matrim: n 269.*

Quod si quæras, an pater possit privare filium, alimentis, si eo irrequisito, vel eo invito uxorem ducat? *Rt. negativè*, cùm alimenta (inter quæ veniunt, victus, vestitus, habitatio, servitus &c. ad vivendum secundùm qualitatem personæ necessaria) debeantur de jure naturæ à patre, filio, atque adeò, si filius non habeat, undè vivat, dum pater potest, tenetur illum alere & hoc etiamsi inhonestum matrimonium contraxisset, quia filius per errorem, quem committit, non potest à Patre privari ijs, quæ de jure naturæ illi ab eo debentur, aliàs pater esset supra jus naturæ, quod non conseditur. Tum quia de jure etiam civili

pater

pater debet filio alimenta præbere, illiusque onera sustentare, & sic etiam filij uxori alimenta dare adstringitur, cùm onus viri sit uxorem alere, si filius illa sibi, æquè uxori subministrare non possit, & pater ad illa præstanda potens sit prout patet *ex lib si quis à liberis §. de liberis §. §. si vel parens versu non tantum §. de liberis agnosc &* Innocent *in cap: per vestras ad fin: de donat: inter virum & uxorem.* Quarè cùm pater non sit supra legem positivam, nec illi contraire potest, & filio contra suam voluntatem matrimonium contrahenti, etsi indignè illud ineat, alimenta subtrahere: benè tamen potest pater filio aliqualiter alimenta minuere, tamen in hoc ultimo casu, cùm scilicet indignè matrimonium contrahit, ad exemplum scilicet aliorum quantum judicio prudentis sat erit Riminaldus *consil: 133. n. 41. volum: 2.* Molina *de primog. c. l. 2. 16. n. 61*

Quod si quæras. an filius contra voluntatem Patris, vel eo irrequisito matrimonium iniens, à patre exhæredari possit? ℞. *negativè.* etiamsi inhonestum contrahat matrimonium, quia cùm filius debeat de jure hæres, à patre institui *lib: inter §. de liber: & post hum* non potest nisi in casibus in jure expressis, ab illo exhæredari, inter quos casus hic minimè invenitur expressus; nec alioqui pater est supra juss: & licet femina invitis parentibus de jure exhæredari valeat, prout patet ex authentica, *ut cum de appellati cognosc: §. aliud quoque ad fin: & ex authent:ca, sed post c. de in off: testa,* quod intelligitur ex citatis textibus, si ei offeratur à parentibus dos, secundùm vires facultatis, & adhuc ipsa inhonestè nubere velit, & sit infra annum 25. constituta, secus si vigesimum quintum annum completum habeat,
etiamsi

etiamsi inhoneste nubat, & dos prout supra à parentibus offeratur, dummodo personam liberam, & non mancipium &c. in virum ducat, tamen jura prædicta de feminis solummodo, non verò de viris loqvuntur, & cum hæc dispositio sit pænalis, & de feminis loquatur, ad viros extendi non debet, cum pænalia non extenda, sed stringenda sint, *lib: odia de regul: juris in 6.* Tum quia, quòd filius in simili casu exhæredari à patre non possit, habetur ex Gloss: *super c. quintavallis de jure jurando & exhæredare.* & sequitur Sylvestr: hæreditas *2. q. 2. n. 3.*

Quodsi tandem quæras, an pater cogens filium ad matrimonium ineundum excommunicationem in Tridentino *sess: 24. de reform: matrim: c. 9.* incurrat? R. *negativè,* cum Tridentinum loqui videatur, de habentibus jurisdictionem in foro externo, ibi suos subditos, & sic non comprehendit in hac materia parentes respectu filiorum, prout patet etiam ex declaratione fel: recordat: Gregorij XIII. à Barbosa super dictum Tridentini Capitulum, adducta: quæ Tridentini excommunicatio, nec contra habentes jurisdictionem in foro externo sanè procedit; cùm aliquem ad matrimonium contrahendum justè compellant, ut si quis aliquam parem in sua conditione stupraverit, eamque postea ut in uxorem sibi ducat, vel ut illam dotet, cum ei inferant &c. cùm Tridentini prohibitio procedat, cùm in hac materia injustè vis alicui quoquo modo infertur; non enim Tridentinum, nisi quod peccatum est in hoc prohibere intendit, cujusmodi non est justa coactio, prout ex ipsius verbis patet ibi, cùm maximè nefarium sit ab ijs injuriam nasci, à quibus justitia expectatur, nec præfata Tridentini dispo-

dispositio comprehendit eos, qui matrimonium contrahendum impediunt, sed nec vi, nec metu directè vel indirectè id agunt, ut ex verbis textûs liquidò constant. Jta Hurtado *de matrim: dist: 8. n. 29. & dist: 7. Vers: 2.* Henriqu: *de matrim: lib: 11, c. 6. n. 5. & in commentato lit: 5.*

Sed adhuc quares. An Princeps possint statuere sub pæna hæredationis ne filij contrahant in nuptijs parentibus non consentientibus? Affirmant multi [a] P. Rabardeus, &c. loquentes de quibusdam Hispaniæ legibus tribuentibus parentibus facultatem exhæredandi filios, absq; eorum consensu nubentes & hanc sententiam etiam docet Steph. *Baunius* loquens de legibus Galliæ & mordicùs illam tenet *Acacius* sed nos cum Sanchez & alijs sequacibus [b] R. negativè, nam tales leges Hispanicas, & alias alibi extantes, attento jure Canonico non valere, esseque ex illo correctas vel corrigendas. Unde hanc sententiam negativam prorsus etiam tenet. Doctissimus *Carolus Morales Madritensis*, ex hac ratione, quia matrimonia debent esse libera, & ideò vinculo pænæ impediri non posse, neque constringi existimat. ex cap: *Gemma de sponsal:* & docet Cyriacus [d] Giovagnonus Surdus. De jure autem Canonico non requiritur consensus Patris ad nuptias filij cap: ult. Ubi Glossa 32. quæst: 2. cap. 13. Guttieres, Tuschus, Menochius, Hinc nullæ, & invalidæ erunt leges Principum secularium prohibentes, quòd puella, seu puer, nequeant matrimonium contrahere, sine consensu Patris sub certa pæna, & præsertim exhæredationis, quia jus Canonicum requirit plenam libertatem ad contrahendas nuptias, & ob id irritat pæ]

nam

nam sponsalibus adjectam ab eo, qui resilieric à sponsalibus, cùm autem metus exhæreditationis libertatem matrimonij minuat, dicendum est jus civile correctum fuisse à jure Canonico ex quo hodie non potest filia exhæredari, si invitis parentibus nubat, & ideò præter Doctores citatos tenent hanc sententiæ Filliucius & plures alij, maxime Ciarlinius, *controvers: forensi tomo 1. cap: 104. num:* 28. qui in casu contingentiæ, judex Ecclesiasticus debet se intromittere ne pæna à Principe laico imposita à partibus exigatur, & inhibere judici laico ne hoc promittat. Et si aliquando sancti Patres videantur approbare leges civiles ad contrahenda matrimonia exigentes parentum consensum, intelligendæ sunt de debito congruentia & honestatis, non necessitatis.

Quares ultimò An matrimonia inter raptores & consanguineorum Principum sine eorum consensu contracta, sint valida? ℟. *afirmativè* Ratio est: Si Principes ferent legem statuentem matrimonia suorum consanguineorum validè non contrahi sine eorum consensu, ad quam labefactandam sententiam sic ex Concilio Tridentino Doctissimus *Carolus Morales Madritensis* argumentantur. Jn sess: 24. sic habetur. Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiesticos anathema sit, Ergò illicitè Principes leges quoad substantiam matrimonij, ut v. g. Principes Regij sanguinis nulliter, sine eorum consensu contrahere possint, nam mitterent falcem in alienam messem; Tum quia *in 24. cap:* 9. sic habetur. Cùm maximè nefarium sit matrimonij libertatem violare, præcipit sancta Synodus, omnibus cujuscunque gradus & conditi-

conditionis existant sub anathematis pæna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directè vel indirectè subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominus liberè matrimonium contrahant. Ergo injustè Principes per sua statuta coarctant voluntatem, ne eorum consanguinei possint contrahere sine eorum licentia & consensu. Tum quia in sess: 24. cap: 1. sic habetur Damnandi sunt prout defacto sancta Synodus damnat, qui falsò affirment matrimonia à filijsfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea ratione irritare posse; Ergo quomodo non erunt valida matrimonia consanguineorum Principum sine eorum consensu inita, & quo pacto Principes possunt illa prohibere?

Confirmantur prædicta, quia supponimus Principes sanguinis Regij, esse minus subjectos Regi, quàm filios parentibus, & servos Dominis in his quæ juris naturalis sunt, quales secundùm omnes censentur contractus matrimoniales; sed contractus matrimoniales, servorum & filiorum non ita pendere à voluntate parentum, & Dominorum, ut si contra, vel sive eorum consensu fiant, invalidi habeantur, jam supra firmis rationibus negatum est, juxta determinationes sacrorum Canonum & Conciliorum Generalium: Ergò &c.

Cum igitur nemo possit disponere nisi de quibus dominium habet pater autem dominium libertatis filorum non habet, nec dominus servorum, & multo magis Rex libertatis principum sangvinis Regij in his, quæ ad statum vitæ pertinent ut nec principes possint decernere conditiones dirimentes contractus civiles matrimo-

trimoniales dictorum Principum; alioquin cùm parentes, & domini multo plùs iuris habeant in filios, & in servos à fortiori possent, & ipsi statuere conditiones dirimentes contractus civiles matrimoniales filiorum & servorum, quo nihil insanius. Ergò &c.

Et licet matrimonium, ut sacramentum supponat contractum civilem esse validum, non tamen ob id Principes directè jurisdictionem super illum habent; non enim omnia civilia indiscriminatim subijciuntur Principibus; immò causæ civiles Religiosorum de jure Divino, Ecclesiastico, & imperiali Episcopo, non Principibus subduntur; quantò minùs civilis contractus matrimonij, maximè postea, quàm á Salvatore ad incomparabilem majorem spiritualitatem evectus est, porro civile aliquando idem est quod non sacrum '& hoc pacto contractus matrimonij, ut contra sacramentum distinguitur, civilis dici potest, aliquando civile dicitur solùm, quod ex legibus civilibus introductum, & dependens est, & hoc pacto contractus matrimonij non civilis, sed naturalis jure dicendus est, quoniam non ex legibus civilibus, sed ex lege naturæ, soli Deo subjectæ prodijt: Princeps igitur potest in omnia civilia suorum subditorum legalia, seu ex legibus civilibus introducta non aut in omnia civilia absolutè immò civilia Reliosorum Epispopis omni jure servantur, à fortiori civilia matrimonialia, evecta ad altissimam spiritualitatem sacramenialem; multò magis reservabuntur Deo matrimonij, & Sacramentorum omnium institutori, & ejus Vicario in terris summo Pontifici: ob id in contractum matrimonialem, nec quoad civilitatem

tam ſacramentalē, nec quoad ſacramentalitatem ipſam, quidpiam poteſt Princeps, aut ſuo aſſenſu firmare aut ſuo diſſenſu invalidare. Ergo Principes Chriſtianos ex genere & natura ſuæ poteſtntis, non poſſe leges condere annullantes ſubditorum matrimonia, vel ſaltem hoc eis eſſe prohibitum ab Eccleſia, cùm talem poteſtatem ſibi reſervaverit.

Nec obſtat conſvetudo Regni Franciæ, quâ fertur non permittere Principibus ſanguinis matrimonia inire abſque Regis aſſenſu; non inquam talis conſvetudo obſtat, quia Antiſtites illius Regni, de hac difficultate conſulti talem conſvetudinem non damnarunt, ſtante quòd eſſet approbata ab Eccleſia, ut patet ex Salerno viro docto poſt hæc ſcripta viſo *in diſcep: de hac materia* § 11. licèt poſtea neget ipſe, adeſſe circa talem conſvetudinem Ecclæſiæ approbattonē; ſed quia nolo hanc difficultatē pertractare nunc, ſed cum doctiſſimo Carolo Morales ſolùm aſſero tam conſvetudinem Regni Galliæ, ſuppoſito quod eſſet ab Eccleſia approbata Patri Rabardeo non favere, nam ipſe contendit probare Principes à parte rei, & ex ſui natura ſecluſa omni approbatione Pontificia, poſſe etiam nunc impedimenta matrimonij dirimentia conſtituere, quod falſum eſſe, doctiſſimus *Carolus Morales Madritenſis*, conſtanter affirmat. Sed ob majorem declarationem hujus materiæ.

Quares. An raptus, quo femina, invitis parentibus ipſa tamen conſentiente rapitur, matrimonium dirimat? ℞. cum noſtro Beam de Iano tract: x. *de ſacram: matrim.* & Patre Maſtrio *diſp: 20. de matrimonio quæſt: 5. artic: 3.* negativè, quidquid alij ſentiant. Ratio eſt: nam Trident: loquitur

quitur tantùm de raptu, quo læditur libertas ad matrimonium requisita, quia huic læsioni tantùm occurrere intendit, dicto autem raptu qui fit fæmina consentiente, cujus tantùm libertas, & non parentum, ad matrimonium conducit, non læditur libertas ad matrimoniū requisita; hinc in dicto decreto consulitur libertati non parentum, sed ipsorum contrahentium tantùm. Ex his, ob majorem informationem de raptu.

Collige 1. Raptum ex eo dici, à rapiendo d. 36. q. 1. c. de raptoribus, & tunc committi *cum puella, qua violenter à domo patris abducitur, ut corrupta in uxorem habeatur*: & est determinata species luxuriæ, specialem continens deformitatem: quod ut verum esse dignoscatur.

Collige 2. Cum Doct: Angelico. 2. 2. *q. 104. art. 7.* quòd raptus quandoque concurrit cum stupro, quandoq; verò invenitur sine eo: concurrit quidem raptus cum stupro, quando aliqus infert violentiam virgini illicitè deflorandæ, & eam è domo patris sui abducit, in quo casu differt raptus à stupro, quod stuprum importat deflorationem, raptus verò abductionem. Invenitur quoq; raptus sine stupro quando quis rapit viduam vel puellam ab alio corruptam, de quo Simacus Papa dicit: *raptorem viduarum, vel virginum ob immanitatem tanti sceleris dedestamur*: sicuti etiam ab opposito potest inveniri stuprum sine raptu cùm ipsam scilicèt virginem deflorat, absque eo, quòd eam è domo patris sui abducat: per quod patet raptum specialem deformitatem continere. Quamvis ergo per raptum possit etiam fieri injuria virgini dum scilicet violenter abducitur, major tamen fit injuria patri, seu illis, sub quorum est custodia; unde præcipuè

his est satisfaciendum, & ideo D. Thomas ubi supra ait. quòd aliter discurrendum est de raptu puellarum, quæ sunt alteri desponsatæ, aliter de his quæ non sunt desponsatæ; primæ enim restituendæ sunt proprijs sponsis, qui in eis ex sua desponsatione jus habent; secundæ verò restituendæ sunt parentum potestati, seu eorum sub quorum sunt custodia, quicunque enim rapit, tenetur ad restitutionem raptæ.

Si dicatur, quòd custodia parentum non minus læditur in stupro, quàm in raptu, nam in raptu læditur per se primò, tanquam essentialis differentia, in stupro verò per se secundò, tanquam quid necessariò requisitum.

Sed quæres *utrùm raptor possit raptam ducere in uxorem?* difficilè hoc quæsitum resolvere, nam Concilio Meldensi dicitur, *placuit, ut ij, qui rapiunt feminas vel furantur vel seducunt eas, nullatenùs eas habeant in uxores* d. 36. q. 2. c. placuit. E contra verò in Gl. summaria d. 36. q. 2. in prin. quæstionis, ubi hæc tractantur, scilicet utrum raptor possit raptam habere in uxorem peractâ pænitentiâ, sic dicitur, *hac quæstio dubium non habet, quia utique potest raptor raptam habere in uxorem, peractâ pænitentiâ*, & est expressum in extrauag: de raptoribus c. accedens. Sed meo videri cum prædicta Gl. respondendum est affirmativè, cum hac conditione ut raptor prius raptam restituat parentibus, seu eos placare, & eorum placitum procurare ut explicat Cajetanus 2. 2. q. 154. in respons: ad tertium dub: & postea de consensu eam in uxorem sumere, quod si parentes nolint, & puella assentiat, adhuc potest cum ipsa matrimonium contrahere, immò si matrimonium de amborum consensu sequatur

quatur

quatur, antequam eam parentibus reddiderit matrimonium tenet, dummodo ipsa liberè assentiat, & in loco libero ac tuto constituatur; unde D. Hieronimus docet, *quòd conjugium inter raptorem & raptam potest esse legitimum de consensu partium.*

Dices ex Martino, excommunicatus non est capax Sacramettorum, sed raptor est excummunicatus, ex multis capitulis juris præcipuè *d. 36 qui si c. si quis* ergo &c. ℟. quòd exclusio è Sacramentis quæ habetur per excommunicationem, facit quidem subjectum indignum, ita: ut non possit ad eam accedere, nisi cum peccato mortali; non tamen eum facit incapacem; unde si excommunicatus confirmetur, aut ordinetur non propterea sacramenta ab eo suscepta sunt nulla, ita ut debeant reiterari; quod idem dicendum est in casu nostro: unde *in c. si autem insinuari d: 36. qu: 2.* dicitur *quod iterare conjugium non præsumant.*

Sed quid si sit alteri desponsata? ℟. cum distinctione, quòd si sit desponsata per verba de futuro, & cum raptore contrahat per verba de præsenti voluntariè cum eo remanere debet etiam parentibus contradicentibus; sed si sit sponsa alterius per verba de præsenti illi est reddenda d. 36. q. 1. c, lex illa Ad capita autem, quæ dicunt, quòd non possit rapta manere cum raptore, præterquam quòd sunt abrogata, ad huc intelligenda sunt quando rapta non consentit in matrimonium raptori, vel est desponsata alteri per verba de præsenti; unde Concil: Trident: in decreto sess: 24. cap. 6. ait: *decernit sancta synodus inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consi-*

ſtere matrimonium, quod ſi rapta à raptore ſeparata & in loco tuto ac libero conſtituta in virum illum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium & auxilium & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, & perpetuò infames, omniumq; dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam ſive eam in uxorem duxerit, ſive non, arbitrio Judicis decenter dotare; & hoc pacto intelligendum eſt, quòd raptus impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum, ſcilicet dum rapta eſt in raptoris poteſtate, & ipſa non aſſentiat liberè, quia liberum debet eſſe matrimonium.

Quæres, *Quibus pœnis debeat raptor puniri?* R. pœnis ſuperiùs recenſitis, addit Raimundus in ſumma, quòd ſecundùm leges eſt capite plectendus, & ejus ſubſtantia raptæ applicari ſi ingenuam rapuit; ſi verò ancillam vel liberam ſubſtantiam non ammittit, ſed tamen decapitatur *d. 36. q. 1. c. de* raptoribus. De decapitatione autem dicitur expreſſus C. de raptoribus lib: 1 ſecundùm Canones autem efficitur ſervus raptæ, niſi ſe vellet redimere ex dicto C. de raptoribus. Notandum tamen eſt, ex *Gl: in c. 41 d.* 36. *q.* 2. Quod hæ pœnæ debent infligi in foro judiciali, non verò in foro pœnitentiali. Inſuper etiam ſecundùm Gofredum, prædictæ pœnæ intelliguntur infligendæ ſi rapuit mulierem honeſtam, ſecùs tamen ſi rapuit meretricem ut lib: primo C. de raptoribus virginum; nec diſtingvitur utrum volentem quis rapiat, vel invitam, conjugatam, vel non, quamvis arctius puniatur quis pro adulterio Ex quo.

Habes

Habes 1. ex D. Thoma ubi ſupra, quod quia ſponſus ex ipſa deſponſatione habet aliquod jus in ſua ſponſa, ideo quamvis peccet violentiam inferendo, ſcilicèt vi educendo ſponſam de domo parentum, excuſatur tamen à crimine raptus ſtrictè ſumpto: unde Gelaſius Papa ait: *quod lex præteritorum Principum, ibi raptum dicit eſſe commiſſum ubi puella de cujus nuptijs nihil actum fuerat videbatur abducta.* c 2. d. 36. q. 2.

Habes 2. ex Hoſt: quod ſi deſponſatam de præſenti volentem monaſterium ingredi vir rapiat & carnaliter cognoſcat non propter hoc dicitur raptor, nec ipſa poſtea poterit ingredi monaſterium contra ejus voluntatem: uſus eſt enim re ſua, licet non debito modo.

Habes ultimo. quod ſi quis ſuam ſervam invitam violaverit, injuriarum actione tenetur de pænitentia *d. 1. c. ſi quis.* Et ſi perſeveraverit in vitio impetendo eam nec poſſit reſiſtere, quoniam violentiam ſibi inferat, ſi aliter non poteſt ſuæ pudicitiæ providere, poteſt licitè fugam inire: ſi enim licet furari in caſu neceſſitatis ad evitandam mortem corporis ut *de conſervat d. 5. c. diſcipulos*: & ſi licèt uxori à viro recedere trahente ipſam ad mortale & è converſo *d. 28. q. 1. c. idolatria*; quare etiam non licebit ſervæ recedere à domino, ad evadendam mortem animæ.



PRACTICA XI.

De Testamento,

Ab ægroto, vel moribun, do, faciendo.

Peracta sacramentorum in periculo vel articulo mortis administratione, infirmum puto de bonis suis, disponere debere: dixit enim Isaias Propheta Regi Ezechieli, *dispone domui tuæ quia morieris tu, & non vives:* Hoc autem testamentum in principio ægritudinis fieri debere censeo: sensus enim ac mens ipsa infirmitate nondum pressi, negotia salutis rectiùs discernere valent: quod secus est ingravescente ægritudine; sollicitos igitur nos esse convenit, cum Christus ipse apud Lucam 12. *dicat*; *Estote parati, quia nescitis diem neque horam:* ne subitò præocupati, excusatione etiam careamus, subnectam igitur aliqua dubia circa materiam Testamentorum,

§. I.

Quoad quidditatem & divisionem.

DUBIUM 1. Quid sit, & quotuplex sit testamentum: R. communiter à juristis. Testamentum quoad etimon: derivari & dici *testatio mentis*, quoad rem verò benè describitur à doctoribus juris & Theologiæ *in L. 1. S de stament:* Quod sit, *nostræ voluntatis justa sententia de eo, quod quis vult: fieri post mortem*

suam

suam cum institutione directa heredis. Jta D. Antonin: & ex nostris Astesanus, Layman, Bonac: & recentissimus noster Conventualis Bonaventura de Iano [a] *tract: 4. de contract: in titul: 5. num: 96.* quam firmat ex SS. Canonibus. De Testamentis gl. *Testamento* in cap. *Quia ingredientibus. Testamentum est testatio mentis qua disponit quid de rebus suis aliquis velit fieri, post suum decessum.* Jn prima definitione explicantur particulæ, Dicitur ly *sententia seu testatio.* Cum SS. Canon: quod idem est ac ordinatio seu dispositio, dicitur *justa*, id est juri congrua, quia si est injusta, puta quis vult exhæredare filium sine causa non est servanda *13. qu: 2. Can: si quis.* Aut præcipit corpus suum deijci in mare ∫ de condition: institu l. *Quidam suo testamento* vel contra bonos mores, aut pietatem, aut verecundiam. De regul: juris in 6. Reg: & gl: *Non est obligatorium* &c. Ordinatio seu dispositio, vel sententia de re injusta, non obligat, & in hoc convenit, testamentum cum pactis & contractibus inter vivos. qui pariter legibus, jurisque dispositionibus conformes esse debent. Dicitur; *de eo, quòd quis vult fieri post mortem suam* ad insinuandum, quòd testamentum, non discrepat, à legato, codicillo, fidei commisso, & à donatione causâ mortis; nam etiam ista referuntur ad tempus mortis, in quo vim, & robur suum accepit testamentum, & quævis ultima voluntas; prout de successionibus ab intestato glos: *Vltimam in cap:* | *fin: Testamentum enim hominis, tantùm morte confirmatur, & immobile perseverat post mortem.* Dicitur *cum directa institutione heredis*, per quod differt testamentum

tum à codicillo & legato, quæ non continent directam heredis institutionem: *Dicitur cum institutione heredis*, quia de testamentis glos: *Dispositionem* in cap: *cum tibi*; *nullum est testamentum, ubi nomen heredis non exprimitur*. Jmò institutio heredis, totius testamenti est fundamentum. Tum quia, per dictam particulam differt testamentum à codicillo, legato, &c. quæ & si contineantur inter ultimas voluntates & justæ sint dispositiones eorum, quæ post mortem fieri debent, non tamen per codicillum, legatum, &c. heres instituitur, sicuti per testamentum, nam codicillum est quid additum ipsimet testamento. in quo de bonis testatoris alia alia fit dispositio, undè tantùm indirectè & longè dici potest testamentum. Scilicet quia mentis testatio, ita gl: *aliter facta* in cap: *Quamquam* de usuris in 6. Legatum verò, *est donatio quadam à testatore relicta ab herede præstanda*. De testamentis *Glos legata* in cap: 2. Tàm igitur legatum quàm codicillus supponunt heredem institutū per testamentum de jure ordinario, secluso privilegio, quod datum est militi etiam codicillo directè instituendi heredem. *l. Milites §.* de re militari. Tum quia differt codicillus à testamento, nam ad hujus solennitatem septem requiruntur testes rogati masculi, & puberes, ad codicillum quinque, licet non rogati, ac feminæ sint. Ex his *quo ad secundam partem propositi dubij*.

Collige 1. Testamentum aliud esse *scriptum & clausum* alterum *nuncupativum*, quod etiam *apertum* dicitur: *scriptum & clausum est*, quod testator sua vel alterius manu conscribit, & confectâ scripturâ necesse est, ut septem adhibeat testes

ſtet idoneos, maſculos, puberes, liberos ad hoc rogatos & vocatos, & coram ijſdem indicet, hanc eſſe ſuam ultimam voluntatem, quod propria manu ſubſcribere debet, ſi novit, ſi non novit, octavum adhibeat teſtem; qui pro eo ſubſcribat. Deinde neceſſe quoque eſt, ut eodem tempore omnes teſtes ſeſe ſubſcribant, ſi noverint, poterit unus pro alio ſubſcribere, non eſt tamen opus, ut ſubſcriptio fiat, eodem tempore phyſico, vel mathematico, ſed tempore eodem morali, dùmmodo nullus actus extraneus interveniat, unde aliquid manducare, bibire, vel medicinam ſumere non impedit. Item ulterius requiritur, ut teſtamentum omnes teſtes annulo (nunc valet etiam quocunque alio ſigneto) ſignent, quòd ſi quis autem annulum, aut ſignetum non haberet, poteſt alieno. (imò omnes uno, etiam ipſiuſmet teſtatoris) ſignari: *inſtit: lib. 2. tit: 10. §. poſſunt & lib: 22. ff. 2. & 5. §. de teſtamento.* Tandem debet in teſtamento ſubſcribi annus, menſis, dies &c. ſi fiat coram tabellione, ſecus ſi fiat privatâ ſcripturâ, quia *in L. in illa conſultiſsima*, id non requiritur.

Teſtamentum nuncupativum eſt, quod coram ſeptem teſtibus talibus, ut priores fuerunt, teſtator facit declarando coram eis ſcripto, vel voce articulata, quid fieri velit poſt mortem ſuam, & hoc jure civili ſufficit, ut ſit perfectum, & valorem ſuum habeat. ex L. *in conſultiſsima §. per nuncupationem* L. *quoniam indignum* C. *de teſtam*; quamvis ordinariè ſoleat modo tale teſtamentum etiam coram notario ſcribi, hoc tamen non pertinet ad ſubſtantiam actûs, ſed ad meliorem ſecuritatem, ut res memoriâ non excidat, ſicut ſolet etiam conſvetudo ſcribi, quæ tamen jus ſcriptum non vocatur.

Hanc

Hanc assertionem de vtroque hoc testamento noster Pater de Iano. ex SS. Canon: evidenter probat. de Testamentis gl. *dispositionem* in cap. *cum tibi sicut nutu deprehenditur voluntas obmutescentis, sic nutu de æquitate Canonica fit testamentum; sicut & sufficit ad. locutionem alterius, quod quis annuat; testibus præsentibus, & dicitur decedere testatus, & tale testamentum dicitur nuncupativum* Et de regul: juris in 6. Regul: *contra eum* glos: 1. fit mentio de utroque testamento, ibi inquit gl: de voluntate testatoris, *aut constat expressè vel tacitè, si expressè illa servatur; si tacitè, ut per coniecturam illa servatur: si non constat expressè, nec tacitè, stetur verbis testamenti.* Et regul: *in 8. non est obligatorium 58.* ibidem Glossa 1. legit. *Quod scriptum est in testamento contra bonos mores, & juramentum, nullius est momenti.* Ex his datur notitia testamenti in scriptis, & nuncupativi.

Collige 2. Dari testamenta privilegiata, ad quæ præter requisita juris naturæ & gentium, vel nulla omninò juris civilis solennitas requiritur, vel non tam plena, sicut in testamentis alijs solennibus. Inter privilegiata hæc testamenta, primum locum obtinent, testamenta & legata ad pias causas facta, directè ac principalitèr, ob Dei, Sanctorumque honorem, animæque spiritualem salutem: utpotè quæ Ecclesijs, alijsque pijs locis, in captivorum redemptionem, Religiosorum, pauperum, etiam consanguineorum sustentationem, in satisfactionem pro peccatis, denique in defunctorum suffragia relinquuntur. Alia testamenta privilegiata sunt inter liberos militum, rusticorum; item tempore pestis, de quibus infra.

Collige 3. Dari testamentum solenne, quod fit

cum

cum debitis juris solennitatibus. Solennitas autem testamenti, quantùm est de jure naturæ, & gentium, solùm requirit sufficientem expressionem voluntatis testatoris, per verba scripta, aut alia signa, sufficienter manifestativa, voluntatis ipsius; idque coram duobus vel tribus idoneis testibus, qui rei gestæ fidem facere possint: *quoniam in ore duorum vel trium testium stat omne verbum deut: cap:* 17. Etenim tanquam valdè expediens bono communi ipsa natura dictante omnium gentium consensu, tanquam certâ regulâ ad tollendas hominum fraudes introductum & receptum est, ut neque in conscientia, multò minus in exerno foro, quisquam cum suo vel alterius præjudicio, stare teneatur solo dicto, vel assecuratione unius, quantumvis probatissimi, & exceptione omni majoris testis, sed minimum duorum contestatione opus sit alioquin enim plurimæ fraudes & injuriæ contingerent; undè dici solet. *unus testis, nullus testis.* plura verò requiruntur jure civili: nam solennitas testamenti quoad jus Cæsareum ac civile, requirit sufficientem expressionem voluntatis, verbo vel scripto coram septem testibus, masculis, puberibus liberis, ad id rogatis seu vocatis, omnibus simu præsentibus, ipsumque testatorem videntibus & alijs ad id munus non ineptis, vel suspectis. De quibus latè alibi.

§. II.

Quoad eos, qui possint vel non possint testari.

DUBIUM I, *An usu rationis carentes, ut infan-*

infantes, furiosi, amentes, possint testari? ℞. *negativè*, nam jure naturali prohibentur testari, Patet etiam ex sacris Canon: & legibus civilibus, nam infans testari non potest. Ratio est ex Gloss: *infans in* Clem: *si furiosus.* de homicidio, *quia ætas illa ignorat quod videt.* Et furiosus in Clem: eit gl: *furiosus* non testatur. Idem de successionibus ab intestato glos: *compotem. Quia furiosus non potest facere testamentum* in cap: fin: tempore tamen quo habent lucidum intervallum testari possunt. Quod si dubitetur, an testamentum fuerit factum tempore furoris vel amentiæ, inspicienda sunt verba, & modus testandi, quæ si videantur rectè disposita, præsumitur fuisse factum tempore sanæ mentis, secus si ita non sint. Verum si per testes aut per circumstantias sufficientes nequeant dignosci, an ille, quem constabat amentem esse, lucidum habuerit intervallum sufficiens ad testandum, præsumendum est non habuisse, quia constat de amentia, non verò de executione. Jta Tuscus *tom: 8. conclus: 104.* Molil: *disp: 136. vers. à primo* & alij &c.

DUBIUM 2. *An surdus & mutus à nativitate possint testari ad causas profanas?* ℞. *negativè*, nisi Principis privilegio factus sit habilis ad testandum *lib: discreti cod: tit: eod.* Ratio est; quia qui non potest articulatè loqui, ita ut heredem exprimere nequeat, testari nequit; si tamen esset surdaster, vel surdus ex accidenti, facere potest, sicuti etiam semper ad causas pias. Idem dicendum impubere, hoc est de masculo ante decimum quartum annum expletum, & de femina, ante 12. completum; Ratio datur; in cap: 1. §. 1. in fine de regularibus in 6. ibi Innocent IV. de impubere inquit. *Secùs autem in*

illo

illo qui ante discretionis annos habitum induit regularem : cum eorum quæ tunc agit, plenum non habeat intellectum : quod est necessarium, ad testandum, & licet possit habere in eo statu, tamen jus positivum præscripsit ætatem, in qua homines solent habere perfectum usum rationis, ut advertit amicus *d. 19. sect: 3.* & idem dicendum est de filia, hæc enim quamdiu sub patris potestate est, non potest de dote adventitia testari. Ita Clarus *lib: 3. sent: §. testament q. 18.*

DUBIUM 3. *An prodigus Cui prohibita est bonorum suorum administratio testari possit?* R. *negativè,* quamvis testamentum ipsius conditum antequam prodigus fieret validum sit, *instit: quibus non est permissum facere testam: §. prodigus.* Idem dicendum de illis, qui commiserunt aliquod delictum, cui jure annexa est pœna, qui ipso facto sunt intestabiles, ut qui cardinalem hostiliter percussêre usurarij manifesti, hæretici post sententiam declaratoriam criminis. *Cod: felicis de pœnis in 6.* Molina *tom: 1. d. 138.* Lessius *lib: 2. cap: 19. dub: 4.* Filliucius *tract: 34. n. 157.*

DUBIUM 4. *An damnati ad mortem naturalem, vel civilem in exilium perpetuum electi testari possint?* R. *negativè,* nisi alter observetur, alter de consuetudine ut notant Clarus *q. 21.* Sylvestr: *v. testament, n. 1. quæst: 3.* Bonac: Layman. & alij idem dicendum de damnatis ob libellum famosum, in injuriam alterius, qui etiam efficitur infamis, *fit intestabilis* 5. q. 1. gl: in summa & 4. q. 3. Can: *si testes* legitur; damnati tamen ad perpetuum carcerem testari solùm possint ad causas pias. Idem possunt facere damnati ad mortem de tertio bonorum ob quodcunque delictum de jure Lusitano, excepto

crimine

crimine hæresis, preditionis, vel Sodomiæ. Idem dicendum, de captivis, testamentum tamen antea factum, si ad suos redierint, jure postliminij convalescit, & etiamsi in captivitate moriantur, testamentum antea factum erit validum *ex lege Cornelia.* & habetur *ff.* ult: instit: quibus non est permissum facere testam: *lib: obsides ff. de testam:* & ratio prohibitionis desumitur ex Glossis. Nota primò & libertati, in cap. *si Episcopus*, de supplenda negligentia prælatorum. Ex prima habetur. *Captus ab infidelibus dicitur servus infidelium, & fingitur mortuus civiliter*: quod confirmatur ex secunda Glossa per hæc verba. *servus enim factus erat.* servus & civilitèr mortuus non est sui juris; hinc non mirum si prohibetur testari.

DUBIUM 5. *utrum filiusfamilias, aut mulier testari poßint? R. & dico 1.* Quòd filiusfamilias de re aliqua testari nequit. Imò nec cum licentia patris stando (juri communi) qui in potestate *ff. de testam*: tamen si cum patris licentia testatus est, poterit legatarius tutâ conscientiâ sibi retinere legatum, sed non poterit illud in judicio petere, est communis, ita Couar: *p. rubr: de testam: n. 8. & 28.* Sylvester *test: 1. n. 3. & 4.*

Dico 2. Filiusfamilias sine consensu patris, non potest de peculio adventitio testari, scilicet de bonis ex donatione, aut successione acquisitis. Dum enim pater vivit illius sunt fructus: proprietas autem filij est. Quamvis de jure communi peculium ad filium pertineat glo. *in d. li qui in potest: ff. de testam*: si verò fuerit Clericus etiam primæ tonsuræ, poterit sine patris licentia, de adventitio testari, nam in eo adventitium est quasi castrense. Ita Emansa *verb: testam: n. 8. & alij.*

Dico

Dico 3. Filiusfamilias cum licentia patris poterit relinquere per viam donationis inter vivos, quia à lege hoc prohibitum non est, dùmmodo non sit cum præjudicio aliorum filiorum, ita Doctores infra citandi.

Dico 4. Si filius erit emancipatus poterit de medietate rei adventitiæ ita testari. Ita Emansa *verb: peculium n 3.* Navar: *cap: 17. n. 142.* Sylvest: verb: peculium *n.* 2. & alij.

Dico 5. Filiusfamilias de rebus adventitijs, & præfecticijs etiam sine consensu patris, ad pias causas testari potest, dùmmodo filius sit in periculo mortis. Ita probat Ioan Baptista *de toro in sum:* privileg: piarum causarum, in privileg: 233. ubi citat multos.

Dico 6. Filiusfamilias testari poterit de peculio castrensi, id est de bonis acquisitis in bello & etiam de bonis seu de peculio quasi castersi; idest, de bonis seu lucris provenientibus, seu perventis ex sua industria per aliquod officium publicum, puta officium Iudicis, advocati, scribæ, medici, aut magistratûs in aliqua septem artium liberalium; aut quovis alio publico officio, propter stipendium publicum; Ratio est quia de tali peculio castrensi, vel quasi, castrensi pater nullum jus habet, sed solius filij est, tam quo ad usum fructuum quàm quoad dominium. Ita Navarr *cap: 17. n. 141.* Tolet. *lib: 8. de 7. peccatis mortal: c. 30.* loquendo de Eleemosyna *n. 1.* Sylvestr: *loc: cit.*

Dico 7. Filiafamilius in potestate patris, de sua dote etiam adventitia, scilicet sibi perventa ex donatione, successione &c testari non poterit, & hoc de jure communi: Ita Alex: in leg: senium c de testam. At de jure consvetudinario Neapolitano, si erit jam nupta (licet sit filiafamilitas)

milias) poterit de prædicta dote adventitia te-stari; nam eo ipso, quòd mulier nubat, efficitur sui juris, ut in consvetudine Neapolitana. *Sed & mulier &c.*

Dico 8. Si testatrix non habuit dotem adventitiam, sed paternam, id est ex paternis bonis, tunc de jure cummuni de tota dote testari potest, relictâ tamen, filijs legitimâ, quæ illis competit. *Quoniam in prioribus c. de in off: testam.* at de jure particulari consvetudinario Neapolitano, quando mulier habet filios, non poterit nisi de decima parte dotis testari; si verò ei filij non erunt, tunc de medietate testari valebit, ut in consvetudine Neapolitana, *si qua moriens &c.*

Dico 9. Si nupta habebit paraphernalia, idest pecunias, vel bona extra dotem acquisita scilicet viâ donationis tempore nuptiarum, vel post nuptias, vel ex successione, & similia: de illis, aut pro eleemosynis, aut per donationem, aut per testamentum aut quomodolibet pro suo libito disponere poterit. Ita Tolet *de 7. peccatis mortalibus cap 29. n. 1. n. 7 &c. per totum.* Emansa Eleemosina *n. 1. & alij.*

Dico 10. Mulier de eo, quod ex licito lucro acquisivit, ex sua industria aut labore (ad quod non tenebatur ratione sufficientis dotis viro assignatæ) pro suo libito quoque disponere poterit sicut de paraphernalibus diximus. Ita Molin: disp: 278, Armill: *V. Eleemosyna n. 6.* Navarr. *cap: 17. n. 153. & communis.*

DUB: 6. *An Clerici de aliquibus bonis validè testari possint?* R. *affirmativè*, & quidem mortuo patre, de bonis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus ipso verò vivente de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, & de adventitijs, etiam post Clericatum

ficatum acquisitis, cùm hæc respectu Clerici, quasi castrensia reputentur Authen: *Presbyteros 1. c. de Episc: & cler: &c.* Ita Julius Clarus *§. testamentum quæst: 17.* de acquisitis verò ante Clericatum, nonnisi ad causas pias, & cum licentia patris, ut vult idem Clarus, *§. cit: q. 5. n. 7.* quæ si deficiat, legatum erit invalidum, cùm testentur id quod absolutè ipsorum non est, nempè etiam usum fructuum, qui respectu talium bonorum est patris, nisi fortè cum hoc onere usum fructûs de hujus bonis disponant. Quæ nam verò dicantur bona castrensia, de quibus filiusfamilias, etiam laicus absque licentia patris disponere potest; quæ nam verò aduentitia de quibus non nisi cum licentia nequit, Vide hic *dub: 5. Versu dico 2. & dico 6.*

DUBIUM 7. *An Clerici, vel Episcopi sæculares, quoad res mobiles Ecclesiæ, vel bona acquisita ab Ecclesia, aut intuitu Ecclesiæ, quæ omnia dicuntur bona Ecclesiæ de testam: cap: 1. de his testari valeant?* R. *negativè,* de jure antiquo de testam: Ex Concilio Lateranensi *cum in officijs. Quidam Clerici cùm ab Ecclesijs suis multa beneficia perceperint, bona per eos acquisita in alios transferre præsumunt; hoc igitur quia antiquis Canon: constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sivè intestati decesserint, sivè alijs conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.* Firmatur per Alexan: III. cap. *ad hæc* ibidem. *Præsentibus innotescat, quòd Clerici de mobilibus; quæ per Ecclesiam sunt adepti; de jure testari non possunt.* Tandem Alex: III. supra cit: in cap. *quia nos* de testam: postquam statuit posse Clericos de bonis proprijs seu acquisitis intuitu personæ testari. Subdit in fin:

cap: cit: *de his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum.* Jmo testandi & disponendi facultas de bonis acquisitis, ex redditibus beneficiorum Ecclesiasticorum revocatur per extravag: Romani Pontificis providentia Pij V. pag: 238 Bullari ut notat etiam Navarr: De spolijs Clericorum *ſ.* 8

Dices, Quòd si clericus aliquid expendat de suo in utilitatem Ecclesiæ, an in hoc casu possit testari de rebus Ecclesiæ? R. *affirmativè 12. qu: 2*, In Agathensi Concil: Can: *si quis* legitur *Si quis qualibet conditione de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit. si de suo proprio tantùm Ecclesiæ contulerit, quantùm visus est abstulisse, tunc demum illud stare licebit* Et quæst. 5. ibidem in eodem Concil: Can: *si Episcopus* legitur *Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit: aliter non valebit, nisi tantundem de proprij juris facultate suppleverit.* Ergò de rebus Ecclesiasticis testari licet Clerico vel Episcopo, si tantundem de proprijs restituat. Idem asserendum de Clerico in ordine ad fructus & redditus Ecclesiæ, qui dicuntur distributiones quotidianæ, quæ dantur propter stipendium personale, & pro labore diurno, de istis Clericus non habens administrationem in Ecclesia, sed personaliter, & simpliciter beneficiatus potest testari, quia facit illos suos. Ita docet Bonaventura de Iano noster Conventualis in opere fasciculi rerum moralium *in anno 1688.* Romæ in lucem edito, adducens Extravag: inter communes. Ne sede vacante in 6. gl: *consvevit*, in cap *suscepti* ibi glo, vocat, *fructus liberos de jure qu.*

pro quotidianis distributionibus. assignantur, & lucrantur; nam tales distributiones à laborantibus in vinea Domini quotidiè sic lucro fiunt, ut sub eorum proprio appropientur, quod de ipsis testari poterunt, sicut rusticus de denario diurno. Confirmat adducendo de officio Ordinarij in 6. glos. *Reservari* in cap: *Præsenti, si verò sit Clericus non habens administrationem, sed personaliter & simpliciter beneficiatus in morte comparatur usu fructuario, quantùm ad faciendum fructus suos, & de ipsis potest testari*

DUBIUM 8. *An præterea idem quoque dicendum sit de fructibus, qui congruè sustentationi beneficiorum supersunt, nimirùm quòd de illis etiam beneficiarij testari valeant?* ℞dent aliqui *affirmativè*, ut Jacobus Mancin: *in practi 5. de testamento Dub: X.* etiam quòad causas profanas, si alicubi adsit consvetudo, quoad hoc legitimè introducta. Nam ex consvetudine [prout noster Bonau: de Iano *supr. cit:* testatur] in Regnis Hispaniæ, in Germania, & multis in locis recepta, beneficiarij præcipuè de quibuscunque etiam scilicet superfluis redditibus tàm ad pias, quàm ad profanas causas arbitratu suo testantur, sicuti seculares; rationem pro hac sententia nunc cit Mancin: affert, quia consvetudo etiam contra Canonones introduci potest cap: fin: de consvetudine, eaque legitime introducta vim legis habet, & consequenter tuta conscientia observari potest; ut asserunt communiter DD. Mag: *tom. 2. variar Resolut: 147. n. 3.* Bonac: *de leg: disp: 1. quæst. 1. punct: ult. §. 3. num: 28. in resp:* Azor 1. *p. lib: 5. cap: 17.* Et quamvis jure antiquo adempta sit Clericis potestas testandi, ut & nos hic dub: 7. diximus

mus: jure tamen novo consvetudinis legitimè introductæ possunt testari etiam in ordine ad profanas causas. Sed R. 2. cum nostro Bonavent: de Iano *negativè*. Ratio est nam consvetudo hæc recepta, beneficiarios testari de redditibus superfluis ad profanas causas non est honesta, neque rationabilis, nisi parvitas materiæ excuset, ita ut consvetudo se extendat ad mobilia & modica, sicuti valet ut modica possit donare. De donatione cap. *Cæterum.* Ita dicendum est respectu facultatis testandi, inquit Panormit in cap: *cum in officijs*, nam si consvetudo se extendat ad res magnas esset onerosa Ecclesiæ, & per consequens irrationabilis & invalida; undè non immeritò ex Concilio Lateranensi cap: cit: *Cum in officijs* de testam: legitur. *Hoc igitur quia antiquis Canonibus constat inhibitum* scil: Clericos testari de rebus, per Ecclesias acquisitis, *nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes &c.* talis igitur consvetudo potiùs est abolenda quàm toleranda. De consvetudine cap: 1. *Consvetudines quæ Ecclesijs gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet consideratione remittere*, & d. 8. Can: 4. *Mala autem consvetudo non minus quàm perniciosa corruptela abjicienda.* Idem d. 12. can *Omnia* & Glos ult: in dicto cap: *Consvetudo* inquit: debet esse rationabilis, & non contra utilitatem Ecclesiæ.

Dices ex Bonacina *disp*, 3. *qu: ult p.* 2. *de Testam*: Beneficiarius potest ex consvetudine validè testari, ad causas profanas, quia prohibitio ad ita testandum est Ecclesiastica, quæ potest per consvetudinem vel privilegium auferri & abrogari, quare licet concedatur, beneficia-

rium

rium illicitè testari ad profanas causas: tamen jus, quod prohibet est positivum, quod tolli potest per consvetudinem. R. ad hoc cum Bonav: de Iano hanc rationem non urgere quia non omnis consvetudo abrogat legem & jus positivum, sed tantùm illa quæ est honesta, & rationabilis, de consvetudine cap: ult: *licet etiam longæva consvetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Et gl: *Rationabilis* supra cit: cap: in fin: inquit. *Illam dico generaliter rationabilem, quæ non obviat Canonicis institutis.* Et in principio. *Illam dico rationabilem quam non improbant jura:* at consvetudo etiam simpliciter testandi obviat SS. Canon: super allatis, qui prohibent Clericis testari. Ergo fortiùs ad causas profanas. Tùm quia Bonac: concedit beneficiarium illicitè testari de redditibus Ecclesiæ ad causas profanas, & hoc ex consvetudine, ergò per ipsum potest induci consvetudo contra Canonica instituta ad illicitè operandum; & quis rationis compos hujusmodi consvetudinem rationabilem, & honestam decantabit? ergò non hujus juris positivi abrogativa. Tùm quia Gregor: dist: 12. Can: ait *Quemadmòdum quæ illicita sunt perpetrare non patimur* & d. §. ex glos: in Canon: *Mala id quod aliàs est illicitum, ratione consvetudinis non fit licitum.* Tum quia consvetudo contra utilitatem Ecclesiæ improbatur à jure ex SS Canon: ergò non est rationabilis & honesta. Quod verò testamentum de rebus per Ecclesiam acquisitis a beneficiarijs sit eidem Ecclesiæ onerosum ostensum est supra ex Can: *Cum in officijs*, ubi

obferventur verba illa. *Non indemnitati Eccleſiarum providere volentes &c.* Tùm tandem Gregor. IX *Nemò ſana mentis intelligit naturali juri [cujus transgreſſio periculum ſalutis inducit] quacunque conſvetudine, qua dicenda eſt veriùs in hac parte corruptela poſſe aliquatenùs derogari.* & de 8. Canoni *Quo jure § Dignitate: Ius naturale prævalet conſvetudini & conſtitutioni.* Talis eſt conſvetudo præfata, quæ legi naturali ac Divinæ repugnat; nam communiter DD. fatentur beneficiatos mortaliter peccare contra charitatem, ſeu contra juſtitiam, ſi Eccleſiaſticos redditus ſuperfluos in uſus profanos expendant. v. g. donando conſanguineis non indigentibus: ergò ſimiliter & à fortiori, illos mortaliter peccare, ſi de ejſdem bonis ad uſus alios profanos teſtentur: principium enim naturale eſt, nos in conſcientia ad declinandum à malo teneri; omne autèm quod à verò ſuperiore juſtè vetitũ eſt, malũ eſt & hoc principaliter dictat lex divina. Jam oſtenſa eſt prohibitio legis Eccleſiaſticæ quoad teſtari &c. præcipuè ob detrimentum Eccleſiæ, & pauperum. Hinc S. Bernardus Epiſt. 2. ad Canonicum Lugdunenſem, inquit. *Quidquid præter neceſſarium victum, & veſtitum de altari retines tuum non eſt* [quia aliis dubium] *rapina eſt, ſacrilegium eſt.* Ergò quod ſuperfluum eſt, pauperibus eſt erogandum, & non profane diſtribuendum ad vitandam rapinam & ſacrilegium, ad quæ vitanda obligat lex naturalis, & Divina, quarum conſvetudo non eſt abrogativa de conſvetudine capit: *gl: juri naturali.* Confirmatur ex ſexta ſynodo univerſali can, *Apoſtolicos* 12. *qu.* 2. ubi decernit ſancta Synodus Eccleſiaſticos redditus ad

ad propriam utilitatem, scilicet Episcopi, & ob
escam pauperam & peregrinorum sustentatio-
nem esse. Et synodus procedit præcipiendo.
Jmò prædictorum profana distributio irritatur,
per Can: Apostolorum ut refertur 12. qu 2.
Canon: *Quisquis*.

Accedit etiam confirmatio Concilij Triden.
tini *seß*: 25. *capi* 1. De reformatione Sanctæ
Synodus Episcopis, *Omninò interdicit, nè ex red-
ditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque su-
os augere studeant, cum & Apostolorum Canones
prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt.*
[id est ad pium usum & Dei cultum destina-
tæ] *Consanguineis donent* Et ibidem paulo post
inquit: *Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem
non solùm in quibuscunque beneficia Ecclesiasti-
ca, tàm secularia, quàm regularia obtinentibus,
pro gradu sui conditione observari, sed ad san-
cta Romana Ecclesia Cardinales pertinere decer-
nit.* Ex his liquidò constat, & concluditur,
non posse Clericos de redditibus Ecclesiæ ad
causas profanas validè testari ex jure antiquo,
& etiam ex consvetudine, quæ si in aliquibus
regionibus & provincijs, sit inducta, erit à sum
mo Monarcha Ecclesiastico, vel alio superiore
inferiore non approbata, sed tantùm permissa
& tolerata, ad alia majora damna evitanda,
& alios fines bonos, quod fieri potest juxta.
gl, *Omnis* in Canon: 4. d. 3. *dicitur illicitum
permitti, ut magis illicitum vitetur.* Nunquam
tamen ut honesta rationabilis approbata dicetur,
Non æstimat tamen irrationabilem consvetu-
dinem Pr. Bonaventura de Iano noster Doctor
Romanus *loc cit num*: 118. alicujus Diæcesis
permittentem beneficiarios testari, de redditi-
bus

bus Ecclesiasticis non superfluis, sed propriâ parsymoniâ servatis, arbitratu suo: sicuti non improbat consvetudinem testandi de ejsdem redditibus superfluis, ad causas pias, licet de jure Canonico sit interdictum cap: *Ad hæc* De testamentis, ubi prohibetur Clericis testandi de mobilibus Ecclesiæ indistinctè, scilicet ad profanas, sivè ad pias causas, in ordine ad quas Alexandrae III. in cit: cap: *Viventes tamen & sui compotes, moderatè valent aliqua de bonis ipsis, non ratione testamenti, sed eleemosyna intuitu, erogare in egritudine constitutis.* contra Navarr: De redditibus Ecclesiasticis *quæst: 3. mon: 1. num: 6, & 7.* qui cum Rocho Curtio *cap: fin: de consvetud. f. 28.* ex cap: *Relatum 2.* de testam: admittit consvetudinem testandi ad pias causas. Nam aliud est testari, & aliud elargiri, distrubuere, dispensare, in vita redditus Ecclesiasticos superfluos per modum eleemosynæ, moderatæ donationis, seu retributionis &c in ordine ad quæ sit mentio de consvetudine non improbanda in c *relatum cit:* non autem de consvetudine quoad testari, cum hoc expressè sit interdictū ab Alexandro in cap: *Ad hæc.* Consvetudo igitur quam non improbat præcitatus Romanus Doctor ad testandum, est contra instituta Canonica, scilicet de mobilibus superfluis Ecclesiæ ad causas pias, honestas, & rationabiles, quæ consvetudo non adversatur juri naturali neque Divino.

Quæres Ob quam causam Clerici à SS. Canon: prohibentur testari de redditibus Ecclesiasticis etiam ad pias causas, & non prohibentur aliqua moderatè donare de ejsdem bonis intuitu eleemosynæ retributionis &c. R. cum Panormitano in cap: *Ad hæc* Ratio diversitatis

est

est, quia testamentorum morte firmatur ut cap:
Cum Martha de celebratione missarum, & omne
jus beneficiati in bonis Ecclesiasticis ipsa mor-
te finitur; undè effectus confertur pro tempore
quo non est futurus prælatus seu rector, & ad-
ministrator dictorum bonorum, & ideò de eis
non postest disponere, in testamento; sed quan-
do disponit in vita titulo eleemosynæ, seu do-
nationis remuneratoriæ,non prohibetur quia ef-
fectus confertur in tempore quod beneficiarius
est administrator &c. testamentum enim inci-
pit valere potest mortem, non sic quælibet a-
lia elargitio seu erogatio facta extra testamen-
tum, quæ statim valet.

DUBIUM 9. *An Clerici beneficiarij de illis fructibus, qui supersunt, pro reparatione Ecclesiæ, per consvetudinē, testari valeant? R. negativè.*
Ratio est, nam hujusmodi reparatio Ecclesiæ ex
justitia fieri debet ex eo, quia semper tanquam
certissima hæc supponitur testatoris voluntas, qui
sua bona Ecclesiæ reliquit, nimirum quòd mini-
stri indè alantur, & necessitatibus Ecclesiæ occur-
ratur: cui obligationi per consvetudinem in
contrarium derogari non potest, quia materia
consvetudinis, debet esse talis ut DD commu-
nitèr asserunt, quæ possit esse materia legis, cùm
ipsa consvetudo lex postea evadat: cùm autem
materia legis non possit esse materia iniqua,
& injusta contra jus Divinum, vel naturale, cu-
jusmodi est talibus fructibus, qui supersunt ne-
cecessitatibus Ecclesiæ contra testatoris volunta-
tem non occurrere, cùm hoc sit contra jus natu-
ræ de fidelitate testatori servanda, ergò nec hoc
idem potest esse materia consvetudinis; neque
præfatæ obligationi derogari potest per præscri-
ptio-

ptionem: nam ad legitimam præscriptionem, requiritur bona præscribentis fides *Regula 2. de reg: juris in 6.* quæ in beneficiarijs deficit, cùm nemo sit, qui suæ Ecclesiæ necessitates non agnoscat, & se ad illas fructibus Ecclesiæ reparandas obligari ignoret. Colligitur ex Azorio, Bonac: Salas. un. dè beneficiarij de hujusmodi fructibus vi consvetudinis, ad causas profanas testari non possunt, cùm reparationi Ecclesiæ necessarij sunt, eadem prorsus ratione dicendum quoque est, si succurrendum alicui, vel aliquibus gravibus & præsentaneis paupe um illius loci, ubi beneficium adest, necessitatibus, necessarij essent, quia hæc etiam supponitur esse mens illorum, qui bona Ecclesiæ dederunt, ut non solùm ex illorum fructibus, una pars cedat in sustentationem ministri, & secunda in reparationem Ecclesiæ, ut paulò ante dictum fuit, sed etiam, ut tertia in sublevandis pauperum loci beneficij necessitatibus insumatur, ut probat Pesantius multis adductis. *in 2. 2. D. Thom: q 62. disp: 4. n 3.* contra quam testatorum, seu donantium intentionem consvetudo, ob rationem supra adductam introduci nullatenùs potest, & consequentèr, nec vi consvetudinis, contra talem intentionem in testamentis condendis beneficiarijs ire fas est Ita Pesantius *supr: cit.*

DUBIUM 10. *An Religiosus testamentum facere, codicillare, & legare possit? R/. negativè. Ex Author: Ingress. C. de SS. Eccles: & cap: Quia ingredientibus 19. q. 3.* maximè post emissa vota publica & solemnia Religionis. Tùm quia illa votorum emissione Religiosi amittunt jus & dominium omnium suorum bonorum. Excepto Religioso ad Episcopatum vel parochiam promotu, aut aliud simile beneficium; cùm reddituum

Eccle-

Ecclesiæ plenam habeat administrationem sicuti beneficiatus secularis à SS Canonibus concessam prout Navar: *de redd: Ecclesiast: q. 1. n. 8.* Mol: *tom: 2. disp: 276.* Sanchez. *lib. 6. moral. cap: 6. n. 14.* & noster Bonav: de Iano *loc: cit: pag: 158* Et ita quæ superflua sunt, in pias tantùm causas erogare licebit; non verò mortis causâ donare, aut testari de redditibus Ecclesiasticis, aut bonis papatrimonialibus, vel quacunque industria acquisitis regulari beneficiato est permissum, nisi cum Papæ licentia, quam facilè concedit ad dignitatem Cardinalitiam Episcopalem, vel similem evectis. Ita Layman: de Ecclesiasticis beneficijs *lib: 4. tract: 2. c. 8. n. 11* Quamvis Pater Bonaventura de Iano. *lib: cit.* in dubium vertit illam particulam *aut bonis patrimonialibus*, quæ si ante Cardinalatûs vel Episcopatûs dignitatis acquisitionem per regularis professionem monasterio fuerant acquisita, putat non ita facile cadere sub tali licentia, & Papæ dispensatione, quia Privilegium Principis intelligi debet sine præjudicio tertij. De Religiosis domibus *gl: fin:* in cap: *quia monasterium.* Et de authoritate & usu pallij glos: *permittat* in cap *ex tuarum.* Quantùm verò ad redditus Ecclesiasticos, talis concessa Papæ licentia intelligi debet, ut liceat Religioso beneficiato, testari ad pias causas tantùm, vel quæ ut cumque ad utilitatem monasterij, aut Ecclesiæ spectet, v. g. relinquatur personæ, quamvis diviti, tamen de monasterio & Ecclesiæ benè merito, vel ad captandam ejus benevolentiam & patrocinium, quæ limitationes multò magis locum habent in regulari intra claustrum vivente, cum major difficultas extet, an tali de bonis suo labore, industria, & artificio acquisitis possit & soleat Papa testan-

testandi licentiam dare: non dubito, quin Papa possit cum Navar: *comment: 2. n. 58.* quia licet acquisita à Regulari Claustrali quomodocunque sint monasterio obligata, tamen ejusdem bonorum independens & absolutus Dominus est Papa; nec illicita videretur hujusmodi licentia relinquendi in morte aliqua nonnullis cognatis amicis, aut alijs, non quidem divitibus, sed pauperibus, non magna sed modica, ad vitandum monasterij præjudicium, & detrimentum, licet etiam raro prædicta licentia concedatur.

Quæres 1. An de licentia superioris possit moribundus Religiosus relinquere, ut pro se tot celebrentur Missæ quantum peculium registravit in sua charta expropriationis? ℞ *affirmativè,* cum Bordono *tom: 5. cap: 24. de paupertate Religiosa pag: 479. n. 67.* Ratio est; quia si de licentia superioris potest habere peculium pro utilitate corporis, à fortiori pro salute animæ: neque enim id est testari, sed de licentia superioris providere animæ suæ. Ita in terminis pro quadam moniali censuluit. Portellus, *p. 2. casu 85.*

Quæres 2. An Religiosi possint tempore mortis aliquid donare? etiam cum licentia superioris. Aliqui sentiunt *negativè,* nam talis donatio est species ultimæ voluntatis, & qui non potest de jure testari, neque potest donare causa mortis. Ita Graffius *in decis: p. 1. lib: 3. cap: 50. n. 58.* Sanchez *in summa tom: 2. lib: 7. cap: 8.* sed contrarium tenet Suarez, & Layman, quos citat & sequitur Diana *p. 5. tract: 3. resolut: 127.* nam etiam filiusfamilias testari nequit, licet pater consentiat, & tamen mortis causa donare consentiente patre permittitur *lib: tam is §. de mortis causa donationis.* testamentum enim postulat plus juris ac legiti-

legiti-

gitimæ facultatis; donatio verò causa mortis, plurimùm accedit ad naturam dispositionis inter vivos.

Quares 3. An Regularis possit ex pecunia quam liberè ex concessione Religionis expendit fundare censum, aut certam summam tradere amico, ut pro se post mortem missæ celebrentur? R. *Quoad primam partem negativè* Ita Pasqualigus *in quæst: moral: juridicis quæst:* 199. *pag:* 33. ita ut ex ejus fructibus post ejus mortem celebrentur Missæ pro anima ipsius. Ratio est, quia cum quidquid acquirit monachus monasterio acquirit cap: *in præsentia &c.* ita ut in acquirendo æquiparetur servo respectu domini absque alio mandato. Ita Vasquez, & Molina. Vnde statim ac census fundaretur, acquireretur monasterio, & non esset amplius sub dispositione Religiosi fundantis. & proindè non potest supponere oneri missarum. Et quamvis census non sint propriè bona immobilia, quando tamen fundantur super immobilibus, æquiparantur bonis immobilibus, & eodem jure censentur, ut desumitur *ex Clement: de Verb: signific: quoad secundam partem* etiam *negativè*. R. Pasqualigus *loc: cit: n.* 4. ita ut non possit Religiosus tradere amico certam summam pecuniæ ad effectum, ut post ejus mortem curet pro ejus anima missas celebrari. Ratio est; quia Religiosus disponeret quidem viuens de tali pecunia, sed tamen causa mortis, ita ut dispositio non sortiretur effectum nisi post mortem. Hoc autem esset disponere per modum ultimæ voluntatis, quod est prohibitum Religiosis *Authent: ingressi. C. de Sacrosanc: Eccles:* & cap. *quia ingredientibus 19. quæst;* 3. & notant communiter DD. Disponere namque per modum ultimæ voluntatis,

dicit

dicit exercitium dominij, cujus cum sit incapax
Religiosus, est etiam incapax facultatis talis di-
sponendi. Nec refert, quòd vivens posset talem
pecuniam convertere in celebrationem missarum,
tanquam in opus pium, quia si habet facultatem
convertendi in usus temporales, à fortiori, pote-
rit convertere in spirituales. Quia hoc non pro-
venit ex qualitate operis, sed ex incapacitate do-
minij; & ideò neque in ordine ad opus pium aut
spirituale potest disponere de tali pecunia per mo-
dum ultimæ voluntatis, ita Sanchez *lib: 7. sum:*
cap: 8. n 3 Graff *p 2. decis: lib: sup: 19. n 85.*
Rodriquez quæst: Regulur: *69 tomo 3.* Quod au-
tem possit vivens in idem opus convertere, indè
provenit, quia convertendo utitur tantùm pecu-
niâ sibi concessâ quoad usum: non autem exer-
cet actum dominij.

Ex quibus colligit. & deducit Pasqualigus *loc:*
cit: n. 6 An possit Religiosus dictam summam pe-
cuniæ, alicui donare cum onere, ut secuta morte
faciat pro ipsius anima centum missarum nume-
rum celebrare. Licet enim possit ad libitum in
proprios usus pecuniam sibi concessam expende-
re, non tamen hoc modo poterit donare. Nam
vel numerus missarum invictus adæquat pecuni-
am; & tunc non interveniet vera donatio, sed
deputatio dictæ pecuniæ pro celebratione mis-
sarum. Vel si transferat dominium pecuniæ in
donatarium, acquiret jus ad onus impositum:
& de hoc onere disponet per modum ultimæ
voluntatis, nam disponet de ipsius adimplemen-
to post mortem, quod facere non potest, ut con-
stat ex dictis. Si verò numerus missarum non
adæquat, interveniet etiam vera donatio, quò
ad illam portionem, quæ excedis numerum
Missa-

missarum, quæ non est ipsi concessa, imò prohibita, cùm non possit Religiosus rem concessam in unum usum, convertere in alium præsertim prohibitum, ut notant D. Antoninus, 3. *p. tit: 16. cap: 1. §. 11. nota 2. & 4.* Lessius *lib: 2. de just: & jure cap: 41. dub: 9. n. 79.* Rodriquez *quæst: regu: 89 arti: 10. conclus: 3. tom: 3.* Sanchez *lib: 7. sum: cap: 19. n. 68* imò adhuc interveniet etiam dispositio per modum ultimæ voluntatis; quia disponet post mortem adimplendum onus injunctum donatario.

Collige 2 Non posse prælatos dare licentiam monacho scribendi schedulam, quâ disponat quid faciendum sit de suis bonis post mortem, eo animo: ut illa dispositio vim testamenti, vel codicilli habeat, secùs quando non eo animo, sed solùm rogat prælatum, ut sic disponat pro sua libera voluntate, & hoc etiam licet Fratribus Minoribus. Igitur licebit Religioso donare causa mortis ex ea licentia ex qua alia possit similia donare inter vivos: ut Diana p. 5 tract: 3 resolut: 128.

Collige 3. Potest etiam aliquid relinqui à seculari monacho alicui, cum facultate tempore mortis, disponendi de eo inter consangvineos, non per testamentum, sed per electionem personarum ad quas sic relictum debeat pertinere. Ita Fulvius Pacian. *Consil: 36. à num: 103. usque ad numerum 108.* & Sanchez *in sum: tom: 2. lib: 7. cap: 8. n. 8.*

DUBIUM 11. *An novitij ante & post ingressum in Religionem testari possunt: & an post ingressum juris solennitates in testando servare teneantur?* ℞. quoad primum *affirmativè*, cùm nullo jure contrarium cautum sit, & quidem tunc novitios etiam testamentum revocare, & aliud

condere posse idque quocunque tempore id velint. Nec obstat Trident: *sess*: 25. *cap*: 16. de regularibus ibi intra duos proximos menses ante professionem : nam non loquitur de testamento, quod non nisi post mortem testatoris firmitatem habet, sed de renunciatione, donatione &c. Antonius *thesaurus de panu p. 2. Verb. simonia* super Religionis ingres. *cap. 10. Versu adde quod.* Ad secundum vero, quoad juris solennitates respondeo, quoad causas pias nequaquam servari debere, (ut infra dicitur) sed tantùm quoad profanas, cum personæ Ecclesiasticæ in contractibus faciendis, juris solennitatibus subdantur, si sacris Canonibus non repugnent. *Ex Can: 1. & Can: si in adjutorium dist:* 18. Navarr: *in comment:* 2. *de regular: num:* 50. & plures alij memoriæ juvandæ gratiâ, omnes qui testari non possunt sequentibus exprimuntur versibus.

Testari nequeunt impubes, religiosus,
Filius, infamis, morti damnatus, & obses,
Prodigus, ac stultus, dubius, servus, furiosus
Crimine damnatus, cum muto, surdus, & ille.

Et quæ dicta sunt de testamento faciendo, currunt etiam de legatis, quia hæc non fiunt nisi in testamentis, vel codicillis, idem proindè est de codicillis, quia *in L. Divi §. codicillos §. de jure codicill.* Nemò facere potest codicillum, nisi qui potest testari.

§. III.

Quoad heredes, qui institui vel non institui possint.

Adverte: ut, quæ de succedenti potestate di-

Quri sumus, facilius percipiantur, aliquid prius de heredum diversitate dicendum est. Itaque quantùm ad ethimologiam nominis heres dicitur seu derivatur ab *hæreo* quia heres proximus est defuncto, cujus heres constituitur: vel etiam ab *herus*, eò quod fiat dominus bonorum defuncti, unde hereditas definitur, *succeßio in universum jus, quod habuit defunctus* Heres alius est universalis & hic dicitur *heres ex asse*, dicitur universalis, quia sine alio coherede succedit, particularis, qui cum alio, vel alijs in partem æqualem vel inæqualē transit: heres universalis dicitur *heres ex asse*, nam hereditas à juristis in 12. uncias, *quæ aßis* dicuntur, dividitur, quæ partes in 12. uncias dividuntur, & his vocabulis explicantur: *Uncia, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bes, dodrans, dextans, deunx, aßis.* Uncia unam partem tantùm denotat, sextans, duas uncias, seu partes, quadras stres: & sic deinceps usque ad duodecim uncias quæ dicuntur assis. Alius heres dicitur ex testamento, alius ab intestato, qui scilicet non ex dispositione testamenti, sed ex dispositione legis, in bona defuncti succedit. Undè hæc successio duobus principaliter modis acquiritur. 1. Ab intestato, quando scilicet sine testamento defuncti, hereditas ad consangvineos defertur, ita tamen ut propinquiores excludant remotiores. Quorum aliqui dicuntur sui seu *necessarij*, ut filij & nepotes & omnes descendentes, imò & ascendentes, ut pater, mater, auus &c. Alij dicuntur *legitimi* tantùm heredes, qui deficientibus mox dictis succedunt ut sunt cognati & propinqui, usque ad 10. gradum. 2do fit successio per testamentum.

DUBIUM 1. *An crimine aliquo gravi macu-*

lati, ob quod testari prohibentur à jure possint institui heredes, sivè per testamentum, sive ab intestato? ℞. *negativè*, unde qui Cardinales persequuntur, eosque percutiunt, & capiunt hæretici, apostatæ, credentes, defensores, receptores hæreticorum, si intra annum non pænituerint, non possunt instituti heredes, ut ex SS. Canonibus patet, præcipuè per cap. *excommunicamus §. credentes* de hæreticis ubi dicitur *sit intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hereditatis successionem accedat.* Unde Catholici possunt tales heredes excludere, & si impediantur vi, adversus eos possunt uti compensatione, quia jus non habent, illi tamen non tenentur hereditatem, vel legata restituere ante judicis sententiam. Ita cum Lessio Sa, Sanchez, Bonac: idem dicendum de illo committente crimen læsæ Maiestatis, cap *quisquis commilitibus de pænitentia*; Idem dicendum, de Iudæo, Saraceno, aut alio infideli. Ita Villalob: *p. 2. tract 30 diffi: 12. n. 6.* eadem incapacitate videntur laborare incestuosi cum Monacha 27. q. 1. Can: *si quis rapuerit, vel sollicitaverit* cum glos: & etiam simoniaci cum aliquibus 1. *q.* 1 glos: in summa, ubi de his dicitur. *quandoque spoliantur omnium bonorum.* Idem asseritur de infidelium communitate, & de hostium civitatibus quæ heredes institui non possunt, cùm impediantur à jure *lib: omnibus §. ad* Trebellianicam. Idem dicendum de his qui testatorem, vel intestatum interfecerunt. *lib: cum ratio §. 4. §. de bonis damnatorum*, imò qui tantùm negativè ad mortem illius concurrerunt, non succurrendo, cùm facilè possent. *lib: indignum §. de his, qua ut indignis:* quòd si tamen testator ante mortem injuriam remittat, reumque heredem, vel instituat, vel testamentum cùm posset, non immu-

tet,

est, poterit institutus, nisi aliunde excludatur, ad hereditatem admitti *lib: ult: C. de revocandis donationibus.* Item qui interfectorem testatoris cognitum sibi, si is erat de familia heredis, (nec tamen ejus pater, aut filius) ante apertum testamentum (nisi propter cognoscendum heredem fuerit aperiendum) & ante aditam hereditatem non accusat, punitionemque expectat *lib: penult: C. de his quibus indigni*: vel si is non erat de familia heredis, qui saltèm post aditam hereditatem, accusationem non intentat, ac persequitur usque ad punitionem interfectoris. Item qui defunctum vi, aut fraude prohibuit condere, vel immutare testamentum. Item qui usque ad ultimam sententiam, iniquè oppugnavit testamentum, *lib: alia causa C. de his quibus ut indignis.* Item qui testatori saltèm tacitè extra testamentum vel codicillum roganti promisit, se restituturum hereditatem, aut partem illius filio illegitimo, vel alteri, quem testator prohibitus est instituere. *lib: 3. in principio & §. cùm ex causa & lib: penult: ff. de jure fisci.* In his casibus post latam sententiam, hereditas devolvitur ad fiscum; fiscus tamen recipit obligationem exsolvendi debita defuncti juxta vires hereditatis & exsolvendi omnia legata *lib dicitur §. eodem* nisi ijs traditis non amplius remaneret fisco quarta pars totius hereditatis; hanc enim instar heredis instituti detrahere potest *lib: Marcellus §. ult: ff. ad S. C. Trebellianam.* Idem si is, cui heredes succedunt mente captus, vel furiosus fuerit illique hujus curam neglexerunt, hereditas devolvitur ad extraneum, qui ejus curam gessit. *authent: ut cum de appellatione cognoscitur §. cap. 3. §. si quis de prædictis*: si nullus curam gessit te-

ste Mol: *disp:* 76 in causa duodecima exhereda-
tionis, hereditas per sententiam judicis fisco ap-
plicanda est, quod colligit *ex lib: 3. ff. de his quæ*
ut indignis. Tandem si heredes 18. ætatis annos
egressi neglexerunt in captivitate defunctum re-
dimere, hereditas captivorum redemptioni per
Episcopum proprium defuncti applicanda est. *au-*
thent: ut cum de appellatione c. 3. ff. si unum de
prædictis.

DUBIUM 2. *An filius spurius, qui in jure dicitur omnis natus ex illicito coitu & punibili, seu de concubina, contineatur in serie allata inhabilitatis ad successionem hereditariam?* R. *nega-tivè. Quia licet filius spurius, nec successionis possit esse heres nec sanguinis. Nec habere potest hereditatis consortium qui non habet originis pri-vilegium 32. q. 4. Can. dicat aliquis* & glos. *Casus* in cap. *Venerabilem.* Qui filij sint legitimi *Ma-neres & spurij secundùm leges à paterna heredi-tate repelli debent.* Tamen præfati spurij possunt instituî heredes ab alijs extraneis, docet Panor-mit: in cap: cit *cùm haberet.* Ita Ang: v. *filius n. 3.* Molina, Henriqu: Iulius, Clarus, Bonac: & alij. Ratio, quia hoc non prohibent jura. Tum quia non prohiberi à jure posse parentes filijs ille-gitimis aliquid relinquere ratione alimentorum in cap. *cùm haberet.* Clemens III. respondendo in fine concludit; de parentibus adulteris in or-dine ad filios, illegitimos, dicens: *sollicitudinis tamen tua intererit, ut uterque liberis suis secun-dùm quòd eis suppetunt facultates, necessaria sub-ministret.* Neque Clemens contradicit. Inno-cent: III. qui cap: *per Venerabilem cit.* loquens de filijs spurijs eisdem negat alimenta paterna, quia talis negatio refertur secundùm rigorem le-

gum

gum ſecularium, ut patet in fine dicti cap: *ſecularibus quoque legibus negantibus ipſis etiam alimenta.* At Clemens ex glos: *ſecundum* in cap: *cùm haberet* loquitur *de benignitate Canonica, quæ vigorem ſumit à jure naturali, nam educatio filiorum de jure naturali eſt* 1. d *jus naturale; unde jus iſtud præfertur civili.*

Dices. Si pater inſtituat heredem Petrum, cum obligatione ut hereditatem reſtituat filio ſpurio, an talis diſpoſitio ſit valida? ℞. quòd licet talis diſpoſitio ſit illicita, eſt tamen valida, ſiquidem non fuit conditionalis, ſed abſoluta, cum ſolo modo, vel gravamine adiecto, quod gravamen cùm ſit contra leges, habetur tanquam non adiectum, ut bene advertit Lugo *de juſtitia d.* 24. *n.* 69. undè heres inſtitutus, poteſt hereditatem accipere & retinere, non tenetur tamen eam ſpuro tradere, cùm illa promiſſio fuit contra leges; ſi tamèn voluerit, poterit hereditatem ſpurio tradere non ex pacto præterito, quod nullum fuit, ſed ſponte ſua illud licitè poteſt efficere, & ſpurius poteſt licitè eam capere, & retinere, cùm eam non à patre, ſed ab extraneo accipiat. Ita Molina d. 169. & cum Leſſio, Sanchez, Lugo *d.* 24. *n.* 91. Diana *p.* 4. *tract:* 3. *reſol:* 121. Contra Salon, Soto, & alios. Et hic modus ſubveniendi ſpurijs maximè commendatur à Lugo, ſi fiat ſine tali pacto, ut ſi pater inſtituat amicum heredem, poſtulando ab eo ex benevolentia, ut poſt ejus obitum curam ſpurij habeat & ei provideat, ſicut ipſe provideret, quo caſu ſi heres inſtitutus hereditatem ſpurio tribuat, nec pater ſic diſponendo peccavit, nec ſpurius acceptando, cùm nihil à patre acceperit. Ita Lugo ſupra n. 91. & alij

DUBIUM 3. *An ſpurius ſubſtitutus pupillariter*

riter filio legitimo obeunti possit succedere pu-
pillo in bonis paternis virtute talis substitutionis ?
negant plurimi, quos refert & sequitur Sanchez
libi 4. consiliorum cap. 3. *dub:* 25.-*num:* 59. Ve-
rùm contraria sententia valdè probabilis est.
Et ratio est, quia sicut quòad alia bona pupil-
li potest pater pro ipso intra puberratem dece-
dente testari, ne intestatus obeat, ita potest quò-
ad bona quæ pupillus à patre habuit, cum hæc
non sint bona pupilli minùs, quàm alia & non
minùs expediat pupillum non mori intestatum,
quoad hæc quàm quoad illa, tùm quia pater
tantùm nomine pupilli testatur, nec spurius tunc
accipit à patre ea bona, sed à pupillo, nec ideò
quia fuêre bona patris, sed solùm quia sunt bo-
na pupilli. Jta Acosta apud Sanchez *supra n.* 3.

DUBIUM 4. *An pater possit instituere fi-*
lium spurium heredem sub conditione, si à Prin-
cipe legitimetur. ℞. *affirmativè* & quidem va-
lidè, & licitè, sic enim habetur *l. in tempus* 62.
ff. de hered. instit: Jta Molina *d.* 169. cum a-
lijs Sanchez *lib:* 4. *consiliorum cap:* 3. *dub:* 28.
Jmò potest etiam pater spurij dicere alteri ha-
benti filium spurium, ego instituam heredem
filium tuum, & tu institue filium meum, hæc
enim institutio valida esset, nisi obstaret Bulla
Pij V. qua revocatæ sunt hujusmodi instituti-
ones, quoad filios spurios Clericorum. Jta Na-
var: apud Molinam *d.* 169.

DUBIUM 5. *An spurius possit succedere ma-*
tri, si nulla alia proles supersit? Affirmant ali-
qui posse spurium retinere, quæ mater illi re-
linquit, donec à judice privetur, modo legiti-
mis filijs notabiliter non noceat. Jta cum Hen-
riquez Sa Lessio probabile putat Trulenc: *lib:* 7.
cap.

cap: 18. dub. 7. num: 6. spurijs tamen dantur alimenta, id est ea, quæ pertinent ad victum, vestitum, medicinas, habitationem &c: juxta qualitatem personæ, si aliunde non valeant sibi providere; unde pater quamvis sacerdos sit, potest filiæ spuriæ tradere dotem, quia dos in locum alimenti succedit. Molina. *tom: 1. d. 167.* Filliucius *tract: 34. num: 165.* Dixi si aliunde non valeant sibi providere: nam si spurius alimentis non indigeat, non potest pater ei aliquid relinquere. Ita habetur cap: *cùm haberet*, & cum Sanchez Vasquio, Molina tenet Escobar *lib: 38. Decalogi num: 426.* Et idem dicendum est, quando spurius habet aliqua bona immobilia ex quorum redditibus, non potest sufficienter vivere, potest tamen si ea vendat, ex pretio vivere emendo. v. g. Censum perpetuum aut vitalitium, vel pecuniâ illâ negotiando. An autem teneatur emere censum vitalitium? ℞. teneri si descendentes non habeat, nec speret habere Ita Escobar *supra num: 452.* Lugi *d. 24. n. 114.* Ex his.

Collige 1. Sicut spurij non possunt succedere parentibus, ita nec parentes, aut alij ascendentes possunt spurijs succedere *Authent: quibus modis natural. effic: §. si Filium Verò* Et patet ex jure Lusitano. Fratres tamen naturales aut spurij uterini sibi ipsis succedere possunt, secùs si non sint uterini, licet sint ab eodem patre, & quamvis sint legitimi, nisi aliter expressum sit in legitimatione. Ita cum Bonacina, Trulench, *supra num: 11.*

Collige 2. Hanc differentiam esse, inter spurium & filium naturalem, hic enim dicitur is, qui natus est ex parentibus non coniugatis sed

liberis,

liberis, nullum habentibus impedimentum dirimens tempore conceptionis; spurius verò, qui ortus est ex parentibus habentibus tempore conceptionis impedimentum dirimens, ut vult Bonacina & Covaruvias. Filij naturales possunt tam de jure communi, quàm Lusitano institui heredes universales, à parentibus non habentibus filios legitimos aut ascendentes, quibus legitima debeatur. Jta habetur *Authent de hered: ab intestato* Jmo in Lusitaniæ regno, filij naturales hominis mechanici succedunt patri in legitima, sicut alij legitimi, & moriente patre intestato, si alios filios legitimos non habeat, naturalis succedit in tota hereditate, nec pater potest testari, nisi de solo tertio, & si tantùm habeat filios naturales, aliter tamen dicendum est, in filijs naturalibus hominis nobilis: nam hi non succedunt, nisi ex testamento patris, nec pater si habeat descendentes vel ascendentes legitimos, potest eis aliquid relinquere, nisi ex tertio, quando solùm habet ascendentes, ut patet ex *eadem lege n. 8.* Denique matri carenti legitima prole etiam intestatæ naturalis succedit ex asse, hoc est in tota hereditate, si verò habeat prolem legitimam, cum illo succedit ex æquo *lib si qua illustris Cod: A. S. C. Orficiam* & colligitur *ex lib: nostra lib:* 4. *ordinationis tit.* 93. *an: fine.* & tenet Molina *tom:* 1. *d.* 166. Reginald: *lib:* 25 *n.* 626. Bonac: *de contract: d.* 3 *qu:* 17. *p.* 3. *n.* 12.

DUBIUM 6 *Qui Religiosi heredes institui, Vel non institui possint?* R. nequeunt heredes institui; vel ab intestato succedere professi Religionum incapacium hereditatis, ut sunt Fratres Minores de observantia, & Capucini in pu-

ritate

ritate regulæ S. Franciſci viventes. Ex ſacro-
rum Canonum probatur. De verb: ſignific: in
Clementina. *Exivi* de prædictis fratribus legi-
tur. *Quia agitur in ſucceſſionibus tranſit, non ſo-*
lùm uſus rei, ſed & dominium ſuo tempore in hæ-
redes, fratres autem præfati, nihil ſibi in ſpecia-
li acquirere, vel eorum ordini poſſunt etiam in
communi declarando dicimus, quod ſucceſſio-
nem hujusmodi, quæ etiam ex ſui natura indif-
ferenter ad pecuniam, & etiam ad alia mobi-
lia, & immobilia, ſe extendunt. [*conſiderata ſuæ*
puritate voti) *nullatenùs ſunt capaces &c.* Idem
de verb ſignific: *in 6 §. Porro* in cap: *Exiji*
& *§. Ad hæc.* Secùs eſt de Religioſis profeſſis
omnium ordinum mendicantium inter quos ſu-
mus nos Franciſcani Conventuales, quibus eti-
am jure novo Concil: Trident: *ſeſſ: 25. cap: 3.*
de Regular: permiſſum eſt bona immobilia in
communi poſſidere, heredes inſtitui, atque ab
inteſtato ſuccedere poſſe. Communiter Navar:
Comment. 2. Regul: num: 50. Clarus *qu: 24.*
Sanchez, Bonacina, Laymanus, Maſtrius, &c.
Multò magis hoc affirmandum de omnibus
hominibus, non tantùm ſingulis (licet amenti-
bus, ſurdis & mutis, prodigis, ſervis ut ſupra
diximus) ſed etiam communitatibus, Collegijs
niſi ſpecialiter prohibeantur. *Ex. l. 1. C. de*
SS. Ecclesijs. Et iſtorum alij ex vi teſtamenti,
qui poſſunt eſſe varij juxta teſtatoris volunta-
tem, & ſuccedentium conſanguinitatem, alij ab
inteſtato, qui vel ſunt deſcendentes ut filij,
vel aſcendentes ut pater, avus, proavus, aba-
vus, vel collaterales, ut fratres & ſorores *ut in*
l. Quia igitur §. ſi igitur defunctus. Quando
tamen Religioſus inſtituitur heres, immediatè
ipſo

ipso jure defertur Conventui, absque facto aliquo ipsius Religiosi, quia monachus nullum habet jus proprium, quando acquirit, non sibi sed monasterio acquirit. Trullenc: supra num: 3.

DUBIUM 7. *An Religiosus possit institui heres solo nomine ad effectum, ut distribuat hereditatem in pauperes, non obstante repugnantia superioris, & ingerendo se in ea faciat contra votum paupertatis?* R. *affirmativè.* Quando ad eum nihil pervenit, sed totam hereditatem, habet distribuere, quia per talem institutionem sibi nihil appropriat, unde nec facit contra votum suum, in quo casu dicitur solo nomine heres, non autem re, si nihil sibi lucretur. Colligitur ex cap: *Cùm sibi de testam: lib. id quod pauperibus C. de Episcopis*, & ex allegatis à Diana *p. 8. tract: 3. resolut: 127.* Vericell: *tit: 3. qu: 33. n. 1.* Verùm quidem est, quod licentiam petere debet à suo superiore exequendi voluntatem testatoris, quia in hoc casu est potiùs executor & testamentarius, quàm heres, Religiosus autem eam commissionem acceptare, nec exequi potest, nisi de licentia superioris, ex cap: 2. *de testam: in 6. & Clemen: un: eod:*

DUBIUM 8. *An posit quis in testamento tutâ conscientiâ, instituere extraneum heredem, suis consanguineis & affinibus prætermissis?* R. *affirmativè*, deficiente patre respectu filij & filijs respectu patris, quia isti se adinvicem de jure instituere debent, vel saltim non se exheredare sine justa causa, alias testamentum erit nullum, nàm hæc conditio est essentialis testamenti, nimirum, quòd si instituatur heres is, qui de jure institui non debet, testamentum est invali-

invalidum, *ex l. quoties ff. de heredibus instituendis*, excepto tamen milite, qui heredem etiam, personam incapacem instituere potest, non verò concubinam *l. miles ff de militar: testam*, Quod tamen non procedit de fratribus in linea transversali adinvicem consideratis, nisi fortè instituta fuerit heres, aliqua persona turpis, puta concubina. Quarè respectu aliorum consanguineorum, si in extrema necessitate non existant, nulla adest lex obligans, quod aliquid eis testamento relinquatur, & alioqui persona quæcunque privata, communitates, monasteria, civitates, &c. validè & licitè in prædictorum defectu heredes institui possunt. Ita Bonac. *de contract: disp: 3. qu: 17. punct: 5. num: 1. vers: prima est*, & *vers: secunda ratio*. Diana 1. *p. tract: 8. resol: 85.* Sylvester *V. hereditas n. 2.*

§. IV.

Quoad causas exheredationis.

DUBIUM 1. *Quæ sint causæ ob quas parentes possint filios exheredare?* ℞ referuntur 14 causæ, quarum singulæ sufficiunt, si in testamento expressæ, vel à testatore, vel ab herede probatæ fuerint, ut heres necessarius legitimè exheredetur. *Prima*. Si quis parentibus suis manus intulerit, intellige per violentiam graviter injuriosam, qualis nimirum requiritur, ad excommunicationem inijcientis manum in Clericum. *Secunda*. Si gravem & inhonestam injuriam eis ingesserit v. g. contumeliam, quæ considerato statu personarum, & alijs circumstantijs, secundùm prudens judicis arbitrium gravis censeretur.

Tertia,

Tertia. Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversùs Principem vel Rempublicam. Extendit hanc causam Covarr. cap: *Raimutius in principio num*: 10. etiam ad testem non coactum contra parentem in hujusmodi crimine, quod saltem exilio perpetuo, membri amissione &c. puniendum esset. *Quarta* Si cum maleficis hominibus ut maleficus versetur, quod intellige collectivè, id est si illis se intermisceat. *Quinta* Si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit: Quod Covarruvias *loc: cit: num*: 13. explicat cum hac limitatione, nisi pænitentiâ ductus antequam scelus detegeretur, destitisset. & cum hac extensione, ut etiam moraliter tantùm cooperantem, aut venenum in hunc finem parantem comprehendat. *Sexta.* Si novercæ suæ aut concubinæ patris filius sese immiscuerit: quod intellige juxta jura de unica ad corporis usum domi retentâ & à filio agnitâ, idque multò magis de própria matre accipiendum est. *Septima.* Si delator contra parentes filius extiterit, & per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere: intellige in sensu collectivo de judiciali delatione, & dispendijs honoris, vel bonorum temporalium actu secutis, in quo differt ista, à tertia causa non exigente, ut damnum in bonis corporis actu sequatur. *Octava* Si filius (excipitur tamen filia etiamsi dicas, feminas ex privilegio velleiano fidejussores esse posse) pro persona, aut debito patris in vinculis detenti rogatus, & idoneus fidejussionem præstare recusaverit. *Nona* Si quis prius volentem facere vel immutare testamentum violentèr, aut dolosè impedivisse comprobetur, v. g. remorando tabelli-

onem

onem vel testes: quod si nec postea testamentum facere aut immutare parens potuerit portio sic impedientis ad fiscum devoluitur, & passis damnum tenetur in duplum. *Authent: ut nulli judicum 134. cap: 3. §. & hoc pervenit*, si autem solvendo non sit, debet saltem ex hereditate illis tantùm restitui, quantùm constiterit defunctum ipsis voluisse pro parte hereditatis, aut legati assignare ut patet ex primo cit: Novar: 115. *Decima.* si præter, id est contra voluntatem parentum arenariorum, vel minorum munus quis susceperit & in eo permanserit. *Vndecima.* Si filia, aut neptis potens impetrare maritum & competentem dotem ante 25. annum completum, luxuriosam vitam degere elegerit, (id est non tantùm occulta, sed publica & communis meretrix fuerit) vel invitis parentibus ante, aut post 25. annum mancipio nupserit. *Duodecima.* Si filius, aut filia parentis furiosi (intelligo probabiliter quomodocunque mente capti) curam neglexerit, potest sibi restitutus, tam ingratam prolem exheredare. *Decima tertia.* Si filius, aut filia 18 ætatis annos egressa parentem à captivitate redimendi fecerit, pro qua redemptione conceditur ipsi potestas celebrandi firmum contractum, venditionis bonorum, tàm immobilium, quàm mobilium. *Decima quarta.* Si à fide Catholica perentum quispiam defecerit; ad eam tamen redeunti pars competens ab heredibus erit reddenda sine compensatione damni interea tolerati.

Quares 1. Utrum testatore per mortem prævento propter causam aliquam ex prædictis sufficienter probatam liceat heredibus reum ab hereditate excludere? ℞. *negativè*, cùm neque parer possit, nisi expressâ causâ in testamento, ut patet ex *cit: authent.*

Quæres 2. An causa exheredationis per pænitentiam delinquentis vim suam omittat? R. contra Panormit, Sylu: & plures alios cum Covar in cap. *Raynutius n. 18. & 19. negativè*; quià pænitentia valet tantùm, in foro interno, non externo: ex speciali tamen privilegio vim suam amittit per professionem Religiosam, *juxta cap ult: 19. q. 3. & constitut. Novel: 123. cap: 41.* tametsi hæc in aliquibus codicibus non reperiatur.

Quæres 3. An præter recensitas exheredationis 14. causas ob aliam causam æquè gravem, vel graviorem liceat parenti exheredare filium? Affirmat communis sententia, nominatim Covar: cap. *Raynutius de testamento n. 16.* Iulius Clarus q. 41. Carol: Molin. probabiliùs negat Hostiensis, Alexander, quos sequitur, Molin: *disp: 176.* omissis autem cæteris rationibus, quos citatus author optimè adducit nobis sufficiat textus Novel: *115. cap: 3. in principio*, ubi dicitur necessarium esse perspeximus eas (causas) *nominatim præsenti lege comprehendere, ut præter ipsas nulli liceat ex alia lege.* multò magis omissas (omni lege) *ingratitudinis causas opponere nisi quæ in hujus constitutionis serie continentur.* Undè idem videtur dicendum de causis exheredandi ascendentem, ita ut neque propter reliquas, quæ ex prioribus quatuordecim, omissæ sunt, liceat exheredare; aliàs opus non fuisset aliquas specialitèr repetere, & alias omittere.

Quæres 4. An sicut tacitè, vel expressè remissâ exheredationis causâ, probabiliùs pater non potest ampliùs exheredare filium, quia deficit causa, sic si post factam exheredationem, culpam ingratitudinis remittat, testamentum annuletur, propter

propter supervenientem defectum causæ? affirmant Bartol; *lib: 1. §. de adimendis legatis*, distinguit Covar: cap. *Raynutius a. n 27.* affirmans in expressa, negans in tacita remissione; absolutè negat Molin: *colum 731.* sed propter quærelam inofficiosi peti posse rescissionem; rationem autem absolutæ negationis reddit *ex l. filio quem pater § de liberis & posthumis*, ubi exheredato filio emancipato expressè dicitur exheredato adhuc nocere, etiamsi culpa per adoptionem in filium remittatur; verùm respondere posset ex ratione immediatè subjunctâ, ideò nocere, quia cùm ad valorem adoptionis requiratur, ut adoptatus non sit filius naturalis, sed extraneus, ideò per adoptionem invalidam, non censeri etiam tacitè remissam causam exheredationis: undè potiùs inclinandum est in primam sententiam Bart: quia sicut, ut exheredatio initio sit valida, requirit existentiam causæ, sic etiam, ut perseveret esse valida, videtur requirere perseverantiam causæ.

§. V.

Quoad valorem.

DUBIUM I. *Qualis sit optimus & validus testamenti modus?* R. tunc esse quando testamentum sit clausum, & postea traditur Notario, & Iudici coram septem testibus signandum eorum sigillis, affirmando illam esse ultimam voluntatem, ita Couar: in cap: *Relatum de testament: n. 1.* Armil: verb: *testam: num: 5* & alij. Et hoc modo dissensiones rixæque vitantur, quæ inter consangvineos accidere solent, quando testamentum publicè conditum est, in quo sufficiunt, quin-

que testes, Covar: *lib: cit:* & hoc est de jure regio. Eman: Sà. *Verb: testam: n. 9* ubi affirmat, sufficere etiam tres testes cum Notario, quando alij non reperiuntur. In testamento nuncupativo, scilicet quando non fit scripto, sed sola voce nominantur heredes, est faciendum coram septem testibus rogatis. Ita Covar: *C. cum esses lib: cit.* Molina *disp: 126.* Eman: Sà, ubi etiam affirmat, cùm difficile est habere in testamẽto septẽ testes, sufficere quinque. Item si fiat ab habitante rure, verùm standum est consvetudini locorum, & civitatum, quæ omnia ad peritos Notarios spectant. In codicillo verò sufficiunt quinque testes, etiam non rogati, etiamsi sint feminæ: at inter liberos vel inter milites in bello, sufficiunt duo testes: si verò codicillans erit cæcus, necessariò requiruntur septem testes cum Notario, sicut de testamentis clausis dictum est. *lib: ult: C, de codicillis testam; n. 2. Ver: sexto.*

DUBIUM 2. *An testamentum scriptum à parocho vel confessario, & subscriptum à testatore tantùm (deficientibus Notario & testibus) validum sit?* R. *negativè,* cum Navara, esse invalidum in foro externo, etiam in statu Ecclesiastico; tamen legatarius potest sibi tutâ conscientiâ retinere legatum. Et ratio est, quia licet testamentum sit minus solemne; tamen constat de voluntate testatoris. Navar. *tom: 1. consiliorum de testam: lib: 3. consil: 1 per totum.* undè vidua potest sibi retinere, quidquid à viro suo relictum fuit, nedum per testamentum minus solemne, verùm etiamsi oretenùs sibi aliquid reliquit; imò sufficit sibi constare de voluntate testatoris, ut licitè possit sibi retinere. Sylvestr: *V. heredit: n. 7.* licet in foro exteriori possint omnia ei tolli ab here-

heredibus per judicis ſententiam. Ita Navar: *lib: cit: n. 2 in fine.* Item teſtamentum, & omnis ultima diſpoſitio ad pias cauſas valet ſine ſolennitate juris, & ſine inſtitutione heredis. Et valet, quantùm ad legata pia; imò ſecundùm quoſdam etiam non pia, ſufficiuntque in eô duo teſtes, etiam non rogati, etiamſi ſint feminæ, vel ſcriptura ipſius teſtatoris. Covar: *in c. relat. 1. de teſtam: n. 5. 8. & 12. & alij.*

DUBIUM 3. *An valeat teſtamentum vel codicillus factus, ab excommunicato vitando vel ſi heredem excommunicatum vitandum inſtituat?* R. *affirmativè.* ex cap: *veritatis de dolo & contum:* & ex cap: *decernimus de ſent: excommunic: in 6.* Tum quia aliàs nulla lex id validè prohibet fieri. Tum etiam, quia hi actus, non ſunt actus juriſdictionis à quibus excommunicatus ſuſpendatur. Hoc tamen intelligitur, modo teſtator non ſit excommunicatus propter hæreſim, vel propter favorem ad illam præſtitum, & per annum in excommunicatione inſorduerit C. *excommunicamus 1. §. credentes de hæreticis*, vel niſi ſit excommunicatus propter percuſſionem, vel hoſtilem Cardinalium inſecutionem, vel item niſi ſit uſurarius manifeſtus, & non obſervet ea quæ *in cap: quanquam de uſuris in 6.* fieri præſcribuntur, cùm tales excommunicationes, inhabiles prorsùs ad teſtandum per hujuſmodi jura reddantur. Ita Suarez *tom: 5. diſp: 15. ſect. 9* Henriquez *lib: 13. de excommunic: cap: 7. n. 7. & lit: G. in corpor:* & plures alij.

Dices ſicut validè, ut præcedenti dubio dictum eſt, ita etiam licitè excommunicatus vitandus, teſtamentum facere, ac heredem etiam vitandum inſtituere poſsit? R. *affirmativè*, ſi hereditatis inſtitutio,

stitutio, vel testamentum in instituti utilitatem cedat; tunc enim omnes, etiam tabellio, testis, institutus, &c. propter circumstantiam utilitatis excusantem, ut patet in illo versu, utile, lex humile, &c. excommunicationem minorem ob participationem evadunt, nam excusatur principalis, scilicet is, in cujus favorem testamentum cedit, excausantur etiam consequenter omnes illi, qui ad testamentum validè faciendum necessarij sunt, cùm concesso principali, conceditur etiam & accessorium *ex Regul: juris in 6.* sin minùs nulla intercedat utilitas, vel (secundùm quod sentit Avilla infra citandus, quantùm attinet ex parte testatoris) absolutio facilè impetrari possit, omnes quidem excommunicationem minorem ob participationem contrahunt *ex extravaganti ad evitanda*: testator autem & institutus (si testator ex sententia Avillæ, ut mox dictum est excommunicationis absolutionem facilè impetrare potuit) sunt excommunicati, venialitèr solùm peccant communicando cum alijs, absque ulla prorsus necessitate, qui sanè mortalitèr peccarent, si materia gravis esset, id est si aliquem actum jurisdictionis exercerent Filliuc: *tract: 12. n. 209.* Avilla *2. p. c. 6. disp: 8 dub: 1. vers: prima opinio, & dub: 2. in respons: ad primum & disp: 6. dub: 6. versu petis utrum.*

DUBIUM 4. Dictum fuit dubio præcedenti, quòd in causis pijs pro validitate testamenti duo testes sufficiunt; quæritur an hoc numero testium deficiente; vel quoad causas profanas; deficiente testium numero vel alijs solennitatibus, de jure civili requisitis, testamentum validum sit? R. *quoad primum*, in ordine ad validitatem pro foro externo esse invalidum, etiam in statu Ec-
clesia-

clesiastico *in dub: 2.* hic diximus, (in ordine verò ad forum conscientiæ; secundùm probabiliorem sententiam, adhuc tale testamentum validum esse, cùm lex non irritet aliter factum, in quo casu sola voluntas testatoris ad dominium transferendum sufficit. *Ad adam verò partem*, idem respondeo in ijs casibus, in quibus lex non irritat, aliter factum; nam si illud irritet hujusmodi solennitates & testium numerus censetur appositus tanquam forma in ordine ad dominium transferendum, ac proinde nec testamentum, nec alius contractus, ijs deficientibus, validus erit. Ita Filliuc: *tract: 34. n. 154. 155. & 156.* cum Covar: *in cap: quamvis pactum p. 2. §. 4. num: 4.*

DUBIUM 5. *An dentur casus, in quibus minori testium numero, quàm septem qui de jure civili §. si instit: in testamento requiruntur, ad illius, vel alterius dispositionis ultimæ voluntatis validitatem sufficiat?* R. *affirmativè*, & quidem: *Primò*: in testamento ad pias causas, & facto inter liberos ut dictum est supra. Ita *Eman: Sa Verbi testam: n. 15.* *Secundò*: in testamento militis facto in tentorijs, in quo duo testes sufficiunt, & in conflictu hostium sufficit si ipse solus sangvine, vel attramento illud in clypeo, vagina, &c. scribat, manusque probetur *lib: miles C. de testam: milit.* Tuscus. *Ver: testam: milit: Concl: 119.* *Tertiò*: in eo loco, ubi, quòd minor testium numerus requiratur, est usu receptum, *Quartò* in testamento facto ruri, vel in villa, vel in alio loco ubi plures testes, haberi nequeunt quàm quinque *lib: fin: C. de testam:* quod idem de testamento facto tempore pestis est asserendum. Molfes. *in sum: 2. p. c. 2. n. 136.* *Quintò*: in testamento facto coram principe, vel judice, vel pa-

rocho, vel alio sacerdote ejus munus & officium supplente, in quo duo, vel tres testes sufficiunt. *lib: omnium C. testam*: Eman: Sa *cit: n. 13.* Bonac: *de contract: disp: 3. quaest. 17, punct: 5. n. 4.* *Sextò*: in testamento parentum etiam cæcorum, inter filios & eorum descendentes, in quo sufficit, si pater illud scribat, vel subscribat, etiamsi nullus testis adsit, vel si coram duobus testibus, suam voluntatem exprimat *lib: hac consultiss: C. qui testam: face poss. §. 1. ex impres:* Sylvester & alij. *Septimò*: in codicillo, in quo quinque tantùm testes requiruntur, nisi sit codicillus militum cæcorum, vel factum inter liberos, tunc enim tot testes in eo requiruntur, quot in eorundem testamento *leg: ult: Cod: familiari* Bonacina, *lib: cit: punct. 1. n. 4.*

DUBIUM 6. *Cujus qualitatis debeant esse testes de jure civili ad validitatem testamenti requisiti?* ℞. debere esse; *Primò*, puberes, ut alibi diximus: sed in testamento militis, inter liberos, & ad causas pias sufficit, si sunt pubertati proximi, qui pro talibus communiter habentur masculi, si decimum annum cum dimidio excedant; feminæ verò novem cum dimidio, quòd sane judicis arbitrio determinandum relinquitur. Ita Sanchez de matrim: *lib: 1. disp: 51. n. 24.* Molin. *tract: 2. de just: & jur: disp: 125. initio.* Bonac: *dub: praecedenti citi punct. 5. n. 3. vers: sed redeamus.* *Secundò*, non debent esse servi, vel saltèm haberi pro servis Reginald: Fillinc: *Tertiò*, non debent esse feminæ, quæ tamen in testamento ad pias causas admittuntur; item in testamento militis & inter liberos, in codicillis, & in testamento, ubi apponitur clausula codicillaris in testamento facto ruri, & tempore pestis, cùm plures

quinque

quinque testibus haberi nequeunt, vel quando non ad testatoris voluntatem probandam, sed ad illam declarandam assumuntur. Eman: Sa. *Verb: testam: n.48.* & 22 Bonac: *lib: cit: Vers: sextus significat*

DUBIUM 7. *Si infirmus, cum omnibus de jure requisitis testari incipiat, & inter testandum moriatur, an testamentum validum sit?* R. *cum distinctione & declaratione*; quod si id, quod incipit testari, erit completè dispositum quoad legata pia, nimirùm si infirmus post dispositionem, exprimere inceperat conditiones quibus legatum adimplendum erat, easque completè expresserat, tale testamentum quoad legata pia valet, etiamsi illud non principalitèr sed incidentèr seu minùs principalitèr quoad legata pia testator facere intendisset, quia in legatis pijs sola testatoris voluntas verbo, vel scripto coram duobus saltem testibus (ut esset in hoc casu) ostensa attenditur; & cum testamento, in quo disponitur de causis pijs, & non pijs, non valet ob aliquem defectum quoad dispositionem causarum non piarum, valet tamen quoad dispositionem causarum piarum, si solennitas, pro illa requisita, in testamento concurrat: secus verò si testator conditiones exprimere inceperit, & moriatur, quia tunc infirmus non censetur legare, nisi dependentèr ab illis conditionibus, cum quibus disponere cæperat: ergò cùm eas exprimere non possit, simplicitèr legasse non censetur, si verò erat perfectè dispositum, quoad nonnulla legata non pia, & testator alia etiam legare, & ulterius procedere volebat testamentum nullum est: nam in legatis non pijs, non attenditur solùm voluntas testatoris exterius significata,

ficata, prout in testamento ad causas pias, sed validitas testamenti, dependet à conditionibus à jure, ad ejus validitatem præscriptis, inter quas una est, ut testamentum sit quoad omnia substantialia scilicet quoad omnia, de quibus in eo disponendum est, completum, quod non accidit in hoc casu, si verò dubitetur an testator ulterius procedere, & alia etiam disponere voluisset, testamentum validum est, prout habetur *ex leg: si is cui ff. de testament:* cùm in dubio tenendum sit, ut actus valeat, *leb: quoties ff. de rebus dubijs,* ac proindè ut testator alia disponere noluisset, quia sic actus id est infirmi dispositio valet Et ex his omnibus patet, quomodò intelligi debet id quod dictum fuit, usu rationis carentes, nimirùm quod qui testari incipit, & antequàm testamentum absolvat, in amentiam labitur, illius testamentum nullum erit.

An autem si testator jusserit vocari Notarium, & testes ad finem disponendi hoc, vel illud pro causis pijs, ita ut multi fide digni id audiant, ac de ipsius voluntate fidem faciant, & interim antequam vocatus perveniat, infirmus moriatur, ejus dispositio quoad causas pias, certè nulla est, si dixerit se velle legare aliud enim est, velle legare aliud verò defacto disponere: primus actus non est executioni positus, & non valet: secundus verò est positus, & valet, si verò dixerit, ego actu dispono hoc, illud &c. pro causis pijs puta ad hunc & illum effectum pium, & his dictis antè adventu Notarij ipsius jussu vocati, moriatur, ejus dispositio valet, ratione qua supra, quia scilicet voluntas testatoris, etiam verbo expressa, coram duobus saltèm testibus (quos Sanchez infra citandus asserit, etiamsi sint feminæ, vel infames de

jure

jure inhabiles ad testificandum quoad dispositionem hujusmodi causarum piarum habiles esse } subsistit. Ita Gomez *lib: 3. Tauris n. 18. & 19.* Sanchez *in consilijs tom: 2. lib: 4. c. 1. dub: 9. & dub: 7. &* Covarr: *apud ipsum cum Layman & alijs.*

DUBIUM 8. *An valeat testamentum factum à morituro ad pias causas, etsi alterius arbitrio committatur ut v. g. si dicat: Instituo heredes bonorum meorum pauperes, quos Titius elegerit.* ℞. *affirmativè.* Item valet legatum ad pias causas, etsi in liberam alterius voluntatem conferatur sub hac forma v. g. *Lego centum aureos alicui puellæ in dotem, si Titius aut heres meus voluerit.* Ita DD. communiter in cap: *cum tibi de testamen:* Jul: Clar: *quæst: 6. n. 5.* Lessius *de justit: lib: 2. cap. 19. dub: 8. in fine.* Quod si testator dicat: *Committo omnia bona mea arbitrio, vel dispositioni Titij.* Tunc Titius heres nudus, ac solo nomine censetur atque òbligatus totam hereditatem in causas pias distribuere. Ita Clar: *l. cit.* & alij: penes Dianam *p. 5. tract: 6. resol: 127.* ubi notat posse moriturum in suo testamento committere etiam Fratribus Minoribus nominationem executorum sui testamenti, & ipsi nominare possunt cum licentia superioris, sed de his infra.

DUBIUM 9. *An moribundus qui relinquit plus uni; quàm alteri filio validè faciat?* ℞. *cum distinctione*, si id facit justè cum causa justa validè facit, si sine causa, facienda est difficultas, quia peccat. Ita Layman *lib: 3. sect. 5. tract: 5. cap. 5. n. 13.* quamvis jus civile obliget parentes, ut relinquant liberis certam portionem tantùm unde plus uni, quàm alteri ex vi dicti juris possent

telin.

relinquere. Causa autem requisita nè peccent, erit si v. g. unus filius inter alios sit de testatore domesticis officijs, ac obsequijs magis bene meritùs &c. Non erit tamen justa causa, si v. g. plus relinquat filio primi matrimonij, quia primam vxorem plus dilexit quàm secundam &c.

DUBIUM 10. *Si quis incidat in articulum mortis, in loco ubi non potest condere testamentum, & velit relinquere aliquid Ecclesia, an tale testamentum valeat, si relinquat scripturam subscriptam manu propria?* ℟. cum Diana *p. 5. tract: 3. resol: 119. affirmativè.* Saltèm in foro conscientiæ. Imò in tali casu posset confessarius non solùm pro legatis pijs, sed etiâm absolutè, si adessent duo testes, facere, ut moribundus testamentum conficiat; nam testamentum factum coram parocho, & duobus testibus valet in utroque foro in terris Ecclesiæ ex cap. *Cum esse de testamen:* & ubique terrarum valere tale testamentum in foro conscientiæ, probat latè Paulus, Comitol: *lib: 7. quæst: 7. à num: 5.* (etiam sine præsentia parochi) & docet D. Antonin: *3. p. tit: 1. cap. 3. §. 14.* & alij dicentes esse communem apud Dianam *loc: cit* addentem, quod testamentum ad pias causas manu testatoris factum sine testibus est validum in foro conscientiæ, sicut & ad causam profanam factum sine solennitate juris.

DUBIUM 11. *An damnatus ad mortem propter aliquod facinus, si condat testamentum coram duobus testibus, valeat tale testamentum?* ℟. dent: aliqui valere in foro conscientiæ, undè heres poterit bona retinere, dùm non compellitur per Judicem bona fisco tradere. Ita Valer: *in differen: utriusque fori ver: testamentum differ: n. 7.* In foro verò externo vidètur non valere, dicendum

tale

tale testamentum, quià tales per præfatam sententiam perdunt ea, quæ juris civilis sunt, ut patet *ex l. quidam sunt ff. de pænis*, & per consequens amittunt testamenti factionem quæ est juris civilis *l. testam: ff. de testam*: Verùm Lessius *de just: lib: 2. cap. 19. dub: 4. n. 49.* & Becanus *p. 2. tom: 3. cap. 7. quæst: 4.* advertunt, quod in testamento damnatorum ad mortem, habenda est ratio locorum, & consvetudinum, quia jus digestorum ubique non servatur. Imo ex Iulio Claro notat Malderus *in 22. tract: 1. cap. 11. dub*: 3. Consvetudinem esse in contrarium; nam ferè ubique consvetudo obtinuit, ut quando damnati bona non publicantur, condere valeat testamentum & firmum prius maneat conditum; & si non condat, heredes ab intestato habeat successores.

DUBIUM 12. *An testamentum minus solemne quoad piam causam principaliter conditum valeat non tantùm quoad relicta pia sed etiam legata non pia secundariò inserta?* Dubium considerabile ob gravium auctorum opiniones. ℞. cum Bonacina *disp: 3. q. 1. p. 3. n. 16. Contractibus in genere* & nostro Bonaventura de Iano *tract: 4. de Contract: in genere tit 5. num: 105. negativè.* Ratio est, quia heres seu legatarius absque legato, profano procedere potest ad satisfactionem pricipalis impositam à testatore, & satisfactio unius non infert satisfactionem alterius. Tùm quia Lex Canonica statuit validitatem testamenti minùs solemnis ad pias causas minimè ad profanas, ergò non connectuntur. Tùm quia, idem juris non est in lagato pio, & profano, cùm eadem ratio non sit in utroque casu, ut patet ex mox dicendis, ergò legatum profanum

non

non est accessorium legato pio. Tùm quia de decimis cap. ex parte glos: casus in fine. *Privilegium non debet ad aliud extendi quàm ad ea quæ continentur in ipso.* Ex privilegio Canonico contingit quod testamentum minus solemne ad pias causas sit validum, hinc non debet extendi ad alia in eo non contenta, ut sunt legata profana. Tùm quia de regul: à pari reg: *utile* 37. *in* 6. ibi dicitur quod *ex causa prætertitionis, vel exheredationis, liberorum irritum est testamentum, quantùm ad institutionem,* scilicet, alterius heredis cætera namque scilicet quæ ibi legantur *firma permanent.* ergo similiter testamentum minus solemne quoad pias causas erit firmum, irritum quoad profanas. Tùm tandem, quia legata ad pias causas & profanas subsunt dispositioni juris civilis, quod irritat contractus celebratos sine solemnitate.

Dices. Testamentum esse validum etiam quoad legata profana in illo contenta, maxime, quia accessorium sequitur principale; subsistente ergò principali ipsius testamenti minus solemni quod est validitas quoad pia legata, subsistit etiam minus principale scilicet quoad profana. R. cum nostro *loc; cit;* Patre Bonaventura de Iano hanc rationem non convincere, & quidem falsum supponere supponit enim legata profana, in dicto testamento inserta, esse quid accessorium ad legata pia, ut quid principale; nam ex sacris Canon: legata profana minus principaliter expressa in testamento minus solemni principaliter facto quoad piam causam, nequaquam sunt accessorium ad legatum pium: nam de officio & potestate Judicis delegati cap. *prudentiam gl. Explorati* ibi explicatur natura accessoris, ut scilicet sit illud, sine quo principale procedere non potest ex gr: ali-

sicut Judici delegato committitur una causa, intelligitur commissum omne, quod spectat ad illam terminandam, sine quo principale ipsius causæ procedere non potest, & tale dicitur accessorium; unde inquit Cælestinus 3 *cap. supra cit: 5 sexta nobis in fine. Explorati quidem juris existit, ut delegatis judicibus. quibus principale committitur & accessorium committatur* Idem intendit Alex: *III.* cap. *Præterea* eodem tit: & glos: *Ex eo* explicat naturam principalis, & accessorij quæ sunt connexa & subdit. *Idem juris est in utroque connexorum, ubi alterum sine altero esse non contingit, & ubi eadem ratio est, in utroque casu.* Item de Constitut: cap. *Translato* in summa & in gl: *Vel sic. Quod de uno connexorum statuitur ad aliud connexum extenditur* & gl: *Quod de uno ubi eadem est ratio, ibi debet esse idem jus*, seu eadam legis dispositio Ex his.

Collige 2. ex nostro Bonaventura de Iano in sacris Canonibus optimè fundato *loc: cit: n. 106. & 107* ubi probat testamentum ad pias causas, & testamentum ad non pias, seu profanas hæc duo non esse connexa; nam primum ad pias causas, inter testamenta privilegiata connumeratur; ad non pias causas non connumeratur; unde diversa ratio est in utroque casu. v. g. Testamentum privilegiatum est quod à parentibus, aliovè utriusque sexus ascendente inter liberos conditum est, ut tactum est supra, ad hoc paritès ut de tastamento ad pias causas &c: pro ejus validitate solemnitas extrinseca non est necessaria Gl: *improbamus* in cap. *Cum esses* De Testamentis. De Regul: juris *40. Pluralis in 6.* Et Constantinus Imperator *in l. ult: c. famil: herciscundæ. Defuncti. (scilicet parentis) dispositio*

custodiè

custudiatur, etiam de solemnitate legum, etiamsi solemnitate legum fuerit destituta. Postea Theodosius Imperator in l. hac consultissima c. de testamentis habet. *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos à parentibus, utriusque sexus habeatur, non volumus.* Solemnitas igitur legalis, septem testium, qui sunt rogati, masculi, vel feminæ &c. non est necessaria in d. testamento, docet etiam *Clarus q. 8. Mol: disp: 128* Andreas Fachineus, & alij. Ratio etiam aliqua afferri solet, quia liberorum, quibus naturali jure hereditas debetur, per se magnus favor est; ac etiam, quia charitas fraterna inter eos omnem suspitionem fraudis expellere debet, ob quam impositæ sunt in testamentis solemnitates juris.

Collige 2. ex eodem. In testamento militis in bello, neque est necessarius legitimus numerus testium, sed sufficit ut suam voluntatem ultimam verbo, aut scripto declaret, modo per duos testes etiam non rogatos probari possit *l. milites c. de testam: milit:* si tamen: extra bellum, sed simpliciter in castris testetur, requiritur convocatio, & rogatio, duorum testium, ut voluntatem testatoris audiant ex gl: *supra loci cit: v. sub ipso tempore.* Item in testam: rustici in jure facto, ubi plures non possunt conveniri, sufficiunt quinque *De reg: juris Pluralis 40. in 6. aliquando quinque ut in testamento rustici, ut in municipijs & villis ubi est hominum raritas.* Et in locis istis si literati non reperiantur, testium subscriptione non est opus. Item in eadem serie privilegiatorum testamentorum est, testamentum factum coram Imperatore, seu alio Principe supremo, libello sibi porrecto, in quo ultima vo-

luntas descripta sit, nulla testium solemnitas requiritur *l. omnium c. de testamentis*: Si verò Principi non sit libellus oblatus, sed voce heres declaratus, vel libellus non reperiatur; tunc duo saltem testes requiruntur, qui probent, defuncti voluntatem, Principi insinuatam fuisse, porrectis precibus, voce, vel scripto *l. omnium citat: Quid dicendum de testamento, tempore pestis, pro quo nullum extat privilegium?* ℞ cum Claro, Mascardo Molina, Layman, & alijs: *cum distinctione*: inspecto juris rigore, etiam pestis tempore septem testes requiri ad testamenti validitatem, licet non necessariò simul congregatos, sed singulos, separatim ad ejusdem publicationem & subscriptionem

Dices. Lex non obligat illos qui eam servare non possunt. ℞ hanc rationem non habere locum in legibus infirmantibus, sicuti est lex Imperatoris de numero testium, constat ex alijs juribus, tum *ex l. casus c. de testam*: & *cit: l. ultim*, ubi statuitur quinque testium pro rusticis testantibus in villis &c. quod si tot eo loco haberi non possint, adhuc tamen irritum declaratur testamentum, quia vis legis infirmantis, se extendit etiam ad eos, qui invincibili ignorantia, aut alio justo impedimento detinentur. Vt in materia de legibus dictum est, *inspecto juris rigore*: nam secundùm æquitatis rationem absolutè tenendum auctores existimant, præcipuè noster cit: Bonaventura de Iano: cùm Notarius & testes, secundùm jus commune Cæsareum haberi non possint tempore pestis, defectum juris solemnitatum, non invalidare testamentum, dummodo declarata voluntas defuncti, liquido pateat; hinc praxis in camera Imperiali est recepta,

ut

ut testamentum coram duobus, vel tribus testibus, peste valdè grassante conditum valeat & ipsemet confessarius, potest esse testis; testamenti enim favor magnus est arg: *lib: si pars §. de in off. testam:* Ioannes Molanus: *tract: de testam:* Ioach Mynsing: *cent: 1. observ: 96.* Andreas Gaillus *lib. 2. observ: 118.* ob asserta tamen de solennitate testamentorum, secundùm jus commune Cæsareum, non excluduntur locorum consvetudines, statuta & leges aliorum regnorum; nam Venetijs v.g Viennæ *&c.* ad testam: duo testes statuuntur sufficientes,

§. VI.

Quoad revocationem.

DUBIUM I. *Qui in mortis articulo vult mutare testamentum, quod in vita fecit cum juramento, an possit id facere cum securitate conscientiæ, & sit absolvendus à confessario?* videtur sic ex Doctrina Gomez *in lib: 1. Tauri n. 99.* Bartoli, & aliorum, quia non obligat juramentum contra bonos mores, cujusmodi est juratum testamentum, cùm heredibus occasionem præbeat desiderium, & quia est contra narandi mortem testatoris; & quia est contra naturalem libertatem testandi *lib: stipulatio hoc modo §. de verbi oblig.* sed melius R. ad hoc dubium testamentum male dispositum, & continens aliquid contra leges justas, etiamsi sit juramento firmatum debet revocari; nam juramentum de re illicita non obligat. Tum quia, testamentum undequaque benèfactum & juratum, si revocetur, revocatio tenet, & valebit posterius testamentum, in utroque foro, sed revocans erit per-
jurus

urus. Tum quia, testamentum bene dispositum, in quo tamen non est bene omnibus futuris eventibus prævisum, si sit juratum, & de illo mutando nulla de novo subsit causa, si mutetur, mutatio valebit, sed mutans peccabit peccato periurij; si autem justa causa subsit illud revocandi, valebit revocatio, nec ullum peccatum erit in illius mutatione.

DUBIUM 2. *An testamentum & legatum quamvis legitimè conditum possit à testatore revocari, & mutari?* ℞. *affirmativè*, & hoc taliter, id est sine lacerando nomen heredis in testamento scriptum, vel sigilla & aliam essentialem solennitatem auferendo *ut lib: si unus de septem l. nostrum C. de testam:* sive aliud testamentum validè & legitimè condendo. Ex SS. Canon: probatur. Vide *tit: 5. §. per particulas* ubi adnotatur de celebratione missarum gl: non valet in cap: *cum Martha*, ambulatoriam esse voluntatem defuncti usque ad supremum vitæ exitum. Confirmatur ex Regul: juris in 6. Reg. *qui prior.* gl. prima; legitur. *In legibus & constitutionibus quæ pendent ex unius voluntate revocat posterior priorem. Idem in testamentis eadem de causa; quia ex unius voluntate dependent. Fallit tamen in duobus casibus, scilicet si primum testamentum factum sit inter liberos C. de testam: auth: hoc inter liberos. Secundò. Cùm ipse testator legem testandi sibi dixit sic. Si fecero aliud testamentum non valeat, quia tunc secundum faciendo, oportet, quod faciat mentionem primi ff. de lege 3. si quis in principio &c.* ergo palam à legibus tum Canonicis, tùm civilibus statuitur possibilis revocatio testamenti, & mutatio voluntatis testatoris. Dixi in fine responsionis. *Aliud testamentum validè*

scondendo &c quia si posterius testamentum fuerit imperfectum, seu careat debita solennitate, primum non revocatur; non sufficit enim sola voluntas, etsi coram testibus voce expressa, ad rumpendum primum, sed requiritur legitima, nova, & alia heredis institutio, qua facta, licet heres non adiret hereditatem, adhuc prius testamentum irritum manet *Ita §. posteriore* institut: Covarr: *in rubrica de testam: p. 2. n. 21* Clarus, Molina &c. Testamentum verò primum solenne revocatur per posterius minus solenne, si ad ejus valorem non requiratur major solennitas; ut testamentum ad pias causas, inter liberos factum, vel militare juxta lib: 2. §. de injusto, rupto, & irrito facto testam: imò in favorem testamenti inter liberos conditi, statuitur specialiter in authent: *hoc inter* C. de testamentis, revocatum non censeri, nisi per aliud testamentum solenne, in quo testator adijciat se nolle prius testamentum validum esse, quæ additio non requiritur, si in posteriore etiam testamento liberi sint heredes instituti, quod intellige etiam de Ecclesijs, & locis pijs quia tunc præcisa juris civilis omni solennitate, sufficit, ut constet testatoris justa voluntas.

DUBIUM 3. *An faciens secundum testamentum habeat necesse revocare specialiter primum in quo erant verba derogatoria, puta si quid primum mutaverit, aliudve testamentum condiderit, nolle se id valiturum?* R. ex Regul: juris in 6. glos: 1. in add: in Reg: *quod semel 25.* licet non æstimetur insufficiens expressa revocatio, sub verbis generalibus, scilicet, ut non valeat primum testamentum, *quibuscunque verbis derogatorijs conditum fuerit, & ita* valeret secundum, in glos: tamen

men cit: tenetur contrarium secundùm Dijnum, *scilicet quod requiritur specialis*, sub his verbis v. g. *Non obstante clausula derogatoria prioris testamenti l. si quis in princip: S. de lega: 5.* ubi dicitur, *nisi specialiter dixerit &c.* Et concludit glos *Si verò specialiter revocat; certum est valere secundum, nisi transiisset ad naturam contractûs excedens fines ultimæ voluntatis S. de donat: causa mort: ubi ita donatur. Et quod illud testamentum fieri possit quod in contractu S. de aßignat: liber to aßignare. Hæc Dijnus in fine S. additio.*

DUBIUM 4. *An testamentum juramento confirmatum, dum quis juravit, se illud non revocaturum, licitè, vel saltem validè revocari poßit?* R. *cum distinctione.* aliud est licitè vel illicitè revocare, aliud validè vel invalidè. Testamenti non revocandi juramento firmati valida est revocatio, sed non licita, sicut qui juravit se aliquam ducturum in uxorem, si postea aliam ducat, validè ducit, sed illicitè, juramentum non servando, ita qui juravit testamentum non revocare, adhuc validè revocat, licet peccet revocando, quia juramentum non servat: unde Innocent: Papa (dictus ab Angol: in tabula suæ summæ splendor Canonistarum) dicit in cap: *dilecto*, de præbendis, quod si quis juravit non alienare librum, & tamen alienavit tenet alienatio, licet sit periurus. Adde quòd juramentum non impedit, quin jurans non remaneat, cum dominio rerum suarum, & propriæ voluntatis, cùm per testamentum non transtulerit absolutè dominium, sed tantùm cum subordinatione ad hoc, ut alitèr postea non disponat, quod si accidat, validè disponit cùm sit dominus. Quòd verò licitè revocari non possit, ex eo constat, quia juramentum semper

servandum est, ut pluriès dictum, quoties sine peccato servari potest, in casu servari potest sine peccato, cùm non teneatur testamentum revocare, & possit revocare & possit non revocare; hinc juramentum est de re licita.

Dices cum aduersarijs probare volentibus testamentum juramento firmatum nedum valide sed licitè revocari posse. Iuramentum inquiunt, sequitur naturam actûs, super quem cadit, cùm sit velut accessorium sequens naturam sui principalis, sed actus super quem cadit juramentum in proposito est testamentum suapte natura revocabile, & ex sui institutione tacitam hanc tenet conditionem, *nisi revocetur*. Ergò testamentum posito etiam juramento, nedum valide, sed etiam licitè est revocabile. ℞. ex Reg: juris *accessorium in 6. d. in Capitulo*. Ubi dicitur aliquando dari juramentum super aliquem actum, & tamen non est accessorium ad illum. Exemplum affertur de Clerico consentiente litigare coram judice seculari, & jurante servare illum consensum, an valeat juramentum? ℞. gl: sicut determinatur in cap: *si diligenti* de foro competenti & inquit: *dicitur ibi, quod non: quia juramentum non est accersorium ad consensum, & accessorium sequitur naturam sui principalis*. Quod non accidit de juramento in ordine ad consensum prædictum, cùm sit improbatum à jure Canonico. Hac Canonica veritate pro responsionis fundamento præmissa. Dico pariter de juramento in ordine ad actum, qui dicitur testamentum non esse accessorium ad illum; falsum est sequi naturam sui principalis, quia testamentum secundùm suam naturam ex institutione includit hanc tacitam conditionem, *Nisi revocetur* quam non solum

lum juramentum non sequitur, sed infirmat, & excludit; hinc testamentum, posito juramento, licet validè, tamen licitè revocari non potest, quia juramentum est servandum, cùm non cadat super rem turpem, nec sit contra bonos mores, & irreuocabilitas testamenti, medio juramento non sit improbata, à jure saltem canonico. Ab allatis & probatis excipiendus est aliquis casus in quo non tantùm validè, sed etiam licitè revocari possit, quia si probabiliter testator prævideret ex primo testamento plura mala successura, posset licitè revocare, imò teneretur, quia juramentum de re mala non obligat, nec observari debet ut dixi supra.

Quares. Si testator in testamento aperto delineat aliqua verba, vel legatum, diceturne totum testamentum revocatum & irritum? sicuti si fecit testamentum coram Notario publico, qui posuit illud in suo protocollo, & dedit testatori transumptum, & testator rupit tale transumptum, & cancellavit, sed intactum remansit protocollum, si talis moriatur absque alio testamento, valebitne protocollum illud, vel dicetur testamentum ruptum & revocatum? R. ad primum, testamentum solum quoad partem lineatam dici revocatum & irritum *l. nostram C. de testam.* ad secundùm dico, cum Bart. & Paulo de Castro, quod non valebit, & dicetur revocatum, quia talis ruptio testamenti, fuit ruptio, & cancellatio talis protocollij, cum utrumque pendeat ex voluntate testatoris *lib. nostram C. de testam.*

DUBIUM 5. *An testamentum per se usque ad mortem semper revocari potest & mutari?* R. *affirmativè*, testamentum namque morte testatoris confirmatur, ut ait Paulus ad Hæbreos 9. &

tenent communiter DD & hoc verum est, etsi factum sit cum solennitate omni, & coram Rege, dummodo secundum testamentum habeat solennitatem à jure requisitam, aliter revocatio primi testamenti in foro externo invalida esset, licet in foro conscientiæ melior sententia doceat validum esse, & tutâ conscientiâ posse heredem, in minus solenni testamento retinere hereditatem tenet Villalobos *in hoc casu 2. p. tract. 3. diffinit 22. n. 10.*

DUBIUM 6. *Si testator promittat se non revocaturum testamentum, & promittat, quòd si revocauerit, soluturum heredi mille aureos; an obligabitur ad hanc pœnam subeundam?* R. negativè. quia certum est eam pœnam non obligare, & irritam esse, propter libertatem testamenti, *ex libi stipulatio hoc modo concepta §. de verbor: obligat;* & tenet cum communi sententia Molina *d. 151. n. 21.* si tamen adijciatur juramentum pœnæ solutionis, debetur pœna ratione juramenti. Ratio est, quia illa solutio pœnæ, non est ex se mala sed indiferens, ergò non est cur non possit à juramento promissio illa confirmari ratione promissionis. Ita Lugo *d. 24. n. 38.* Molina *d. 151. n. 21.* contra Couuar, quem refert & sequitur Sanchez *lib: 1. de matrim: d. 32. num: 21*

DUBIUM 7. *Si testator voto se Deo obligavit, ad relinquendum mille aureos pauperibus, & ideo in testamento relinquit, an poßit sine voti fractione hoc legatum revocare?* R. negativè, Ratio est, quia votum erit relinquendi cum effectu mille aureos pauperibus, sed si revocavit legatum, jam non relinquit cum effectu, cùm efficatia legati sumatur ex voluntate testatoris perseverante, usque ad mortem; ergò non satisfacit voto. Ita Lugo de

go de justitia *d.* 25. *n.* 40. Escobar *lib:* 38. *n:* 377. contra Sanchez *lib:* 4. *consil. cap:* 1. *lib:* 12.

DUBIUM 8. *An ex facultate Regis vel Principis supremi poßit testator irrevocabile testamentum condere, ita ut nec validè quidèm revocare poßit?* ℞. *affirmativè.* Ratio est, quia id non est contra bonos mores naturales, atque adeò seclusso jure humano, non est illicitum, sed potest causa rationabilis occurrere, tam ex parte illius, qui se illa libertate vult privare, quàm ex parte Principis, qui id confirmat; ergò cùm Princeps supremus, sit supra omne jus civile, non est cur id negemus in casu particulari, quamvis aliàs, id non posset Princeps lege universali pro omnibus casibus stabilire, propter incovenientia, quæ possent bono publico inde evenire. Ita Molina *d.* 151. *n.* 26. & cum Vasquio & alijs Escobar *lib:* 38. *Decalogi n.* 380. contra Sanchez *lib:* 4. *consiliorum cap:* 1. *dub:* 9.

DUBIUM 9. Quando conditum est testamentum à non habente filios, si illos postea habeat, vel si quando condidit testamentum ignorabat filios habere, testamentum, quoad heredis institutionem an sit nullum. An verò legata valeant? de jure communi aliqui affirmant. Verùm melior sententia docet, solùm valere ea legata, quæ pater probabiliter reliquisset, si sciret se habere filios. Ita Lugo *d.* 24. *n.* 52. & cum Molina, Sanchez, & alijs Escobar *lib:* 38. *Decalogi n.* 384. Verum de jure Lusitano, tale testamentum etiam quoad legata est nullum; quod verum est, etsi pater post multos filios diu supervixerit, nec prius testamentum revocaverit, etiamsi habuisset voluntatem illud confirmandi; quia re ipsa non confirmavit. Ita Sanchez *lib:* 4. *consil. cap:* 1. *dub:* 25. *n.* 9.

DUBIUM 10. *An quando quis in morbo testamentum fecit hac verborum formâ, si hoc morbo è vita decessero &c. Si convaluerit, & nullum aliud testamentum fecerit, hoc testamentum valeat?* R. ad id discernendum, coniecturis utendum esset, si enim infirmus interrogatus, an vellet efficere testamentum, respondit se factum illud habere, valet, vel si videns se mori, rogatus noluit facere testamentum; & anteactum conservavit. Secus si nullæ sint coniecturæ; nam tunc standum est verbis in testamento appositis. Ita Molina *d.* 151. Lugo *d.* 241. *n.* 54. Escobar *lib:* 38. *Decalogi num:* 390.

DUBIUM 11. *An Religiosus professus moribundus testamentum revocare, vel illud ante professionem factum alterare poterit?* R. Negativè absque licentia summi Pontificis; nam ille testamentum potest revocare, qui potest aliud facere, sed Religiosus professus etiam sanus hoc præstare non potest, *ex Authen: ingressi c. de sacrosancta Ecclesia* & cap: *quia ingredientibus* 19. *quæst:* 3. *cap:* 2. *de testamen.*] & hoc etiam quoad causas pias, cum hi textus indistinctè loquantur, & cum licentia superioris, quia inferior legem superioris abrogare non potest] ergò neque potest testamentū revocare seu alterare, bene tamen potest illud declarare si interpretatione indigeat, vel donationem causâ mortis facere, etiamsi sit Capucinus, cùm id accedente suorum immediatorum superiorum licentia, fieri nullo jure Religiosis prohibeatur; Quòd intelligitur de re donanda quæ sit parvi momenti, nam si fuerit gravis donatio necessaria, fieri debet cum illis requisitis à Cle-

à Clemente VIII. in sua Bulla incipit Religiosæ Congregationis edita anno 1494. 13. Kal. Julij præscriptis, & ab Vrbano VIII, per speciealem Bullam incipit nuper à Congregatione editam die 16 Octobris 1640 declarata. Ita Rodriquez *in 99 regular: tom' 3. quæst 99. artic:* 3 Sanchez *de matrim: lib:* 6. *disp:* 17. *n.* 11. Layman *lib:* 3. *de justitia tract:* 5. *cap:* 3. *n.* 4. *Vers: Dico secundò.* & plures alij. Quod autem Religiosus post professionem, non potest aliud facere testamentum, patet cùm Religiosus per professionem amittat testamenti factionem, ideoque sibi non licet testamentum in seculo conditum revocare juxta magis communem ac veram opinionem, de qua Barbosa de Episcop: *allegat 99.* Tamburinus de jure Abbat *disp:* 4. *quæst:* 13. *num:* 4. Gregor: *dec:* 87. *num:* 5. Rota *decis.* 628. *num:* 15. *p.* 4. *rec: tom* 3.

Quares. An Novitij ante & post ingressum in Religionem testari possint: Et an post ingressum juris solemnitates in testando servare teneantur? R. *ad primum affirmativè*, cùm nullo jure contrarium cautum sit, & quidem tunc novicios etiam testamentum revocare, & aliud condere posse, idque quocunque tempore velint. Nec obstat Trident: *sess:* 25 *cap:* 16. de regularibus ibi intra duos menses proximos ante professionem &c. nam non loquitur de testamento, quod nonnisi post mortem testatoris firmitatem habet, sed renunciatione, donatione &c. Ita Carolus Thesaurus de pœnis *p.* 2. *Verbi simonia, super Religionis ingressum* 10. *Vers, adde quod.* Ad secundum verò quoad juris solemnitates. R. quoad causas pias nequaquam servari debere, sed tantùm quoad profanas, cùm

perso-

personæ Ecclesiasticæ in contractibus faciendis, juris solennitatibus subdantur, si sacris Canonibus non repugnent. Ex Can: 1. & Can: *si in adjutorium dist.* 18. Navarr: in Comment; 1. *de Regul: num:* 50. & plures alij;

§. VII.

Quòad obligationes heredis.

Suppono liberum esse heredi repudiare, vel acceptare hereditatem, undè conceduntur ei tres menses, à die qua novit, se institutum esse heredem ad deliberandum, nùm velit adire hereditatem. *l. Ultim: Cod: de jure deliber:* Quod si intra tres menses non acceptaverit, devolvitur hereditas ad propinquiorem defuncti, debet facere tamen inventarium coram notario, citatis creditoribus. Jta *Sa Verb: hereditas n. 34:* Heres tamen potest acceptare hereditatem absolutè, nullo facto inventario, vel facto inventario, quod communiter dicitur ad beneficium inventarij Villalobos *p. 3. d. 19. diff: 20. &* 23. his præsuppositis sit.

DUBIUM 1. *Heres ad quid tenetur?* ℞. *cum distinctione*, si heres non acceptavit hereditatem, ad nihil tenetur, postquam tamen acceptavit eam tenetur ad solvenda debita realia testatoris, non tamen personalia. Jta communiter DD. Ratio est, quia sicut herés succedit in jura realia & non personalia testatoris. Jta tenetur ad debita realia, non verò personalia illius. Undè si multi fuerint heredes, quilibet tenetur pro rata hereditaria ad debita defuncti, nisi aliter defunctus disposuerit. Sylvester

Verb. hereditas q. 11. Nec differi debet solutio debitorum quando heres est pupillus prætextu pupillaris ætatis Sylvest: *supr: quæst:* 32 Ex his plura quoad praxim.

Collige 1. Heres non solùm tenetur ad debita realia defuncti, sed etiam ad legata ab ipso institutore relicta; quod procedit etiam de herede instituto in testamento minus selenni, nam sufficit in foro conscientiæ, ut de voluntate testatoris constet, quamvis nullus sit testis, quamvis id foro exteriori, non obligetur. *Sylvest. Verb: hereditas* 3. *quæst:* 7. Si tamen heres dubitaverit hereditatem ultra debita non extendi, prius debet solvere debita, quàm legata, imò prius debet solvere vota realia, quàm legata. Jta Sanchez *lib: 4. cap: 15. num: 39. & alij communiter.*

Collige 2. Heres in foro externo, habet annum ad solvendum legata profana. *Authent. Hoc ad amplius. Cod: de fidei commiss.* Jn foro tamen conscientiæ statim ac primum potest, tenetur ea solvere. Jta cum alijs Sanchez *lib. 4. consil. cap. 1. dub. 53. num. 6.* Lugo *ad 24. num. 296.* Quod si heres nec per annum solverit, à die munitionis factæ ab Episcopo, poterit privari hereditate, si est heres extraneus, etiamsi sit filius, salvâ ei legitimâ, *per Auth. ad hoc amplius* Valerus *V. Legatum dif. fic: 1. num. 2.*

Collige 3. Heres cui testator mandavit in testamento ut faciat, quod dictum sibi fuerit à confessario, tenetur facere quantum verisimile est, testatorem confessario mandasse, talis enim præsumitur rationalis voluntas testatoris. Jta Bonac: *d. 3. de contract. quæst. ultim. p. ultim.*

ultim. num. 6. Quod si testator expressit voluntatem suam, in schedula manu sua scripta, quam tradidit confessario, tenetur omnia scripta solvere præsertim si contenta in illa pertineant ad pias causas, in quibus non requiritur juris solennitas. Bonaci l. cit. num. 6. qu. 1. p. 3. num. 17. si tamen dubitetur, quid testator mandaverit & præceperit, tunc id faciendum, quod verisimiliter creditur testatórem voluisse, ut si mandavit dare Canonicis legatum mille aureorum pro celebratione missarum, & dubitetur, an distribuendum sit in missas manuales, vel convertendum in annuos redditus, ad missam perpetuam, & anniversaria, intelligendum est voluisse fieri in perpetuum, cùm hoc cedat in majorem defuncti utilitatem, nisi aliud ex conjecturis de mente testatoris colligatur ut colligitur ex legato principis vel alterius valdè divitis, cùm divites soleant magnam quantitatem pecuniæ legare pro missis. Ita cum alijs Bonac: loc: cit:

DUBIUM 2. Si testator legatum reliquit, cujus annui redditus in pauperes expenderentur juxta suorum heredum placitum, an possit heres totam illam quantitatem semel applicare alicui hospitali, ut ex illis redditibus ibi pauperes curentur. ℟, affirmativè, quia anticipatio temporis à testatore præfixi, quando id non cedit in præjudicium tertij, sed ipsius eligentis vel prævenientis fieri potest, sed hoc legatum distribuitur inter pauperes in hospitali ergo cùm solùm præjudicetur ipsis heredibus, à quibus auferetur liberras eligendi pauperes, ipsi id poterunt, si velint efficere. Ita Sanchez lib. 4. Concil. cap. 2. dub. 11. Molina d. 299. Lugo d.

go *d. 24. num. 218.* Excipe si pauperum electio ad patronos sequentes pertineret, nam tunc non posset heres præsens applicare illud legatum perpetuum hospitali, quia hoc esset in præjudicium patroni sequentis. Escobar *lib. 38. Decalogi num. 454.*

DUBIUM 3. *An heres teneatur ad vota defuncti ab ipso non impleta?* ℞. *affirmativè*, cum distinctione. Constat apud omnes eum teneri ad vota realia, secùs de personalibus, sive heredes sint filij sive quicunque alij. Idque decisum est *lib: 2 § de pollicitat.* Et ratio est, quia obligatio votorum personalium est omninò personalis, tàm ex parte personæ obligatæ, quàm ex parte rei promissæ, quæ actio quoque personalis est. Quare nulla ratione potest ad heredem transire. At obligatio votorum realium & si ex parte personæ obligatæ sit personalis, & ita ut vera obligatio solùm voventem afficiat: at quia obligat personam voventis, quatenùs ille dominus, & administrator rei promissæ est, dominium autem hoc & administratio bené transeunt ad heredem, qui quoad hoc repræsentat omninò personam defuncti ideo votorum realium obligatio, transit in heredem, non ex vi voti, sed ex vi contractùs Quippè eo ipso quòd hereditatem adit, censetur contractum inijsse, solvendi omnia defuncti debita ac vota: juxta illud, qui succedit in bona succedit in onera. Ita Thomas, Sanchez. *lib: 4. cap: 15. num: 25.* Consequenter potest cogi heres sub pœna privationis hereditatis, ad hæc vota persolvenda. ut constat ex cap: *licet de voto*, An verò tota hereditate sit privandus, & filius legitimâ, eo, quòd testatoris vota non im-

pleat

pleat consulendi sunt DD. An autem possit heres ad id cogi per censuras? Respondent Doctores cum distinctione. Si heres promiserit defuncto sua vota explere, potest per excommunicationem cogi, ac hereditatis privationem: *Si* verò non promisit hac sola posteriori pœna privari potest; sed multò verius est, posse in utroque casu excommunicatione compelli, ac privatione hereditatis. Quòd obligationem, ex hereditatis aditione contractam non impleat. Nec aliqua datur congruens discriminis ratio inter utrumque casum. Et ita docent. Sylvestr: *V. Votum 2. quæst: 111 dicto 1.* Azor *lib: 11. institut: moral: cap: 15 quæst: 15 fine*

DUBIUM 4. *An etiam possit heres cogi à defuncto, ut loco personalium ipsius defuncti votorum eleemosynam aliquam eroget, sicut ad alia legata pia potest quoque cogi?* R. *affirmativè.* Ita docet Sylvestr. *Verbo votum 2. quæst: 11. dicto 1.* Imò Abulensis *cap: 30. num: quæst: 98.* ait heredem jussum à testatore personalia ipsius vota implere, tenere quidem jure mandati. Cùm voluntas testatoris implenda sit. Verum hoc non placet, Quia testatoris solùm est de propriis bonis disponere, non autem de personalibus heredis actionibus. At posset utique heredem non necessarium gravare, ut sub conditione implendi ea vota succedat. Sicut potest gravare ut honestum, statuique conveniens matrimonium ineat, & aliter non succedat:

Nec obstat quod asserit, noster Scotista Angles *in floribus 2. p. quæst: unic: de voto artic: 2. post 113 difficultatem dub: 4.* tunc heredem teneri implere vota realia defuncti, quando defunctus, ipse hoc, in testamento injunxerit.

Nàm

Nàm quamvis id non injungat, hoc onere hereditas affecta est, ſicut & ſolvendi alia defuncti debita, ut bene tradunt Angelus *Verb: Votum 3. num:* 8. Sylveſtr. *Verb: Votum 2. quæſt: 11. dicto* 4. Jmò quamvis defunctus expreſſè dixerit, nolle heredem ad ea vota teneri, tenebitur utique. Quod ſatis innuunt DD D. Antonin: 2. *p. tit: 11. cap: 2, §. 5.* Navarr: Manuel: & plures alij, dum dicunt heredem, teneri ad hæc defuncti vota, ſicut ad alia ejuſdem debita perſolvenda. At conſtat ad hæc teneri, velit nolit defunctus. Quia eſſe heredem eſſentialiter importat recipere bona defuncti, repræſentando ejus perſonam quoad omnem obligationem defuncti, quantum ad eorum adminiſtrationem.

DUBIUM 5. *An votum defuncti in ſubſidium alicujus belli, teneatur heres per ſe, vel per alium implere? & quomodo?* R. non approbando id, quod quidam dicunt, nempè quando defunctus promiſerat ſe iturum in belli ſubſidium contra fidei hoſtes, nec adijt, teneri heredes aut ire, aut dare omnes expenſas à defuncto, in eo belli ſubſidio faciendas; Hi ſunt Innocent: cap: *Licet num: unico de Voto.* Henricus Abulenſis *cap. 30. num: quæſt. 98.* Cùm enim heredes plenè ſatisfaciant mittendo alium nomine defuncti pugnaturum, eas ſolas expenſas huic neceſſarias tenentur facere, ſive defunctus majores, ſive minores eſſet facturus. Tantùm enim aſtringuntur heredes ad hoc belli ſubſidium.

Dices 1. Quod ſi vota ſunt mixta, quid tunc heres agere debeat? R. *cum diſtinctione* ſi enim pars realis & perſonalis expreſſa ſint,

tenen-

tenentur heredes ad realem solam. Ut si defunctus voverat peregrinationem in D. Iacobum & eleemosynam illi largiendam, teneretur heres ad solam eleemosynam. Ratio est, quia quoad eam partem est votum omninò reale, & utraque pars independenter ab alia, & æqualiter promissa censetur. Si tamen sola pars personalis sit expressa, ad nil tenentur heredes. Ut si testator votum peregrinationis, aut Religionis non implevit, heres minimè tenetur ad expensas itineris: nec ad bona tradenda, in quæ erat Religio successura. Quod hæc sint voto personali accessoria, & ideò illo extincto pereunt. Ita D. Antonin: *2. p. tit: 11. cap. 2. §. 5.* Angles noster Scotista *in flor. 2. p. quæst. unic. de voto artic. 2. dub. 4.* Azor *lib. 11. instit. moral. cap. 15. & plures alij.*

Dices 2. Quid si votum sit disjunctivum, cujus altera pars est personalis, altera realis, & defunctus neutram partem implevit, ad quid tenetur heres? R. tenetur præcisè hæres ad partem realem. Ratio est, quia jam obligatio personalis alligata defuncti personæ est omninò extincta, tanquam impossibilis: & proindè succedit prævisa obligatio ad realem. Quare & si vivens poterat alterutram partem eligere, at heres nequit. Ita docet, & si non tàm amplè, sed solùm dicens teneri heredem ad partem realem, D. Antoninus *num præcedenti allegatus* Et hoc quidem intelligendum est, nisi defunctus elegisset perfectè partem personalem, ita ut ad eam jam præcisè teneretur. Tunc enim eo non implente ad nihil tenetur heres, quia jam votum erat peesonale.

Dices 3. Monasterium jure hereditario in bona

bona professi succedens, an teneatur ad vota realia, quæ professus in seculo emiserat nec impleverat? *R. affirmatiuè.* Ratio est, quia sola personalia vota, professione Religionis extinguuntur. Jta Paludanus & D. Antoninus *2. p. tit: 11. cap. 2. §. 8.* sed non placet hæc responsio Sanchez *l. cit: num: 31.* Jmò asserit: quòd multò veriùs sit realia quoque extingui, Et ideò tanquam penitùs extincta, nec monasterium, nec quēcunque alium heredem obligabunt. Sed major difficultas est, quando voluit professus tempore professionis ea vota realia non extingui: Tunc enim cùm ea vota non extinguantur, videtur obligatio translata in monasterium, vel quemcunque alium heredem, & sic videntur non obligare jam monachum; & ideò non poterit à monasterij prælato irritari. Sed adhuc dicendum est, nec monasteriū, nec quemcunque alium heredem teneri ea persolvere, quia (ut ait optimè Sylvestr: verb: *Votum quæst: 7. dicto 3.*) si eam intentionem habuit Religiosus ante professionis instans; est ipso jure ab illis votis absolutus. Si verò ipso professionis instanti judicandum est de illis votis, perindè ac emissis post professionem, quæ à superiore irritari possunt. Quippè censentur post professionem emissa. Quod consonat doctrinæ communi asserenti peccatum indignæ susceptionis baptismi in ipsomet commissum censeri post commissum, & ideò subijci censetur sacramento pœnitentiæ. At vota realia post professionem emissa, nequeunt obligare heredem. Cùm jam heres successerit. At si id votum ante professionem intimatum esset parti, in cujus favorem est, & ab ea acceptatum, teneretur mona-

 sterium

sterium succedens in bona, aut quilibet alius heres id persolvere. Cùm enim esset jam jus illi parti acquisitum, non tollitur per Religionis professionem. Et in hoc casu est vera sententia Paludani & D. Antonini.

Quares. An heres promittens vota defuncti persolvere, nec adiens hereditatem teneatur ad id? R. *negativè.* Quia solo ad id hereditario jure tenetur. Immò hoc verum est, etsi promiserit ea implere spe adeundæ hereditatis. Nàm si mutato consilio non adeat, minimè ad ea tenetur: Argum: *ex cap: per venerabilem §. finali de elect*: Hæc docent Hostiensis, Abulensis, D. Antoninus 2. *p. tit*: 11. *cap*: 2. §. 5. *de voto* & plures alij. An autem heres teneatur ad ea explenda, in quantum vires hereditatis sufficiunt? Quippè, qui ratione illius solius tenetur. Tenent partem affirmativam Hostiensis, D. Antoninus, Abulensis, Sylvester. Quidam hoc temperant, dùmmodo heres inventarium fecerit, eo enim non confecto, tenetur integrè ultra vires hereditatis vota exequi. Ita docent Palud: & D. Antonin: *num: præcedenti allegatè* sed de his §. immediatè sequenti erit sermo.

DUBIUM 6. Et quidem speciale. *An vota hac realia extrahenda sunt ex toto hereditatis corpore & massa, ita ut minuant legitimam ascendentibus vel descendentibus debitam? an potiùs ex ea sola parte, de qua poterat testator liberè disponere?* Quidquid dicant & sentiant alij. R. *negativè*, nullatenùs extrahenda esse ex toto cumulo & massa hereditatis, nec posse legitimam minuere, sed ex sola ea parte solvenda, de qua testator poterat liberè disponere. Ratio est, quia hæc vota etsi debita sint, tamen ortum habent

bent ex causa voluntaria, idest liberali testatoris promissione; ac proindè legitimam jure debitam minuere nequeunt. Quare non posse testatorē in præjudicium legitimè disponere ad opera pia Tùm quia donatio remuneratoria ex sola gratitudine debita majorem debiti rationem habet, quàm vera eleemosyna,, & tamen non minuit legitimam filiorum: ergò à fortiori nec eleemosyna. Tùm quia eleemosyna, non est verè donatio renumeratoria: nec est verè causa pia, Deoque grata, quando in præjudicium rei alteri debitæ fit, qualis est legitima. Vndè meritò D. Augustinus, & habetur *C, fin* 17. *qu*: 4. ait: *quicunque vult exheredato filio heredem facere Ecclesiam, quæ alterum qui suscipiat, non Augustinum, immò Deo propitio neminem inveniet.* Tùm quia *d. l. 30. Tauri*, expressè disponitur legatum pro sacris faciendis extrahendum esse ex quinta bonorum parte, cùm tamen sit legatum pium pro anima. Tùm quia praxis receptissima regni Castellæ habet solùm parentibus licere disponere de quinta bonorum parte, sive in vita, sive in morte, in præjudicium filiorum, quando dispositio non est necessaria sed liberalis; Huic sententiæ favet Suarez *l. Quoniam in prioribus in declaratione legis regni limit*: 1 *C. de in offic: testam*: ab alijs citatis asserit, si hereditas patris esset adeò opulenta, ut legatum pium parum excedens quintum bonorum modicum præjudicium filijs inferet, posse sustineri tale legatum. Et ita docent non posse filium gravari, ut votum paternum impleat, ultra legitimam portionem. Covar: *C. si heredes num* 9 *de testam*: ubi & alios refert Gregor: Lopes *l. finali in fine tit.*

8. p. 1- Et noster Angles Scotista in floribus *2. p. 9. unica de Voto artic; 2. post 13. diffic: dub: 4. fine.* Sanchez *lib: 4. cap: 15. num: 38. & lib: 9. de matrim: disp: 36. num: 3. & 6.* Præferenda tamen sunt hæc vota omnibus, legatis etiam pijs, præterquam necessarijs funeris expensis, quæ etiam ante omnia justitiæ debita extrahuntur, *l. pen: § de relig: & sumpt: fun:* Ratio est, quia cætera legata, sunt omninò voluntaria; at votorum executio est debita. At omnia justitiæ debita præferenda sunt votis. Constat, quia illa extrahuntur ex toto hereditatis acervo, diminuuntque legitimam. Item quia vota implenda sunt ex defuncti bonis. At bona alicujus dicuntur, quod superest deducto ære alieno *l. mulier bona § de jure dotium.*

DUBIUM 7. *Si Conventus constituatur heres profitentis Religionem. an teneatur ad vota realia profitentis?* ℞. *Negativè*, etiamsi talis Religiosus vellet sua vota realia per professionem non extingvi. Ita Sanchez, Bonacin: Ratio est, quia omnia vota tàm personalia, quàm realia, per professionem extinguuntur, non per irritationem, vel commutationem, sed per perfectissimam solutionem? sed semel votis realibus solutis, non potest professus imponere novam obligationem heredi, nam facta professione, res illa non ad ipsum jam pertinet, sed ad heredem: ergò.

DUBIUM 8. *An quando multi sunt heredes quilibet vota defuncti teneatur solvere?* ℞; Neminem teneri in solidum, quia solùm tenetur quatenùs est heres, & cum sit in parte solùm heres, pro ea parte vota solvere debet. Ita communiter DD, apud Palaum. Duplicem tamen limi-

limitationem hæc doctrina patitur, Prima nisi res promissa sit apud unum ex heredibus, nam tunc ipse tenetur in solidum, datur tamen illi actio adversus alios heredes, ut sibi partem eorum hereditati correspondentem solvant, habetur *l. 2. ff. de Verbo.* obligat: Secunda limitatio est, nisi alij heredes nolint solvere, nam tunc quilibet tenetur in solidum, & nolente uno, non ex impotentia, sed ex malitia, tenetur alius solvere in solidum. Ratio est, quia debitis & legatis solvendis, quælibet pars hereditatis addicta est, & quilibet heres obligatus. Non enim est æquum, ut ob malitiam unius, debita maneant insoluta. Dixi *nolente uno, non ex impotentia, sed ex malitia*, nam si non solvat ex impotentia, tunc alij coheredes non tenentur solvere vota, nisi pro quantitate hereditatis, quia esto illa pars hereditatis addicta sit votorum solutioni; non tamen integrè, sed cum illa comparte, Ita cum alijs Palaus. An autem id dicendum sit de Legatario? R. *negativè.* Est enim diversa ratio. Nam donatarius per traditionem rei donatæ accipit dominium illius, quia esto hoc fuerit illicitum, traditio tamen fuit valida, & legatarius dominium acquirere debet ex valore promissionis in testamento factæ, quæ si nulla est, perijt legatum; Est autem nulla, si sit de materia voto contraria, quia tunc est promissio de re illicita, ac proinde nullius valoris: ergo si legatarius acceperit rem, in specie Deo promissam, obligatus est Deo tradere. Ita Palaus.

Quæres. Qui ordo servandus sit in solutione horum votorum? R. vota deberi ab herede solvi, post debita justitiæ, & ante legata pia, Ita

communiter apud Palaum. Deus namque non acceptat oblata cum præjudicio tertij. Quod autem debeant præcedere legata, etiam patet, nàm vota & non legata defunctum adstringunt. Casu tamen quo plura vota fuerint, & vires hereditatis non sufficiant ad omnia persolven- da, tunc heres votum de re meliori debet præ- ferre. Et in casu dubio, votum quod prius con- stiterit fuisse emissum. Ratio est, quia heres personam defuncti repræsentat, at defunctus il- la vota eo ordine obligatur exequi.

DUBIUM 9 *Qui votum suum personale ne- quit ob impotentiam sive culpabiliter, sivè incul- pabiliter implere, an teneatur illud per alium im- plere:* R. Cum Patritio *tract: 3. in 2. præcepti Decalog: Cap: 2. sect. 3. §. 2. negativè.* contra Antoninum, & quosdam alios cum Navar: Sua- rez, & Layman: Ratio est, quia generaliter a- ctus se non extendunt ultra intentionem agen- tis, & maximè voventium votum liberum, ul- tra intentionem voventis extendere se nequit: atqui voventis votum personale intentio fuit se facturum aliquid v. g. jejunaturum, oraturum, peregrinaturum, &c, ergò si præstare ipse non possit non tenetur alius præstare, scilicet alte- rum substituere, ut pro illo quamvis facile pos- sit, impleat. Excipe tamen: nisi etiam ad hoc ipsum voto suo obligare se intenderit vovens, vel expressè vovendo tale quid facere per se, vel per alium, vel implicitè, ut si quid voveas sciens tuam personalem impotentiam: tunc e- nim votum nè illusorium habeatur, interpræ- tari debet, quòd intenderit per alium exequi: ut notat Abbas in *cap: Licet de voto num: 18.* Nec obstat, quod culpabiliter in talem impo-

tentiam

tentiam inciderit sui voti exequendi, quia culpa commissa in obligatione voti non est, nisi de aliquo contento in voto: explere autem per alium non est contentum in voto personali: Ergo &c. Ex his quòad praxim.

Collige 1, Oblationem (ut nos supra innuimus) voti personalis, vovente mortuo non transire ad heredes; secundùm omnes; Ratio est. Quia heres succedit defuncto tantùm in realibus, sicut commodis & juribus, ita oneribus & debitis L. *Heredem S. de regul: juris.* Ratio patet. Quia heres voluntariè adeundo hereditatem defuncti, sicut omnia ejus commoda, & jura acquirit, ita etiam omnia ejus onera, debita, & obligationes reales in se suscipit. Imò licet testacor prohibuerit heredi, ne realia sua vota persolvat, nihilominùs tenetur, atque ad id à judice cogi potest sub pæna amittendi hereditates. *arg: c. licet de voto.* Navar. *c. 12. num: 65.* Sanchez *lib: 4. mopal: c. 15. n. 28.* Layman *c* 3. *num:* 12. Non item in privilegijs succedit defuncto heres, & obligationibus personalibus, quæ scilicet personæ illius coheret, cujusmodi etiam sunt vota personalia, orationum, jejuniorum, peregrinationum: Excipè nisi heres necessarius se sponte obligârit, ad defuncti vota personalia implenda; aut heres non necessarius, sub ea conditione institutus sit, ut talia vota exequatur. Ita communiter DD, Quod si tamen defunctus voverat expressè per se, vel per alium implere votum aliquod v. g. peregrinationem Lauretanam, heres tenetur præstare sumptus alteri ad exequendum votum: quia tunc defunctus non implens ipse votum contraxit obligationem præstandi sumptus alteri, ut

loco sui votum impleat. & sic ex ea parte votum reale est, cujus obligatio semper transit ad heredes.

Collige 2. Obligationem, qua heres tenetur ad solvenda vota realia defuncti, non esse ex virtute Religiònis: quippe quæ solùm voventem adstringit, sed ex virtute justitiæ ratione acceptæ hereditatis una cum omnibus ejus juribus & oneribus, ut significatur in cit. *L. 2. Hereditario nomine adstrictus est.*

Collige 3. Heres non tenetur vota defuncti solvere ultra vires hereditatis tràditæ, id est non nisi ex eo, quod deductis alijs debitis, & necessarijs expensis funeris &c. superest: de hoc enim solùm defunctus disponere poterat, vovendo, vel legando ad pias causas, daturque hic locus Falcidiæ juxta communem DD. Quid autem intelligant Iuristæ per hunc terminum *Falcidia*? juxta explicationem Molinæ, *Falcidia*, (*tom. 1. disp. 213.*) dicitur in jure illa pars quarta, quam heredes beneficio legis Falcidiæ retinent ex legatis, si fortè amplius dodrante in ijs consumptum est à testatore. Nam in bonum testatoris, ut heres invitaretur ad hereditatem adeundam, statuit lex, ut heredes non obstantibus legatis, possent sibi retinere quartam partem bonorum defuncti, ita ut si hereditas tota legatis foret exhausta, detrahere possent de legatis quartam partem; Si verò heredibus aliquid remaneret; sed non integra quarta pars, detrahere pro rata possent à legatis quod deesset, ut ipsis quarta pars bonorum defuncti remaneret. Quodsi quarta pars, aut aliquid amplius ipsi remaneret, integra solvere legata tenerentur. Appellatur lex illa *Falcidia*

cidia à Falco, hujus remedij inventore. *Instit: de legi Falcidia & C. ac S. ad C. Falcid.*

Collige 4. Persolutio votorum præferenda est omnibus legatis etiam pijs; cùm prior & potior sit obligatio votorum, utpotè quæ ipsum defunctum adstringebat dùm viveret, non ita obligatio legatorum. Ex communi Sanchez *l. cit: cap: 15. num:* 39. (& nos innuimus supra) Quod si soluto ære alieno, hereditas non sit solvendo omnia defuncti vota, non est solvendum unum aut alterum, & alia omittenda, sed singula pro rata. Cùm enim omnia æqualiter, ex virtute Religionis debeantur, non est ratio, cur unum alteri præferatur. Idem est in legatis. Patet ex hoc casu singulari & recenti quē apponit doctissimus Patritius *l. cit: de Vot: obligat S. 3. num: 137. in fine* cujus series talis. Titus periclitans vovet certo loco sacellum B. M. Virginis: eamque in rem pecuniam destinat, curat candelabra argentea, aliamque sepellectilem sacram pretiosam. Diu post hoc votum nondum persolutum rapitur in vincula ob perduellionis crimen, cujus adhuc viventis bona addicuntur fisco. Tenebiturne fiscus secularis votum illud ratum habere, sic ut non possit illas pecunias, & supellectilem sacram in profanos usus convertere? ℞. P. Gobat hic, casu *primo num:* 4.7. *affirmativè.* Ratio est; quia fiscus, licet non sit propriè heres reorum læsæ majestatis, habetur tamen loco heredis, & tenetur ad omnia debita rei. Expresso textu L. *Non possunt S. de jure fisci.* Imo etiam ad omnia legata. L. *Dicetur eod: cum Glos:* Ergò tenetur etiam ad omnia vota realia rei, quandoquidem heres (cui comparatur fiscus) debeat re-

at realia vota defuncti præferre legatis, ut supra dictum, ex Sanchez & Layman.

§. VIII.

Quoad Executores.

DUBIUM 1. *Quis nam executor testamenti esse possit, & an etiam Religiosus?* ℟. quoad primam partem. Omnes tam Laici quàm Ecclesiastici, possunt esse executores testamentorum. Imò Clericus & Laicus simul, potest etiam femina esse executrix testamenti. Et mater transeat ad secundas nuptias, amittatq; tutelam filiorum, non amittit tamen munus executricis testamenti primi viri. Quando tamen aliquis suos fratres executores nominavit, intelligendi sunt masculi, & non feminæ, nisi tantùm sit masculus, & femina: nam tunc etiam femina intelligitur. Impubes executor esse non potest, benè tamen minor 17. anno completo. Ita Sanchez *lib: 4. Consil: c. 1. dub: 40. num. 1.* Molina *1. tom: dub: 147.* Vasquius *c. 9. de testamentis §. 3. dub: 1.* Quoad secundam partem ℟. cum distinctione: Religiosus non potest suscipere munus executoris, nisi de prælati sui licentia, & sufficeret tacita, & hoc de jure communi secundùm Sanchez *in Decalog: cap: 11. n. 11.* nam de jure speciali videnda sunt unicuique instituta & constitutiones Religionis. Religiosos tamèn hoc munus exercentes, teneri reddere rationem susceptæ executionis ordinarijs locorum, ita Sanchez *lib: cit: n. 22.* Item si Religiosus sine licentia superioris hoc munus acceptet, licet peccet mortaliter, ut tenet Sanchez *loc: cit: n. 18.* validè tamen id faceret, quia prohibitio solùm facit, quod actus sit illicitus,

citus, non tamèm nullus. dixi, *de jure speciali* nam Religiosi quibus specialibus suæ regulæ constitutionibus officium executoris exerceri prohibeatur tale munus nequaquam suscipere possunt, nam vel hujusmodi constitutiones sunt à summo Pontifice approbatæ, seu confirmatæ; & sic per hanc confirmationem derogatur præfato Capitulo 2. *de testament*: ubi generaliter Religiosis conceditur ut hoc munus de suorum superiorum licentia acceptare & exercere valeant, alias summus Pontifex sibimet ipsi contradiceret, quod supponi non debet: vel sunt factæ capitulariter à Regularibus pro bono communi Religionis, & communiter acceptatæ, & sic ratione acceptationis & promissionis observantiæ earundem, nec subditi hoc munus acceptare, nec superiores acceptandi facultatem concedere possunt, cùm jam per hoc fauori per prædictum capitulum sibi à Pontifice facto, cessisse supponantur, & alioqui unusquisque suo favori cedere potest. Navar: lib: 3. de restit: *c.* 1. *p.* 3. *in nocuis dub*: 1. *n.* 167. Sa Verb: *testam: n.* 44. Sanchez *in sum*: *lib*: 2. *c.* 11. *n.* 7

Quid autem dicendum sit de Fratribus Minoribus? Sanchez cum Lugo *super num*: 327. negant, posse Fratres Minores, etiam de licentia prælati licitè hoc munus exercere *ex Clement*: *exivi §. proinde cùm Vir Sanctus*, huic sententiæ videtur adhærere doctissimus Fagnanus *in p. parte decretalium de testam*: *C. tua nobis pag*: 350. *n.* 18. excipit tamen Fratres Minores S. Francisci, quibus hoc officium est interdictum, ut in Clement: Exivi §. *Verùm de Verb: significatione* adverte tamen ex Bordono in Decisionibus Miscellaneis *Decis*: 300, per Clementiam, *exivi de Verb: signif*:

Fra-

Fratres Minores hic veniunt tantùm intelligi de observantia seu Reformati & Capucini, qui non possunt esse executores testamentorum, propter duas rationes in ea Clement: expressas, & quia pro se neque pro alijs Fratres Minores possunt contrectare pecuniam, vel quid aliud proprietatis; & quia in judicio experiri non possunt, neque vocari; quæ duo in executore testamentario, ut plurimum necessaria sunt. Ideò &c. Cæteri verò Religiosi, tam non mendicantium, quàm mendicantium etiam Convẽtuales & Tertiarij possunt eligi à testatoribus executores suorum testamentorum, quia in istis non obstant adductæ rationes; siquidem cæteri omnes cotrectare possunt, & stare in judicio cum licentia tamen petita & obtenta à suis superioribus *cap: fin: de testam: in 6.* vide Sanchez *lib 6. cap: 11.* Ita Bordonus *loc: cit:* præterquam quod noster Cardinal: de Lauræa in Epitome Canon: *Verb: exequutor* Exequutores testamentorum possunt esse Religiosi de sui superioris licentia; alias non, Clement: *de testam: Can: Vnic:* hic enim universaliter & sine limitatione loquitur. Fauet etiam decisioni, & limitationi nostri Bordoni, doctissimus Pelizzarius. *Tract: 6. de præcip Reg: prohib: cap: 12. quæst: XI. n. 24 pag: 881. colum: 1.* dum ait: posse Regulares esse executores testamentorum, dummodo adsit debita licentia superiorum, & aliquo speciali jure id ipsis non prohibeatur (quomodo de facto prohibetur Minoribus de observantia in Clementina *exivi §. proinde cum Vir Sanctus de Verb: signific:*) idque sive testamentum sit ad causas profanas, sive ad pias; sive sit testamentum, sive codicillus, sive donatio causa mortis sive epistola, sive alia dispositio ultimæ voluntatis. Est

commu-

communis DD. & probat *ex cap. 2. de testam: in 6.* quod ita habet. *Religiosus executor ab aliquo in sua ultima voluntate deputatus, non potest, cum velle, vel nolle, non habeat, hujusmodi officium suscipere, vel exequi; nisi à superiore suo petita super hoc licentia & obtenta* ubi rectè notat Sanchez *supra cap: 11. num: 28.* textum loqui indistinctè de ultima voluntate, ac ideò non esse restringendum, neque ad solum testamentum, neque tantùm ad legata pia, (ut aliqui restringunt sed sine sufficienti fundamento)

DUBIUM 2. *An executor testamenti, potest hoc munus transferre in alium?* R. *negativè*, quia est electa in executore industria personæ. Ita officium executoris Religioso relictum, non potest transire in monasterium, cum sit officium personale, ac proinde censetur electa industria personæ quod nullo modo variari potest, quod idem dicendum, si hoc officium relictum sit alicui personæ seculari, eaque moriatur, illud enim ratione mox allata ad suos non transit heredes Sanchez *in sum: lib: 6. cap: 11. n. 21.* Excipe si aliquod negotium particulare alibi faciendum sit: nam tunc potest ab eo alteri committi. Item quando eligitur in executore aliqua dignitas, ut Episcopus Vlisponensis, qui aliàs non erat propinqvus testatoris, quia tunc cum dignitate, transit hoc munus ad successorem Sanchez *lib: 4. consil: cap: 1. dub: 2. n. 5.* An autem executor nominatus cogi possit ad hoc munus acceptandum? R. *negativè* Molina *d. 248.* Sanchez *lib: 1. consil: dub: 42.* peccabit tamen executor contra charitatem, si id non acceptet, quando aliàs proximus pateretur, & ipse posset tale munus commodè obire; non acceptans tamen omittit præmium,

& lega-

& legatum à testatore ob id relictum, non tamen alia legata, quæ aliàs testator relinqueret, etsi sciret ipsum non fore acceptandum hoc munus, præmium autem relictum cedit alijs testamentarijs nominatis acceptantibus *arg: legis Vnea §. Vbi autem C. de caducis tollendis.*

DUBIUM 3. *Quando testator non nominavit executorem, cui competit hoc munus?* R. competit hoc munus etiam quoad legata pia heredi à testatore relicto. Molina *d. 247.* Vasquius *de testam: cap: 9. dub: 4.* Excipe legatum in redemptionem captivorum: nam hoc pertinet ad Episcopum, *authen: de Ecclesiast: tit: §. si quis ædificat §. pro redempt:* & hoc etsi testator expressè prohibuerit, ne Episcopus se ingerat. Quando verò executores nominavit, si nullus eorum acceptavit, devoluitur executio testamenti ad Episcopum. Et idem est, quando nominati jure, vel absentia impediuntur, & tunc potest Episcopus hoc munus alijs delegare, quia pertinet ad ipsum, tanquam ad judicem ordinarium. Sanchez *lib: 4. consil: dub: 42. & 43.*

DUB: 4. *An executor testamenti, possit vendere bona testatoris ad exequenda legata?* R. *cum distinctione*, si est universalis, hoc est, qui nullo instituto herede fuit nominatus ad distribuenda bona in salutem defuncti animæ, potest vendere bona testatoris ad exequenda legata, quia testator quasi heres *l. si quis ad declinand C. de Episcopis Cleric:* executor tamen particularis, hoc est qui instituto alio herede nominatur ad exequendum testamentum, non potest vendere bona propria authoritate, etsi vendat, venditio est nulla. Excipe nisi testator id ei concedat in testamento; in hoc casu tamen debet prius vendere mobilia,

bilia, postea jura & actiones, postea immobilia *l. à Divo §. in venditione §. de re judicata* debet etiam vendere bona fide, & debito pretio & sub hasta. Potest tamen heres, impedire executionem, ne vendat, offerendo pecuniam ad legata solvenda, vel dando fidejussores, vel offerendo rem aliam vendendam, quæ cum minori incommodo vendi possit. Cæterum executor quando jure suo vendere potest non tenetur de evictione, sed heres, & potest non solùm vendere, sed & permutare, & obligare, vel insolutum dare. Non potest tamen hac facultate uti ante aditam hereditatem de jure communi, nisi ad legata pia, nec nisi prius requisito herede, nisi hic ex industria fugiat præsentiam executoris, vel nisi in rebus claris, in quibus non est necesse heredis voluntatem explorare, ut vide Molinam *d. 247.* Sanchez sub dub: 46.

DUBIUM 5. *An executor possit invito herede solvere legatarijs & creditoribus defuncti?* ℞. *cum distinctione*, quod si heres non resistit posse solvere legata & debita, quæ sunt in testamento petenda ea ab herede, non tamen quæ sunt extra testamentum quia ipsi sunt executores tantùm testamenti. Quod si heres resistat, non potest executor accipere rem legatam, ut eam tradat legatario propriâ auctoritate, potest tamen intimare Episcopo ut compellat heredem. Potest etiam agere adversus heredem, & debitores hereditatis ad legata pia, vel causa alimentorum pauperum; ad alia verò si sit mere executor, agere non potest directè, sed debet implorare officium judicis, ut ipse heredem cogat; solent tamèn testatores dare facultatem executoribus agendi adversus heredes & alios quoscunque. Ita Molina *d. 247.*
Ex his, adpraxim.

Collige

Collige 1. Executores tenentur reddere rationem, sivè judici seculari, sivè Ecclesiastico, est enim hæc causa mixti fori, in qua datur locus præventioni, non tamen tenentur reddere rationem de illis, quæ eis secretè defunctus exequenda commisit, & disposuit, quando id ex testamento constat, vel testibus probatur, nisi præsumatur fraus, quia res distribuendæ reperiuntur penes ipsum executorem. Ita Sanchez *lib: cit: dubi 49.* An autem executori debeatur salarium? R. *negativè,* siquidem est pietatis officium. Ita Sanchez *lib: dubi 50.*

Collige 2. Si testator non præfixit tempus executori intra quod debeat exequi testamentum, tenetur in foro externo intra sex menses exequi legata pia, cætera verò intra annum, ex Authent. *de Ecclesiast: tit: §. si autem legat l. null: cod: de Episcopis & Clericis.* Hoc tamen tempus non currit ignoranti, & impedito, & computatur à morte testatoris, vel saltem à die aditæ hereditatis, quoad non legata pia, quo termino transacto, & præcedente monitione, si executor negligens fuerit, transfertur executio, in Episcopum etiam quoad legata profana; sed hoc post sententiam. Et idem dicendum de eo, cui concessa est electio pauperum, quibus legatum dividendum est. Ita cum alijs Molina *d. 251.*

An autem testator possit prohibere, ne executio devolvatur ad Episcopum? R. *affirmativè,* substituendo alium executorem, casu quo primus debito tempore non exequatur, vel dando liberam potestatem exequendi quolibet tempore, vel præcipiendo, quod legata non mandata executioni tali tempore convertantur in talem usum determinatum; in alijs tamen casibus, in quibus

testator

testator non providit, non potest jus illud ab Episcopis auferre, quod legibus ipsis competit. Sanchez *lib: cit: dub: 63.* Molina *d 25 1. & alij*

DUBIUM 6. *Testamenti executor Religiosus, an possit ex pecunijs quas testator distribui jussit inter pauperes & pia opera, sibimet tanquam pauperi aliquas applicare?* R. *affirmativè*, cum Thoma Sanchez *lib 6. cap xi num: 61.* Ratio est, quia ut optimè notavit Parisius Consil: *86. n. 24 vel 4.* cùm Religiosus hanc eleemosynam sibi applicatam expendere debeat, in usibus sibi necessarijs, quibus à conventu expensæ suppeditandæ essent, relevat ab eo onere conventum, ac subinde suo monasterio censetur eam eleemosynam applicare, atque ita distinctio personarum salvatur, ita docet Barthol: Sylvester, V. *testam. 1. quæ: 2. dicto 5* & plures alij Tum quia quidquid acquirit monachus, est revera monasterij, illudque posset eam eleemosynam Religioso applicatam auferre, & in generales conventûs usus consumere, & convertere, & ex sola sua voluntate concedit illius usum huic monacho. Eo vel maximè nostra sententia sumit robur & fundamentum, dum testator Religioso, aut cuicunque alij tradit pecuniam aliquam distribuendam inter pauperes, non præcisè ob hunc finem, & principaliter. Sed magis gratiâ exonerandi conscientiam debitis incerti domini gravatam, unde posset sibi applicare Religiosus vel quivis alius, si verè pauper est; nec in hoc distinguendum credo, an tradens pecuniam, novit paupertatem hujus, an eam ignorârit, sed in utroque casu id fieri posse existimò, prout existimat Sanchez *loc: citat: n. 62.* Rationem allegans, quia tradens pecuniam distribuendam, nil aliud intendit, quam

conscientiam suam exonerare, neque curat de pauperibus, quibus ea pecunia distribuenda est, sed de sola conscientiæ exoneratione, qui finis satis obtinetur, cuicunque pauperi, etiamsi sit ipsemet distributurus, applicetur. Atque idem intelligendum, quando executores jussi sunt à testatore restituere aliquas pecunias pauperibus, ratione æris alieni, cui incertus dominus adstrictus erat: poterit enim executor verè pauper, retinere, quamvis solus ipse executor institutus sit, ejusque paupertas esset testatori cognita, quia militat eadem ratio tradita; tum quia potest dari casus, quòd notabiliter major paupertas subveniret executori, quàm ea quæ tempore testamenti erat testatori nota; tunc enim non censebitur exclusus, quin possit partem sibi illius eleemosynæ applicare.

DUBIUM 7. *Executor ad distribuendas aliquas pecunias constitutus, an possit sibi, vel suis eas adjudicare?* ℞. *cum distinctione*, regulariter non posse seipsum eligere, vel in proprios usus convertere, nisi fortè gravi necessitate premeretur, tunc enim videtur aliquid moderatum sibi retinere posse, si revera indigeat juxta mentem D. Thomæ 2. 2. *quæst: 61. artic: 5.* & plures alios. Notandum verò est illud D. Antonini monitum *p. 3. tit: 10. c. 1. §. 1.* His verbis testatori exhibitum, caveat testator, ne de malè oblatis, quæ restitutioni obnoxia sunt, heredibus suis relinquat, vel ut fiat indè sacellum, paramenta, vel calices, & hujusmodi; sed si salubriter vult animæ suæ providere, dimittat restituenda certa certis personis, & incerta pauperibus, non ædificijs; non est hoc pauperibus dare, qui sunt ut heredes in incertis; & Religiosi vel alij malè faciunt, & male

malè consulunt, qui pauperibus eroganda, in alia convertere faciunt, sine alia dispensatione: hæc ille. Quod etiam animadvertit Salon; & Aragon, & Sayr. *lib: 10. clau: reg: tract: 11. c. 2. n. 21.*

DUBIUM 8. *An executores diutiùs legata pia non exequentes peccent, & quomodo peccent?*

R. tales heredes & executores gravi scelere se obstrinxisse, cùm solutionem ex pijs legatis debitam diutiùs sine justa causa distulerint; etsi biennium excesserint in casum etiam reservatum incidisse, si hoc peccatum ab Episcopo ob ejus gravitatem, ut multis in locis fit reservetur. Imò in hoc delictum in aliquibus Diæcesibus excommunicationis gladio animadverti solet, & jure meritò, quandoquidem ex sacris sanctionibus non solùm qui oblationes idest ea quæ relicta sunt Ecclesijs negant, sed qui difficilè & serò reddunt, tanquam egentium animarum necatores hujusmodi pænâ plecti, & tanquam infideles, & de resurrectione malè sentientes ab Ecclesia eijci jubentur *C. qui ablationes 1. & 2. 13. q. 2* Graffius *lib: 1. decis: c. 26. n. 14. de casu reserv: lib: 2. capi 26. n. 17.* Legata tamen pia non impleta animam defuncti in purgatorijs pænis non retardant, ut ob hujusmodi moram ibi puniatur, ob hoc enim negligens executor plectetur. Undè communitèr DD. colligunt, heredem & executorem letali vulnere animam propriam, ob talem præcipuè dilationem in exequendo magnam, sauciare. Pet: Navar, *de restit: lib: 3. cap: 4. n. 164.* Bellarm: *tom: 1. lib: 2. de purg: c. 16.* Quorum proinde executorum munus est, testatoris æs alienum solvere, & quidquid ultimarum voluntatum executionem concernit, adimplere, etsi dolo vel negligentèr, in administratione se gesserint,

præter peccatum mortale, quòd admittunt, damnum quoque secutum restituere tenentur.

DUBIUM 9. *Testator si Ecclesiam construi mandavit, an executor plùs expendere possit, & compensationem facere?* sensum esse hujus dubij clarum, executor plus de suo in capella extruenda expendit, quàm disponens præscripsit, an possit clam surripere executor & sibi compensationem facere? R. *affirmativè*, perpensa conditione defuncti, & ejus facultatibus, posse boni viri arbitrio considerari, an executor benè illud pluris de suo expenderit, etsi potest ab heredibus exigere, aliàs enim remoto scandalo, integrum ei esse de illo, pluris sibi justam compensationem facere, ex illa regula, quæ multùm in testamentorum momentis perpendendis valet, quod si testator interrogatus fuisset, an plus insumi vellet, idem respondisset *l. tale pactum §. 1. ff. de pactis.* siquidem testantium dispositiones ex juris communis pariter dispositione, ex verbis testamenti, & ex ipsorum testantium, verisimili mente interpretari debemus, ita ut à sapientibus, & rectè sentientibus reprehendi non possit. Menoch *Volum: 7. consil: 623.* Molfes *tract: 13. cap: 8. n. 189.* Præterquam quod explorati juris est debitis conditionibus concurrentibus cuique licere rem suam, vel æquivalentem compensationem accipere; & illa est ratio manifesta, quia in tali casu nulli injuriam irrogat, imò rem ad æqualitatem ex commutativæ justitiæ legibus reducit, cùm aliâ viâ commodè jus suum consequi non valeat, ut ex communi tam Theologorum quàm Juristarum sententia, tradit Menoch *lib: 2. de arbitr: judic: casu 516.* Barbos: *de offic: Episcop: allegat 96. p. 2. n. 49.* Guttierez *in 99. Canon: lib: 1. c.*

tt. n. 67. ubi ad multa inferens dat etiam exemplum in pulchro casu mulieris habentis res quasdam amici sui, qui eam stupravit, & dotem ei ante promiserat, nam eo defuncto, pro justa compensatione eas retinere potest, donec promissa dos solvatur, neque ad generales monitiones revelare tenebitur.

DUBIUM 10. *An executor testamenti possit ultra intentionem testatoris, rem in melius commutare? R. cum distinctione* cum Patritio. *tract. 5. in Decal. cap: III sect: 6. de testam.* execut: sect: 6. §. III. num: 103. nam si testator suam intentionem sufficienter expressit, cui, quid, & quomodo tribuendum, tunc talis executor, omni jure strictissimè obligatur ad executionem testamenti, quia intentio testatoris, est anima testamenti, sicut intentio legislatoris est anima legis. Undè quando intentio testatoris justè & honestè impleri potest, executores, etiam Episcopus, non possunt licitè, in aliud quantumvis melius commutare. Et Concilium Trident: *sess. 22, cap: 6. de reform:* jubet Episcopos de executione ultimarum voluntatem esse solicitos adeò, ut etiam habitâ licentiâ Apostolicâ commutandi, prius inquirant de veritate precum, & informationis factæ Pontifici Per Epikeiam autem potest, ut si justâ causâ præignoratâ à testatore vel de novo incidens subsit, quam si testator cognovisset, vel prævidisset, aliter disposuisset, & nunc quoque si viveret contentus esset in illum alium usum converti: quod secundùm Epikeiam interpretari ad executores, & maximè Episcopum pertinet. Quo sensu intelligendum, & certum est, quod dicunt Covarruvias, Emanuel, Sa, & alij apud Layman *cit. tract. 5. c. 11. n. 11.* scilicet posse Episcopum,

cum consensu executorum convertere, in majorem publicam necessitatem, quod ad minorem (vel modò omninò cessantem) erat relictum: scilicet per Epikeiam, non per dispensationem propriè dictam, quæ solùm ad summum Pontificem pertinet. v. g. testator legat Ecclesiæ centum aureos pro ornamentis: Ecclesia autem tunc non indiget ornamentis, vel si indigeat, tamen interim alio providente, postea non indiget: indiget autem restauratione tecti, poterit Episcopus cum heredis vel executoris consensu, pecuniam convertere in illum alium pium usum magis necessarium eidem Ecclesiæ. Quòd si autem intentio testatoris ad illum usum pium à se destinatum impleri non possit, non ideò legata relicta caduca fiunt, cùm principalis intentio relinquendi fuerit salus animæ, & honor Dei; sed arbitrio Episcopi, & executorum ad aliam piam causam applicanda sunt; tanquàm maximè conformiter voluntati testatoris.

Quid autem dicendum, de relictis incertis quò ad legatarium quia v. g. duo eodem nomine vocantur, aut si, neque ex coniecturis possit cognosci de quo testator locutus fuerit. R. licet spectato solo jure naturali rectè doceat Molina *Tom: 1. tract: 2. disp: 197.* dividenda esse ex æquo in utrumque, tamen simili jure boni publici causâ, ad vitandas lites statutum est, ut legatum corruat, seu caducum fiat. *L. si fuerit 10. l. si quis de pluribus 27. ff. de rebus dubijs*, sed intelligendum de legatis profanis tantùm: excipiuntur enim legata ad pias causas, quæ ob incertitudinem loci, vel personæ caduca non fiunt: sed quantùm potest conformiter ad intentionem testatoris, uni aut alteri applicari debent. *Authent: de Ecclesiast: titulus*

gulus c. 9. ubi ponitur exemplum Christi: si quis uni Sanctorum legatum reliquisset, & in eodem loco plures Ecclesias haberet, dandam esse pauperiori in dubio: quia id conformius est intentioni testatoris. Unde etiam intelligit Ludovicus Miranda *in manual: tom: 1. q. 32. a. 8.* in tali dubio monasteria monialium præferenda esse monasterijs virorum.

Quid dicendum de incertis, ex parte ipsarum rerum? ℞. distinquenda sunt: vel enim res est determinata à natura ad certos limites optimi, mediocris, minimi, ut eqvus, bos, triticum, vinum &c. & tunc danda est una de mediocribus. L. *legato generaliter* 37. *ff. de legatis* 17. vel res non est determinata à natura ad certos ejusmodi fines, sed solùm ab humana arte vel æstimatione, ut domus, vestis, sciphus &c. Et tunc executor, vel heres dando rem quamlibet, etiam minimam liberatur & satisfacit *ff. cit.* idemque dicendum de rebus legatis in numero, pondere, & mensura consistentibus, sufficit enim in eo genere, & quantitate minimum tribuere L. 3. *ff. de tritico, vino, & oleo legato.* Idque (contra Bartolum, Abbatem, Covarruviam, & alios piè excipientes legata pia in meliori præstanda) non improbabiliter etiam ad legata, ad pias causas, cum Baldo & alijs extendunt, Molina *disp: 198.* Sanchez *lib: 4. moral: cap: 13.* Layman *cit: c. 11. n. 9* Ratio est, quia in dubio est melior conditio possidentis domini, qui nullo jure solvere cogitat, nisi ostendatur debitor: atqui heres est dominus bonorum defuncti, etsi cum onere solvendi legata secundùm valorem à defuncto intentum: ergò in dubio non tenetur solvere de meliori, vel majori, sivè ad pias causas, sivè ad profanas; quemadmo-

dum & ipse dominus, si aliquid Ecclesiæ promisisset, imò vovisset, in dubio satisfecit præstando rem in eo genere minorem *c. ex parte de censibus.* & communis doctrina in materia de votis. Intellige semper: *nisi aliud aliundè constare possit:* ut expressè dicitur L. *nummis 75. §. de legatis 3. Nummis indistinctè legatis, receptum est, ut exiguiores legati videantur; si neque ex consvetudine patrisfamiliæ, neque ex Regione, unde fuerit, neque ex contextu testamenti possit apparere.* Vide Layman cit.

§. IX.

Quoad inventarium conficiendum.

Supponas 1. inventarium nihil aliud esse, quàm descriptionem bonorum defuncti, quæ describenda sunt. Fuit autem introductum à Iustiniano *in l. fin §. Cod: de jure liberandi.* Est autem duplex: alterum solemne, & cum publica authoritate factum, aliud simplex, & privatum, quod est veluti index rerum memoriæ causâ. Jnventarium autem solemne tenentur efficere heredes coram judice laico, nisi defunctus sit Episcopus, & decedat intestatus, vel clericus instituens heredem clericum, secùs si laicum instituat heredem. Et ratio est, quia exemptio etiam post mortem Ecclesiasticorum pertinet ad bona, quamdiu non transeant ad laicum; Si tamen instituant laicum heredem tunc bona sequuntur conditionem heredis. Jta Molina & Fragosus *p. 3. lib: 5 disp: 1. §. 18 num: 589.*

Supponas 2. Ex confectione inventarij plura privilegia resultare. *Primum* datur præsumptio, quod nisi sit alia bona, etsi legatarij aliud affirment, illis incumbit onus probandi. *Secundo*

eundò inventarium intra terminum inchoatum valet, quamvis post terminum res de novo reperta adijciatur, quamvis fuerit in termino perfectum. *Tertiò* heres non faciens inventarium tenetur integra legata solvere etiam ultra vires hereditatis text: *in Authent: sed cum testator C. ad leg: Falcid:* Secùs si conficiatur inventarium, nam tunc non tenetur ultra vires hereditatis creditoribus & legatarijs solvere. Excipe si Ecclesia sit heres, nam hæc etsi adeat hereditatem non confecto inventario non tenetur legatis & creditoribus, nisi juxta vires hereditatis, ut cum Ægidio & alijs probat Fragoso. Molina *tom: 1. tract 2 d 216. Quartò* heres durante tempore inventarij non potest conveniri, neque legatarijs, neque à creditoribus, excepto legato pio, ita cum Rebuffo. Suarez *Quintò* potest conficiens inventarium detrahere a legatis Falcidiã si sibi non superfit, quarta pars bonorũ defuncti. Molin: *d. 216.* quam partem non deducet non confecto inventario, *l. fin: §. sin autem c. de jure delib:r Sexto* confecto inventario quamvis legatarijs seu creditoribus debeatur quantitas certa, & non res determinata in individuo seu in specie, quæ sit in rebus hereditarijs, si pecunia defficiat in hereditate nec sit emptor qui res hereditarias ea lege velit emere, ut heres non teneatur de evictione, potest legatarios, & creditores cõpellere ut accipiant res ipsas hereditarias in solutum. Ita Valasco, Molina *l. cit:* Fragoso. *Septimò*, heres confecto inventario, extrahit expensas funeris, & quòd consumpsit in publicatione testamenti, & in confectione inventarij, & in reliquis hereditati necearijs. Molina *d. 216. versu sexto* his præsuppositis:

DUBI.

DUBIUM 1. *Heres non conficiens inventarium, an tenetur in foro conscientiæ solvere creditoribus vel legatarijs ultra vires hereditatis?* R. *negativè.* Ratio est; quia prædictæ leges fundantur in præsumptione; ergò non ogligant in conscientia, quando de veritate contrarium constat, & in foro interiori, veritas prævalet, & non præsumptio, *per cap. à nobis 2. de sent: excomm:* Ita Egidius Lusitanus, & plures alij contra Molinam *d. 217. Conclus: 1.* Luguni *disp: 14. num:* 253. undè quamvis heres ex culpa sua non confecerit inventarium, adhuc non teneri solvere debita vel legata in foro conscientiæ defuncti, si illa hereditatis vires excedant, & exhauriant, quandoquidem lex civilis & forum contentiosum præsumptioni innititur, & plus inhereditate fuisse præsumit, & quod heres ex quo indicem seu inventarium non confecit, bona defraudaverit, undè cum de contrario in animæ judicio constat, juris dispositio locum non habet. Ita Sanchez *de præcepto Decalog: lib: 5, cap. 15 num:* 37. Bonac: *d. 3. q. ult: punct: ult: propos: 1. & est communis opinio.*

Quæres 1. An testator possit remittere heredi confectionem inventarij? R: *cum distinctione* posse respectu legatorum, non tamen respectu creditorum; nam creditoribus non potest nocere testator, benè tamen legatarijs. Ita cum Molina, Fragoso.

Quæres 2. An testator possit remittere confectionem inventarij tutori? R. *affirmativè l. ultima Cod: arbitrium tutelæ* si tamen judici videbitur expedire, potest tutorem cogere, ut faciat inventarium non obstante remissione testatoris. Ita cum multis Fragoso *num:* 593.

Quæres

Quæres 3. An præter heredes, tenentur filij conficere inventarium, ſicut alius heres extraneus? ℞. *affirmativè*, non amittit tamen filius non confecto inventario legitimam, tenebitur tamen debita patris integra de ſuis bonis ſolvere, niſi legatarij & creditores fateantur non reliquiſſe patrem, niſi ea bona, quæ heredes affirmant. Menoch *de divis: bonorum lib.* 1. *c.* 1. *n.* 12. Amittet etiam filius non conficiens inventariũ Trebellianicã Menoch *l. cit. n.* 10. Fiſcus autèm non tenetur efficere inventarium, niſi heres inſtituatur? Ita Pinello, & cum alijs Fragoſo *ſupra num:* 591. Quid autem intelligant Juriſtæ per hunc terminum *Trebellianicam*, quam amittit filius non conficiens inventarium? ℞. cum Molina *tom:* 1. *diſp:* 187. *Trebellianica*, *quarta* dicitur, & modo ſic appellatur, *Pegaſiana* olim fuit, nam Pegaſiano S. C. inſtitutum eſt, ut qui fidei commiſſum, ſive univerſale ſive particulare reſtitueret, quadrantem ſibi retinere poſſet, *S. ſed quia de fidei com: her:* undè facilè innoteſcit id quod lex *Falcidia* eſt in legatis, *Pegaſianum* eſſe in fidei commiſſis. Nàm ſicut heres, in cujus hereditate plus dodrante legatum eſt usque ad quadrantem integrum retinere poteſt, eodem modo is qui plus dodrante (continet dodrans novem uncias) ſive multis reddere ſit rogatus, quartam ſibi retinere poterit; & hæc eſt differentia inter Falcidiam & Trebellianicam.

Quæres 4. Pater adminiſtrans bona filij, an teneatur efficere inventarium? ℞. *cum diſtinctione* de jure Luſitano affirmativam tene, non tamen de jure communi. Molina *d.* 219, ſed ſufficit, ſi faciat deſcriptionem omnium bono-

rum

rum filij, per publicum notarium coram filio, & duobus amicis, ut eo modo defuncto patre, seu avo, facilis sit probatio, & constet post mortem illius; quæ fuerint filij, vel nepotis bona. Jta Molina *l. cit:* & cum multis Fragoso. Quòd verùm est, etsi pater transeat ad secundas nuptias, tenebitur tamen ad petitionem filiorum à judice ex officio compelli ad scribenda bona, etiam mobilia, ut post mortem constet de bonis relictis, Et idem tenetur efficere mater. Ex his quo ad praxim.

Collige 1. Confecto inventario potest heres solvere creditoribus & legatarijs, prout quilibet eorum primus venerit, quamvis nihil alijs creditoribus reservetur, Nec alij de hoc conqueri possunt, nisi id heres sciens alios esse creditores, & legatarios ex malitia efficeret Jta Valascus *Consult:* 52. *num:* 38. & cum alijs Fragoso *num:* 60. Excipe heredes usurarios qui non gaudent hoc beneficio. Jta cum multis Fragoso *l. cit: num.*

Collige 2. in inventario pleno debent scribi res omnes tàm mobiles, quàm immobiles quæ ad hereditatem pertinent, undè scribenda sunt etiam bona emphyteutica, & fædum hereditarium, item res depositæ, & commodatæ, imò & pignus, nec non fructus, & accessiones, quæ augent ipsam hereditatem. Hæ autem omnes res debent scribi æstimatæ ab officialibus civitatis, *l hoc edictali §. his illud adjungimus Cod: de secund: nupt:* sed de his & alij, vide juristas & Canonistas.

§. X.

§. X.

De Legato.

Quòad mentis interpretationem testatoris in Legatis.

Supponas 1. Legatum sic describi; quod sit donatio quædam à testatore relicta ab herede præstanda Ita communiter DD. Relinquuntur autem legata non solùm in testamento, sed etiam in codicillis, unde qui potest testari & codicillare, potest legare, & relinquere, fidei commissum, qui non potest testari vel codicillare non potest legare *l. sciendum*. Jmò legatum potest relinqui nutu à testatore ut si interrogatus an relinquat equum Petro, & ipse capite annuat, vel alio quovis signo. Debetur autem legatum post mortem testatoris, & post aditam hereditatem. Fit verò legatum communiter his verbis; *lego, do, dare jubeo, volo,* & alijs de quibus Sylvester *verbo legatum l qui: 10*

Supponas 2 Legatum aliud ad pias causas; aliud ad profanas, legatum ad pias causas, est, quidquid relinquitur, pro Dei vel sanctorum honore, pro salute animæ, pro miserabilibus personis, viduis, pupillis, peregrinis, pauperibus, aut alijs locis pijs, ut hospitalia, conventus, quod relinquitur ad custodiam civitatis, ad refectionem pontium, viarum, murorum &c. Si necessitas urgeat, quod relinquitur pro Ecclesiæ ornamentis luminaribus, fabrica, & alijs ad divinum officium pertinentibus, quod relinquitur pro liberandis captivis, pro maritandis, puellis, pro alimentis egentium, pro consangvi-

neis

neis pauperibus ob paupertatem, secùs si solùm relinquatur ad dotandas orphanas, consanguineas, quia censetur prævalere affectus sanguinis. Lugo *d. 24. num. 237.* & cùm communi sententia. Barbosa *lib: 3. de jure universo cap: 27. num: 2. usque 25.* Legatum profanum est, quod ad pias causas modo dicto non est relictum.

Supponas 3. è legatis pijs non potest detrahi Falcidia, nec Trebellianica, idest quarta bonorum pars, potest autem Papa hæc legata pia in aliud commutare sine causa ex parte rei non vero ex parte Papæ. Ordinarius verò poterit, si adsit causa ex parte ipsius & legati, Barbosa de potest: Episcopi allegat: *83. & dicto cap: 27. à num: 46.* Princeps verò non cognoscens superiorem potest commutare legatum profanum, in aliud profanum, vel in pium usum convertere. Sa *Verb: Legatum* Tandèm adverte non solùm ordinarium, sed etiam judicem secularem, posse esse executorem legati pij, & ultimarum voluntatum, ita ut in his, detur locus præventioni. Barbasa *de jure universo cap: 27: n. 22. 23. 24.*

Supponas 4. Legatum esse aliud absolutum, aliud conditionatum; absolutum est, cùm quis sine conditione alicui legat centum, conditionatum est, quando legatur aliqua conditione, ut si castè vixerit, si nupserit, &c. Legata conditionalia non valent non adimpleta conditione honesta, & possibili culpa legatarij, quia non servatur intentio legantis. Conditio turpis vel impossibilis habetur pro non adjecta, & sic valet legatum etiam sine illius impletione. Sylvester *Verb: legatum 2. num. 3. & 4.*

Suppons

Supponas 5. Legatum etiam pium in dubio esse strictè, & secundùm minus interpretandum, nisi aliud ex circumstantijs colligatur de mente testatoris; undè si quis legavit calicem Ecclesiæ, sufficit si heres tradat argenteum, quia præsumitur testatorem voluisse gravare heredem, quàm minùs possibile esset. *l. unum ex familia §. si rem §. de legat:* Hinc fit, quòd si testator præcipiat construere oratorium tali forma assignata, tantâ pecuniæ summâ, si heres illud facit minori summa, non tenetur residuum restituere, talis namque pecunia censetur designata demonstratiuè, & non taxativè; Excipe si tantam pecuniam assignavit, ad exonerandam conscientiam. Covaruvias quem refert & sequitur Vasquius *de testamentis cap.* 8. *§.* 5. *dub:* 1. sed ut melius hæc materia elucescat, proponuntur hic aliqua dubia in quibus declarabitur, quomodo. mens testatoris in varijs casibus, in legatis, interpretanda sit.

DUBIUM 1. *Legatum relictum pauperibus, vel monasterio, quibus pauperibus, vel Monasterio tradendum sit?* ℞. Legatum relictum pauperibus vel monasterio, tradendum esse pauperibus & monasterio illius loci, in quo testator habet domicilium, nisi testator reliquerit heredi potestatem eligendi pauperes vel monasterium, præsumitur namque testatorem habuisse majorem affectum ad talem locum. *l. Si quis ad declinand: §. autem Codi de Episcop: & Cleric:* Sanchez *lib.* 4. *Consil. p.* 1. *cap.* 1. *dub:* 60. *n.* 2. & 3. Si tamen in eodem loco sint plures pauperes vel Ecclesiæ, tribuendum est legatum pauperioribus. Mantica *de conjecturis ultim: volunt: lib:* 8. *tit.* 5. *num.* 6.

DUBI-

DUBIUM 2. *Si testator committat heredi facultatem eligendi pauperes, vel monasterium? an teneatur eligere pauperiores?* R. negativè Sed sufficit si pauperes sint, etsi sint Religiosi mendicantes, at si aliquis esset in extrema necessitate, esset ex charitate præferendus. Ita Sanchez *supra l. cit: num: 5* Mantica *l. cit: n. 6.* Diana *p. 1. tract. 2. Miscell. resolut. 8,* Non poterit tamen seipsum eligere, vel filios suos, nisi gravi præmantur egestate Bonac: *l. cit: num: 9.* & alij plures. Dicitur autem pauper persona, quæ non potest commodè & honestè vivere secundùm suam conditionem, & qui egent opportunis ad decentiam statûs, undè his possunt distribui legata in pauperes relicta Diana *p. 1 tract: 1. Miscellan: resol: 8.* Filliuc: *tom: 2 tract. 32. cap: 4. num: 95.*

DUBIUM 3. *Legatum relictum Canonicis, quomodo sit interpretandum?* R. Legatum relictum Canonicis; non censetur relictum Ecclesiæ nec singulis Canonicis, sed Collegio Canonicorum; undè dividendum est secundùm diversitatem graduum, prout solet distributio fieri in ea Ecclesia. Secùs dicendum est, quando relinquitur singulis Canonicis; nam, tunc est dividendum æqualiter inter Canonicos, relictum autem alicui Canonico illi solùm datur, seu debetur. Ita cum alijs Bonac: *supra num: 10.* Manca *supr. lib: 8. tit: 6 num: 22.*

DUBIUM 4. *Legans triticum, quod domi habet, si illud consumpsit, ad quid tenetur heres?* R. ad nihil tenetur legatum namque cessat extinctare legata. Si tamen loco illius substituit illud cum suo augmento debetur. Et idem dicendum est, si testator postquam legavit triti-

cum

sum, quod in tali domo habebat, ei aliud novum auxit, totum enim augmentum legatario debetur. Secùs si inscio testatore facta fuit additio; nam tunc tantùm debetur legatario, quod erat tempore testamenti. Ita cum Molina, Vasquio, Bonacina supr. *n. 11.* E contra verò si quis legavit centum, quæ in tali arca habebat si tantùm inveniantur 50. ad id tantùm tenetur heres legatario Sanchez *in Consil. lib. 4. cap. 2. dub. 7.*

DUBIUM 5. *Legatum relictum consanguineis pauperibus, quos executor elegerit, an sit tradendum pauperibus, quos executor elegit?* R. *affirmativè*, nec est necesse quod eligat propinquiorem, vel pauperiorem, sufficit si eligat consanguineum pauperem, si tamen nullum eligat, dividendum est, inter consangvineos. Ita cum Lopes, Mantica, & alijs. Sanchez *in Consilijs p. 2. lib. 4. C. 2. dub. 12. n. 14.* Secùs dicendum est, quando non esset data electio, sed relinqueretur legatum consanguineis, vel pauperibus; nàm tunc distribuendum est inter magis conjunctos, & inter pauperiores. Et idem dicendum est, quando non data electione, relinquitur aliquid dividendum inter Clericos pauperes; nam tunc sacerdotes pauperiores alijs non sacerdotibus præferendi sunt. Secùs quando data est electio executori, nàm tunc potest eligere Clericum primæ tonsuræ pauperem. Ita cum alijs Sanchez *l. cit. dub. 62. num. 4.*

DUBIUM 6. *An legato principali, censetur Legatorium accessorium?* R. *affirmativè*. Undè legata domo censetur legatum viridarium illi annexum; & legatâ veste, censentur legata

ornamenta aurea, vel argentea ipsarum vestium & legato lecto, censentur legata ornamenta illius. Ita cum Sa, Sylvestro, Covarr: Bonac: *loc. cit. punct. ult. num:* 13. Sed quid si accessorium non extet? ut si legetur equus cum suis ornamentis, & equus non habeat ornamenta? R. equum adhuc deberi, quia non ponuntur taxativè, sed accessoriè & argumentativè, secùs dicendum est, quando ornamenta ponuntur taxativè, ut si dicat testator, relinquo Petro equū, qui habet tale ornamentum; nàm tunc, si non detur equus, habens tale ornamentum, non debetur legatum. Et idem dicenddm de legato relicto cum falsa demonstratione loci; nàm si legatum & demonstratio continentur in eadem oratione, censetur demonstratio apposita taxativè, ut si quis dicat, lego Petro centum ex fructibus talis fundi; nam tunc si decem ex fundo non colligantur non tenetur heres, aliundè compensare, sed solùm tenetur tradere id, quod ex tali fundo percipitur; si tamen legatum & demonstratio contineatur in duplici oratione, demonstratio ut lego Petro centum, quæ volo solvi ex fructibus talis fundi, tunc demonstrntio apponitur demonstrativè, quo casu centum solvenda sunt Petro, etsi tot ex fructu non colligantur. Ita cum Sanchez & alijs Lugo *d.* 24. *num:* 122. & 126. Bonac: *l. cit: num:* 12. & 14.

DUBIUM 7. *Quid si demonstratio sit falsa circa personam ut si dicat: lego 100 Petro, qui est meus Vicinus?* R. *cum distinct:* quod si constet non erasse circa Petrū, sed solū circa qualitatē, non viciari legatum, nisi qualitas demonstrata fuisset causa legandi, ut si diceret, lego Petro filio meo; vel consanguineo; præsumitur namque

quæ testator solùm ad qualitatem attendere, quæ si non detur, corruit legatum: Ita Molina *d. 111.* Lugo *l. cit: disp: 24. num: 257.* Et idem dicendum est, quando testator erravit etiam in persona, ut si putavit suum esse fratrem quem sedentem juxta se habebat, cùm tamen non esset, sed alius ei similis & diceret lego huic meo fratri centum cùm tamen ille non sit suus frater: nàm tunc corruit legatum, tùm respectu designati istius, à testatore, cùm sit error in substantia, tum respectu proprij fratris, cùm defacto eum non designaverit, & intentio nominandi non sufficit, ad institutionis valorem, secùs si alio sufficienti signo demonstraret proprium fratrem. Lugo *l. cit: num: 258.*

DUB: 8. *Quid si testator jubeat fieri ædificiũ instar alteriùs, quod nominat, cùm tale ædificiũ tamen non sit?* ℞. tunc faciendum esse ædificium arbitrio boni viri ut voluntas testatoris impleatur. Ita cum Molina, Bonacina, Palao, & alijs Lugo *d. 24. num: 259.* Sed quid si testator leget rem indeterminatam? ℞. quod si leget rem in genere, ut lego aliquid, vel aliquod animal Petro, inutile esse legatum, si tamen legavit rem in specie infima, ut si diceret relinquo unum equum Petro, tunc si testator unum tantùm habet, hic debetur, vel alius æquè bonus, si plures habeat, potest legatarius unum ex illis eligere, non tamen optimum sed mediocrem. Ita cum multis Molina *d. 198. num: 2.* Excipe si sit legatum pium, nam tunc debetur de meliori. Diana *p. 3. tract: 6. resolut: 29.* Et idem dicendum est, etsi legatum non sit pium, si testator tantùm habet duas res illius

speciei v. g: duos equos: nàm tunc potest legatarius meliorem eligere. Molina *l. cit: num:* 3. Excipe, nisi executio de re indeterminata committatur heredi, ut etsi dicat, dabitur Petro unus equus, nam tunc electio pertinet ad heredem Molina *l. cit: num:* 4.

DUBIUM 9. *Fructus rei legatæ cui competant?* R. fructus rei legatæ, si legatum consistis in re particulari debetur legatario à die mortis testatoris, etsi heres differat adire hereditatem, quia aditio hereditatis retrotrahitur quoad hunc effectum ad diem mortis *l. Si tibi homo § cum servus. ff de legatis,* limita tamen, nisi testator legaverit rem simul, cum fructibus & emolumentis: nam tunc debentur fructus percepti vivente testatore. *l. Lucius* 1. *ff de legatis 1.* Quod si legatum consistat in re generica, fructus non debentur, nisi à tempore moræ *l. fin: C. de usuris. & fruct: legator:* Bonac: *loc: cit punct: ult: num:* 16. Quando autem accrescit legatum, vivente legante accrescit legatario, ut legato grege, pecudes natæ, & fundo legato, addita pars, vel ædificium, acquisitum ex legato, ante aditam heriditatem non ei accrescit, ut lucrum ex pecunia, vel ex equo Sanchez *lib: 4. p. 2. in consilijs dub.* 16. *c.* 2 vide etiam Lugum *d:* 24. *n.* 239.

DUBIUM 10. *Legatum relictum puellæ, vel Petro pauperi, si sit pro animæ testatoris, vel causa pietatis. si puella, vel Petrus sit mortuus, an sit validum legatum, & an dandum sit alteri puellæ, vel pauperi?* R. *affirmativè.* Siquidem subsistit pietas, quæ fuit causa legati. Secus si fuit relictum Petro in bonum ipsius Petri, nàm tunc extincto Petro cessat legatum; quod

quod si dubitetur an causa pietatis, vel in bonum ipsius Petri relictum fuerit, præsumendum est fuisse causa pietatis, nisi fortè pauper designatus fuerit consanguineus, nam tunc videtur prævalere affectus sangvinis. Ita cum Covarr: Sanchez Bonacina. *d. 3. de contract: quæst: 14 §. 1: num 17.* Adverte tamen, quod si pauper mortuus est, executore in mora existente, teneri, solvere legatum heredibus pauperis: nàm pauper habebat jus àd legatum, à morte defuncti, & heres succedit in jure, pauperis. Hinc fit, quòd si quis relinquat legatum D. Antonio existenti in tali loco, & si ibi non existat, deberi legatum Ecclesiæ parochiali defuncti, quòd si haberet duas parochias debetur illi, è qua recipit sacramenta. Et idem dicendum est, quandò aliquis legavit aliquam rem Ecclesiæ sanctæ Mariæ, & dantur plures istius nominis, legatum dandum est parochiali, si hoc nomine vocetur, vel pauperiori quæ sic nominatur. Ita Barbosa *de jure universo lib: 3. cap: 27. à num 90.* Sanchez *l. cit: dubio 9.*

DUBIUM 11. *An legatum relictum pro liberatione incarceratorum, quolibet anno, possit expendi in impediendo nè quis in carcerem detrudatur?* R. *affirmativè*, quia certum est proximè detrudendum, si legato non subveniatur. Ita Sanchez *l. cit. dub: 9.* Jtem legatum pro maritandis puellis pauperibus, potest etiam dari pro maritandis viduis pauperibus.

DUBIUM 12. *Si pater relinquat filio legatum ea conditione, quod si Religiosus fiat illud filia obtineat. an per ingreßum Religionis, amittit filius legatum, & acquiritur filia?* R. *affirmativè*, nisi constet patrem, id fecisse ad arcen-

 dum

dum filium à Religione. Ratio est, quia inten-
tio patris tantùm fuit, quòd filij in seculo vi-
ventes magis indigeant divitijs, quàm Religiosi.
Ita Covarr. Molina, Fragoso *l. cit: num: 332.*
contra Felinum, Bartolum, & alios. Item vi-
dua, cui relictum est legatum, si honestè vivat
illud amittit, si frequenter fornicetur, secùs si
castè secundò nubat. Ita cum Sylvestro &
alijs Bonacin. *l. cit: punct: ult: num: 11.* Imò
probabile est non amittere tale legatum, si se-
mel tantùm fornicata sit, vel amplexus, & oscu-
la impudica passa. Sanchez *lib: 7. de matrim.*
d. 92. num: 31. 36. & 40. Item relictum u-
xori quamdiu vitam vidualem duxerit, non
amittitur per ingressum Religionis. Sanchez *l.*
cit: num: 46. Sed de his clariùs infra.

DUBIUM 13. *Legavit testator bis centum pro maritandis virginibus, virgo quædam de tempore gratiæ deflorata fuit, ante matrimonium, ab illo tamen, à quo & desponsata, & in uxorem deinde ducta: quæritur an admittenda sit ad legatum?* ℟. *affirmativè,* nam tota rei veritate perspecta non est credendum, quod relinquens dotes pro animæ piaculo velit permittere, quòd tales puellæ jam nuptæ, diffamentur in judicio & ex præsumpta voluntate testatoris si esset interrogatus hoc respondisset. *glos fin: l. tale pactum ad finem ff. de pactis* Osasc *decis: 64. n. fin:* supponitur enim quod pro animæ piaculo non voluisset excludere puellam virginem de tempore gratiæ, jam factam mulierem, cùm aptior esset ad peccata committenda; talesque procliviores esse soleant ad lascibilia, ex quo pudor virginalis eis deficit. Firmatur ratio, nam intentio relinquendi dotes pro virginibus mari-

maritandis præcipuè dirigitur ad obviandũ peccatis: & ea voluntas primum locum tenet in conditionibus, & regit diſpoſitionem *l. in conditionibus primum locum ff de demonſtr:* Tùm quia, de tempore gratiæ iſta erat virgo, & de tempore matrimonij, fuit ab eo ducta, à quo fuerat deflorata, ergò cenſetur virgo: *illæ* enim ſunt virgines, quæ nondùm contraxerunt matrimonium, quæ opinione virgines reputantur, & appellantur ex communi uſu loquendi virgines: juxta quem ſenſum ſunt intelligenda verba relinquentis *l librorum 50. ff. quod Caſſius ff. de legat 3.* Ubi teſtator legando univerſas chartas, intelligitur, legaſſe libros, cùm nullas alias chartas haberet, ergo à pari legatum relictum virgini, ſufficit quod verificetur de tempore gratiæ, quamvis de tempore matrimonij fuerit cognita.

Nec obſtat, neceſſariò libros fuiſſe acceptos nomine univerſarum chartarum, cùm teſtator nullas alias chartas haberet. ℞. enim ex contextu. *Non tantùm quia nullas alias chartas haberet, ſed etiam quia ſtudioſus, ſtudioſo, & quia tunc temporis in uſu plerique libros chartas appellabant.* quarè omninò reprobatur Ferromarique expoſitio, ſupponentis, & excogitantis in textu. *d. qu: 20. num: 4.* aliqua tantùm verba reperiri, quæ omninò voluntatem teſtatoris exponant, quando & ab alijs, ejusdem mens uberius explicatur. Tùm quia noſtra concluſio probatur à principaliter ſimilibus: legatum relictum pro virginibus orphanis maritandis, poteſt dari habentibus patres pauperes & inutiles *l. final: ubi glos V. orbitates C. ad Fabium plagiarijs* legatum relictum pro orpha-

nis, puellis maritandis, potest dari puellis vulgò conceptis, & expositis, quæ etsi parentes habeant, eos demonstrare non possunt, *l. illud §. ad legem Aquiliam.* legatum relictum pro orphanis seu puellis maritandis, ad illum consequendum, etiam admittuntur viduæ. Castrensis *Consilio* 3. 8. *num:* 8. At omnibus de jure admittitur explicatio & interpretatio verborum testatoris, atque extensio de casu ad casum ad formam *legis non possunt §* de legibus, quam amplificat Peres de Lara *de anniu anniversi: lib.* 1. *cap:* 5. 6. *num:* 1. *& sequ.* Ergo non repugnat, quod etiam in casu præsenti aliqua explicatio admitti debeat & interpretatio, quæ unà salvet mentem testatoris, nec diffamet puellam aliàs boni nominis & famæ ipsamque ad legatum admittant.

Dices. Dum legat virginibus, videtur quòd absolutè in legatarijs, velit virginitatem, quod si in ipsis virginitas non reperitur, virginitateque vacant, frustraretur voluntas testatoris, quomodo enim potest dici virgo, quæ semel virginitatem amisit. ℟. cùm agatur de legato favorabili, satis est, quod in aliqua parte, atque propterea, quod semel verificetur, conjecturando scilicet mentem testatoris, quod ipsi in præsenti casu proposito non dissenserit, etiam semel de tempore gratiæ virgini, quanquam de tempore matrimonij non virgini legatum concedere, rationibus superius adductis, præsumitur enim ea magis voluisse, quæ ad salutem magis conducunt. Prodest autem valde animarum saluti virginem semel lapsam reparare, & ex imminenti ergastulo eripere. Quâ firmatâ conjecturâ non est difficilè argumenta proposita sol-

ta solvere, & totam difficultatem facili manu expedire. Undè verba illa, quæ integrè & absolutè intelliguntur, verificantur de tempore gratiæ, sufficit quod præsumptivè verificentur & continuare dicantur de tempore matrimonij, præcipuè cùm fuerit ab eo ducta, à quo & prius polluta.

Dices 2. Condicio, si virgo fuerit, potest apponi in contractu matrimonij, ita ut ipsa ablata rescindatur matrimonium Sanchez *de Matrim: lib: 1. disp: 66. n. 4.* Ergò non est abs re, quod hic exigatur. Cùm in testamentis, sicut & in contractibus præcipuus sit scopus, ad unguem testatorum voluntates observare, cur ergo si testator reliquit expressè pro virginibus, mulier, quæ in veritate non est virgo, deperdito iam corporis cultu, poterit in eo habitu ad legatum admitti? ℞. hoc argumentum procedere; quoties à testatore fuisse concepta virginitas, per verba negativa, seu quæ inducerent, conditionem, sine qua non; quanquā etiam in eo casu ista diceretur præsumptivè virgo de tempore matrimonij quæ fuerat omninò integra, & virgo de tempore gratiæ occultè dumtaxat polluta.

Dices 3. Ista puella nullatenùs potest adipisci legatum; non ex vi verborum, quia in legatis verba propriè sunt accipienda; & quando possunt intelligi in casu vero, & ficto, prius de verò quàm ficto debent interpretari. Ita Menochi. *Consil: 97. n. 48. & 98. n 86.* Non in foro conscientiæ, quia in eo veritas attenditur non fama, & opinio. Non in foro fori, quia in eo voluntas testatoris, sicut lex observatur; & secundùm eam judicatur: ergo nullo jure potest adipisci legatum. ℞. puellam adipisci legatum, etiam ex vi verborum, rei veritate, & publica existimatione, quia est verè virgo de tempore gratiæ & est verè

virgo

virgo ex vi famæ de tempore matrimonij, eo quia sic ab omnibus reputata, quanquam occultè, & clam à sponso polluta à quo deindè fuit ducta; est virgo in foro conscientiæ, quia dum verè erat virgo obtinuit legatum; est virgo in foro fori, quia Ecclesia non judicat de internis & occultis, & delictum omninò occultum nullatenus potest per testes relevari & quod justificari non potest in foro externo, stringit in foro poli; & quia ex æstimatione censetur quasi non sit & quia nec etiam in foro conscientiæ quisquam tenetur propriam detegere omninò occultam ex supposito turpitudinem. Ita Perez de Lara *de annuis legat: lib. 1. cap. 21. n. 90.* Barboza *ad cap: filius 5. tastam: & allegat 83. de potest: Episcop: per tot:* Diana. *p. 2. tract: 2. Miscel: 16. resolut: & plures alij.*

DUBIUM 14. *Reliquit Cajus legatum uxori suæ dummodo honestè vixerit; at ipsa adhuc repugnans semel tantùm fornicationem commisit & occultè, an ceciderit à legato in foro interno, & an teneatur ad fructuum perceptorũ restitutionem?* R. aliqui cum distinctione, si enim hæc vidua fornicetur intra annum luctûs, etiam per unicum actum amittit omnia bona, vel legata sibi ex liberalitate à marito concessa & relicta; at si post annum fornicetur nihil amittit ita Gloss: *in authent: de restitut: §. fin: v. malignè.* Ratio est quia jura loquuntur solùm de anno luctûs; cur ergò extendamus ad alios? Annum luctus jura civilia tanti faciunt, ac reverentur, ut si intra illum transeat vidua ad secundas nuptias velint *l. 1. cap. de secundis nuptijs*, ea amittere legata, à viro sibi relicta (sed merito hæc à legibus Canonicis *l. 1. 6. de secundis nuptijs* & ibi *Innocent:*

rent: n. 1. *Hostien: n.* 2.) est abrogata, quia cuilibet soluto matrimonium liberum est. Denique si maritus usum fructuum, vel legatum relinquit uxori, si castè vivat; tunc certè si castè non vivat ante sententiam legatum amittit etiam in conscientia: quia illa non est pœna, sed condicio à marito requisita. Et illud *castè vivere*, excludere omnem illicitam copulam, etiam occultam. R. 2. & probabilius, id est relictum legatum uxori si castè vixerit, intelligendum esse, non de turpitudine occulta, sed de ea, quæ alijs sit cognita; ita ut femina existimata tanquam honestè & caste vivens possit sibi in conscientia lucrari legatum. Ita Castro Pal. *t.* 5. *disp.* 4. *p.* 13. *§.* 7. cui adhæret Diana *p.* 10. *tract:* 13. *resolut:* 8. alios citans. Ratio est quia valdè præsumi potest, virum respexisse ad honorem, apud homines, non verò ad ipsam naturam turpitudinis. Idem propter eandem rationem esse, in ea, quæ communiter reputatur virgo, si virgini relinquatur legatum, vel hereditas; probabiliter docent non pauci, ut nos etiam solvimus immediatè præcedens dubium secundùm mentem illorum. Multò magis si non recipiendo legatum, deberet propria turpitudo palam fieri. Et non puto illud (si castè vivat) excludere omne peccatum contra castitatem. Undè si polluatur, si impudicè tangat &c. dùmmodo non sit copola, poterit legatum consequi. Ita Sayr: *tomi* 1. *Clau:* 18. *c.* 2. *n.* 8. Sanchez de matrim: *lib:* 7. *disp:* 91. *n.* 39. quia in locutione hominum communi, illud *castè vivere*, excludit illicitas copulas, non vero ejusmodi ex se occultos turpitudinis actus. Atque id in conscientia; nam in foro externo, si fortè ad illud deducantur ejusmodi impudici actus

seu

seu tactus. cùm sint vehementes conjecturæ de copula, facilè feminam à legato repellent. Ita Castro *t. 1. d. sp: 4 p. 13 § 7. num: 106* apud Tamburi *lib: 7. Decal. cap: 2. de sacrilegi §. 1. num: 7.*

DUBIUM 15. *Legatum distribuendum inter honestas feminas, an amittat mulier semel fornicata?* ℞. cum Homobono *tract: 15 p. 3. resol. 3. pag: 390.* cum distinctione, vel enim id legatum consangvineis ex testatoris familia relinquitur, vel absolutè quibuscunque feminis, ex præsumpta disponentis voluntate, consangvinea semel fornicata ab eo legato arceatur: quamvis attenta verborum proprietate inhonestæ vitæ dici non possit. In posteriori autem minimè, sed quando habitum inhonestè vivendi imbibit *arg: l. stuprum ff. de ritu nupt.* siquidem unicus, actus quempiam bonum vel malum non denotat, ut colligunt scribentes in proëmio. *Institut: eisol. §. cumque.* Unde in proverbium abijt, una hirundo, ver non facit, & observat etiam *Sanchez lib: 7. matrim: d. 91. q. 2. num: 31.* ubi tamen. *num: 38.* re attentiùs considerata resolvit in nostro casu mulierem, quæ semel vel bis in peccatum carnis cum aliquo lapsa est, per supra dictas rationes non esse lagato privandam, etiamsi esset Episcopo sangvine conjuncta, eo quid id legatum non sit alicui speciali consangvineæ relictum, ut vel sic conijcere debeamus, testatorem specialem quandam honestatem & pudicitiam exegisse, honori suæ prosapiæ prospiciendo, sed consangvineis in perpetuum, quæ ultra quartum gradum, ut extraneæ habentur &c. Quæ sententia cum valdè probabilis sit & testamentis, ac pietati faveat, & æquitati maximè innitatur, tuto in præ-

xi, eam sequi possumus, ac debemus. Siquidem ubi opiniones sunt variæ, rationabiliorem ac æquiorem potius amplectendam esse admonent sapientes, adeò ut errare eos dicant, qui subtilitatibus adhærent, ubi æquitas quæ ut ait Gozad. *consil.* 54. est tyriaca venenum. locum habere potest Azor *p. 1. lib. 2. cap. 15.* Tusch. V. *æquitas conclus.* 311.

DUBIUM 16. *Legatum factum, pro maritandis mulieribus, an vidua secundò nubenti debeatur?* R. *negativè*, nam ex legislatoris ac testatoris mente, mulierum appellatione solæ virgines, vel saltem corruptæ sed non nuptæ comprehendi videntur, quia viduæ non dicuntur maritari, sed remaritari id est secundò nubere, unde testantis voluntas de primo nubentibus intelligitur, cùm sermo simpliciter prolatus prima vice, vel actu perficiatur. Et testatoris mens est observanda. Perez *l. 5. de anniversa: & capel. c. 26.* Ubi ait, quod testator voluit, non quod voluisse satiùs fuisset attendendum esse. Hinc cõmune est placitum, si statuto vel consvetudine subditi pro domini filia matrimonio collocanda contribuere tenentur, & semel nupsit, ac vidua remansit pro secundo conjugio adjutricem manum dare vel conferre non tenebuntur. Ita in terminis tenuit Grassius *tom: 2. consil: 1. de testam: diff: 1.* & plures alij. sic in simili graves resoluunt DD quando testator in genere bona sua inter virgines maritandas distribui mandat, executores ea inter virgines monasterium ingredientes erogare non posse, licet secus sit, quando alicui determinatæ relinquitur, ut matrimonium ineat. Ut per Sanchez *lib: 1. de matrim. d. 33. n. 12.* ut per Barbos. multos allegantem *p. 3. de Episcop: allegat. 83. n. 26.* sed

ut ait surdus de alim *tit. 1. q. 93 n. 35.* durum videtur cur executores dati ad maritandas in genere virgines distribuere non possint in puellas Religionem ingredientes, ideò verior videtur contraria resolutio cui praxis favet.

DUBIUM 17. *Legatum factum mulieri si castè vixerit an si turpes, vel amplexus vel tactus impudicos passa est, illud amittat?* R. *negativè*, quamvis sponte admisit in foro conscientiæ, non amisisse legatum sub conditione sibi relictum, si castè, & honestè vixerit; modo semel tantùm, vel bis, in hujusmodi lascivos actus inciderit: secus si toties in eos lapsa fuisset, ut boni viri arbitrio impudica ac inhonestè vivens dici posset; vel etiam si semel esset fornicata, cùm enim ille actus sit perfectus, feminam illam simpliciter impudicam denominat. Ita Sanchez *de matrim: d. 9. n. 38. & 40.* Bonac: *de contract: d. 3. punct: ult: n. 22.* Proindè dicendum hoc legatum, si juxta hanc distinctionem non amiserit, ad fratrem suum utpote heredem transmittere. Hi porrò actus in foro externo per testes etiam singulares probantur, ut per Tusch v. honestas *conclus 156.*

DUBIUM 18. *Legatum factum concubinæ an valeat?* R. *cum distinctione*, si Petrus, Catharinæ famulæ tanquam concubinæ reliquisse probaretur, & de hoc constraret, illud legatum non valeret, & tanquàm ab indigna persona auferri deberet, ut per Bartol: *in loc: mulierem ∫. de his quib: ut indignis* Ægidium *de jure honest: artic 8.* Si autem ei paupertatis intuitu, & ob benemerita illa 100. reliquit, & re vera ipsa Catharina tantùm famula, non autem concubina erat, legatum valere, ac in utroque foro subsistere fatendum est. Cum explorati juris sit, quod licet

inter laicos, ad hoc ut testamentum valeat septem testes requiruntur. Clarus *in §. testamentum q. 56.* in Clericorum tamen testamentis, duo tantùm testes cum præsentia parochi sufficiunt.

DUB: 19. *Legatum pro capella ædificanda num in Ecclesiæ reparationem converti valeat?* R. *affirmativè*, maximè quando heredum consensus accedit, veluti potest ex causa cum consensu heredis Episcopus dispensare, ut beneficium detur omnia à fundatore requisita non habenti. Item cum consensu patroni aliquid in institutionē beneficij mutare. Sicut etiam si testator generaliter & absolutè mandet eleemosynam pro anima sua erogari, quantitatem aliquam non exprimendo, legatum istud valet, licet quantitas illa incerta ab executoribus testamenti declaranda sit ut pariter viribus subsistit relictum illud factum pauperibus ad domum testatoris concurrentibus (quidquid sit de usu quo commissarij fabricæ S. Petri de vrbe, hæc & similia legata, tanquam incerta in statu Ecclesiastico adscribunt) nihilominus ex justa & rationabili causa in aliquod aliud opus hæc commutare Episcopo quando integrum est sicuti etiam ei fas est justa subsistente causa fructus unius capellæ applicare fabricæ Ecclesiæ principalis, in qua sita est; secus si est juri patronatus subiecta, nisi ipsius patroni consensus accedat. Gravagnon *lib: 1. respons: 34.* (quidquid dicat Navar: in contrarium *consil: 15. de rebus eccl: non alien:*) Ratio verò assertionis est, *primò*, quia hæc commutatio circa favorabilem materiam versatur, ut quæ in utilitatem animæ defuncti redundat ac proinde testatoris mens latè est interpretanda. Unde potest ab Episcopo, verisimiliter præsumi, quod defunctus si causam commutationis scivisset, nequaquam

quam contradixisset. *secundò*, quia Episcopi sunt piarum dispositionum executores, ideò hoc legatum quod defunctus in animæ suæ redemptionem reliquit, si magis vel ex æquo proficere Episcopus videbit, poterit in alium usum convertere, & mutare. imò cum commutandi vel dispensandi causa subest, videtur Episcopus peccare, si cùm possit, non dispenset quamvis subditi jus petendi, non nisi deprecatiuè habeant Sylvestr: V. *dispensatio num*: 3. Riccius in praxi *Ver: resolut: resolut: 125.*

DUBIUM 10. *Legatum tenue, an faciat, ut Episcopus missas præscriptas à testatore reducere possit?* R. quidquid sit ante Concilium Trident: post Concil: Trident: Episcopus vel Generalis non possunt reducere missas relictas post Concil: Trident: 1617. Brindici 30. *Iunij* 118. S. Congregatio 21. *Iunij* 1625. *in Bulla constit: 43. cùm sæpè contingat*, ita lego apud Nicolium V. *missa n.* 14. imò hæc facultas per decretum S. Congregat: Cardinal: ex mandato Sanctissimi Urbani VIII. sublata est, cum hodie pro missarum reductione recurrendum sit ad Apostolicam sedem, secùs reductiones, moderationes, & commutationes, invalidæ redduntur. Et in specie prohibet, ne Episcopi in Diæcesana synodo, aut Generales, in Capitulis generalibus, vel alias quomodolibet reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis. Ita Homobonus *p. 3 tract: 15. resol: 4. in fine.* Nicolaus Romanus Augustianus V. *missa* adducens decretum SS. Congregat: 1586. Fano 4. Februar: 97. Bagnarea 11. Februar: 121. Quinimo sacra Congragatio Cardinal- declaravit, etsi legatum sit adeò tenue ut non sit qui onus il-

li in-

li injunctum subire velit, etsi ad Apostolicam sedem pro oneris moderatione recurrendum sit, totum, aut fere totum pro expensis ad id necessarijs sit insumendum, adhuc tamen Romanam sedem esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in domino expedire judicaverit. Verumtamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, ut Episcopo injunctum onus moderari liceat, hanc fundationis legem, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, validam ac observandam esse, responsum est.

DUBIUM 21. An acceptatio legatorum pro certo numero missarum annualium, ad quarum celebrationem fructus relicti non sufficiunt & nomine fabricæ S. Petri interpellantur legatarij, an velint illa legata acceptare, & ipsi respondent, se velle acceptare animo obtinendi reductionem, sit de jure admittenda? ℟. cum Iacobo Pignatellio *tom: 4. consult: 226. affirmativè.* Quoniam etsi liberè interpositum sit pactum super onere missarum quatenùs nemo ad paciscendum compelli potest juxta *l. diem §. stare autem §. de recept: arbor.* quia tamen hujusmodi pactum tendit in præjudicium successorum Ecclesiæ, cùm operetur, quòd publici ministri, non habeant ex ministerio offerendi sacrificium congruam sustentationem, quæ illis debetur, ratione hujus muneris ideò est capax reductionis, quatenùs non debet permitti, quòd privatorum pactis publica utilitas mutetur per text. *in lib: 2. §. sed quia vetemur C. de juram: calumn.* & notant ibi DD. Ru. in: *consil: 30. n. 5.* Fulgosius *consil: 29.* & plures alij. Hisque adijcitur quod decreta S. Congregationis Concilij *de celebrat: missarum* requirunt, quòd missæ perpetuæ habeant congruum emolu-

mentum, quod oneri correspondeat, ut diligenter eidem oneri satisfiat. Et ideò si conventio non sit conformis prædictis decretis, non solùm non habebit juris assistentiam, sed potiùs lex conventioni resistet. Unde cessat regula, innixa juri naturali, quod pacta sint servanda, quia cùm aliquomodo lex resistat, in ea non comprehenduntur. Ac proindè hujusmodi pacta, exigente id publica utilitate reduci debent ad æquitatem, ac debitos terminos. Et ita declaravit, in hac specie sacra Congregatio Concilij in Romana die 16. Ianuarij 1644. nempe acceptationem hujusmodi esse de jure admittendam. Et quæ possit esse obiectio, locum habet ubi onus missarum ex conventione esset æqualiter compensatum, non verò ubi inæqualiter.

DUBIUM 22. *Quomodo cognoscatur an legatum sit relictum Ecclesiæ, an Capitulo, an Canonicis, an fabricæ Ecclesiæ?* ℞. cum Pignatellio *tom: 6. consult: 50. n.* 2. ad cognoscendum an legatum sit relictum Canonicis, vel fabricæ; inspici debet eorum distinctio. Si enim fabrica Ecclesiæ distincta est à Canonicis, & Capitulo, bona Ecclesiæ relicta ipsi acquiruntur, non autem Capitulo, vel Canonicis, ut benè deducit Rota in Romana pensionis 19. Novembris 1640. coram Eminent: Cerro. Quin etiam absque alia distinctione loquendi legatum Ecclesiæ non censetur legatum Canonicis, vel monachis illius, ut advertit Navarr. *cons: 9. per tot: de testam:* Roder. *quæst: regul: 127. artic: 5.* undè quemadmodum legatum factum Canonicis non sit de mensa Capituli, sed inter ipsos distribuitur. Et legatum factum Capitulo non cedit commodo fabricæ; ita quoque hæreditas delata fabricæ, sub diversa & distincta

ratio-

ratione, prodesse non debet ruralibus Capituli. Immò etsi adesset aliqua dispositio, in qua de Canonicis fieret mentio, quotiescunque tamen reperitur nominata Ecclesia, semper Ecclesiæ non autem Canonicis relictum censetur, cùm personæ in hoc casu stant solùm demonstrativè, & legata debentur Ecclesiæ, cujus ipsi custodiam & curam habent. Rota *decis. 647. n. 16 & 17.* coram Merlino. Et sanè specialiter in hanc causam relicta fuerint, non possunt in alios usus converti sine Apostolica dispensatione *ex d. clement. quia contingit §. sedis Apostolicæ l. legatum § de admint rer: ad civit: pertin.* ubi DD. ampliant, ut nec fieri possit commutatio à legato de latere, etiamsi accederet consensus heredis; quia non agitur de utilitate ipsius, cui possit renunciare, sed de servanda voluntate defuncti. Idque fortiùs, si Caninici, tanquam fabricæ administratores, libros, scripturas, & inventaria retineant. Dùm enim sunt administratores, fatentur non possidere jure proprio, sed jure Ecclesiæ, cujus redditus administrant. Et libros Ecclesiæ non exhibent, & quibus facilè dignosci posset pertinentia redditutum, præsumitur quod contra se faciant, ut rectè infert Craver *consil: 6. num: 8.* Menoch *lib. 2. præsumpt: 91. n. 4.* cùm itaque bona ad Ecclesiam pertineant, ejusque fabricam, Capitulum & Canonici, qui illorum redditus administrant, tenentur de eis rationem reddere suo Episcopo, tùm ex disp: juris communis de qua *in d. clement: quia contingit*, quàm Concilij Tridenti; *sess: 22. cap: 9. de reform* non obstante quacunque consvetudine in contrarium.

DUBIUM 23. *An legatum factum, ut inter pauperes post mortem testatoris distribuatur, an*

 possit

possit in vita distribui & sic tempus anteverti ?
℞. *affirmativè.* Ratio est quia hoc in majorem Ecclesiæ & testatoris utilitatem vergit: *arg: Trunch in deciss: 706.* Ubi decidit legatum factum, ut inter pauperes post mortem testantis distribuatur, posse in vita distribui, & sic tempus anteverti ut per Riccium in *praxi Capell: deciss: 401. & in Var: resolut: 526.* ubi resolvit legatum relictum pauperibus talis parochiæ vel castri, post mortem filij, vel alterius, posse de ejus consensu solui præsentibus pauperibus etiamsi hoc in præjudicium futurorum egenorum cederet. Vel si mandetur, quòd post quatuor menses dari pauperibus, posse statim ejsdem tribui; quia hujusmodi distributio pro salute defuncti principaliter statuta est, cui expedit ut celerrimè, animæ ejusdem consulatur.

DUBIUM 24. *Legans calicem alicui Ecclesia, de qua materia legasse dicatur* ? ℞. & duo prius sunt advertenda. Primo, sacerdotem dum missæ sacrificium facit, uti debere calice ex auro vel argento, seu ex stanno inaurato confecto, & ab Episcopo consecrato *c. Vasa c. Calix de Consecrat: dist: 1.* Et licet olim sacerdotes, non aurejs sed lignejs calicibus uterentur, ob quam causam lepide Bonifacius Papa, & Martyr in prædicto *c. Vasa* ait: olim aurei sacerdotes lignejs calicibus utebantur, modò sacerdotes lignei aures utuntur, communior tamen, & usitatior hodie materia calicis est argentum. Quarè si quis alicui Ecclesiæ testamento suo calicem legaret calix de argento intelligendus esset utpote de consveta & usitata materia, nisi aliter in tabulis exprimeretur. Ita Facundez de *precept: Eccles: p. n. lib: 3. c. 21, n. 12, & plures alij.*

DUB:

DUB. 25. *Legatū factum Ecclesiæ cuinam debeatur?* Ratio difficultatis oritur ex eo, quòd Tiberius Cathedrali Ecclesiæ legatū mille aureorum reliquerat, Episcopus autē Tiberium testatorem blandis verbis induxit ut tale legatum revocaret & proprijs nepotibus legaret, quæritur cuinam hoc Ecclesiæ legatum debeatur? R. deberi Ecclesiæ Cathedrali, & Episcopum contra charitatis ac justitiæ leges deliquisse, ac proinde ad ipsius Ecclesiæ, ut dicunt, interesse absque dubio teneri ut per *Gloss: in c. quicunque 12. q. 4. & Imolam in c. 2. ext: de peculio Cler:* Ratio est, quia prælatus Ecclesiæ suæ, utilitatem tanquam publicam suo vel suorum commodo præferre debet. Nam licet regularitèr ad restitutionem non teneatur, qui sine vi vel fraude, sed tantùm blandis verbis impedivit, ne quis alteri in testamento relinqueret. Ita Navarr: *cap: 17.* Molina *tom: 1. de Iust: & Iu: disp: 135.* Azor *3. p. l. 4. cap. 9.* & alij communitèr; hoc tamèn fallit in prælato, qui ab Ecclesia hoc avocavit, siquidem sacer annulus novo Episcopo traditur, ut S. Ecclesiam suam sponsam intemerata fide ornet ac augeat Duran: *lib: 3. divin offic: cap: 14.* Imò tanta est conjunctio inter Episcopum & Cathedralem Ecclesiam, ut legatum Episcopo relictum, Ecclesiæ contemplatione factum censeatur, maximè si ab extraneo homine relinquatur, nisi ipsi testator exprimat velle illud tantùm esse Episcopi non Ecclesiæ. Atque sic resolvunt Abbas ac Imola *in d. cap. 2. de pec: cler:* & idem Genuensis *in Man: Pastor cap: 38. q. 285.* Sic in simili dicunt DD. Episcopum teneri de quarta parte redituum ad fabricam, & ornamenta Cathedralis Ecclesiæ *c. decernimus*

10. q. 1. c. unico ubi Gloss: eadem q. 3. ubi Archid: Hostiens: & Innocent: in c. fin: de his quæ fiunt à majori parte Genvesis l. cit: q. 248. Quippe ut dictum est Episcopus suæ Ecclesiæ sponsus dicitur. Et Cathedralis non solùm generalis, sed etiem specialis totius civitatis ac Diæcesis parochia censetur, ita ut secundùm aliquos; si Ecclesiæ absque expressione legatum fiat Ecclesiæ Cathedrali factum intelligatur. Tuschus in §. Cathedralis Concl. 131. Nicasius & alij scribentes in §. sed jus quidem Instit Civil: tit: de jure naturali gent: & civili ubi pro ratione allegant illam rationalium Philosophorum positionem, quod analogum stat pro famosiori suo significato: sicut cùm dicitur Apostolus, intelligitur D. Paulus; cum sapiens effertur, eo nomine Salomon censetur, cum Philosophus pronuntiatur, hac voce, Aristoteles comprehenditur; ac proinde ipsi ajunt, si absque alio adjuncto ac specificatione aliquid Ecclesiæ relinquatur, Ecclesiæ principaliori, ut Metropolitanæ, & Cathedrali, ob excellentiam legatum esse interpretandum est. Augum: idem Marc: Antonin: Genuens in pract: Eccles: q. 230. aliquo loci resolvit oblationes factas imagini alicujus sancti in publico, vel privato pariete depictæ, non parochiali Ecclesiæ, nec ipsius domino, sed Cathedrali, vel Episcopo deberi.

DUBIUM 26. Legatum incertum an valeat? Ratio dubitandi ex eo oritur quod Laurentius furore & phrenesi laborans & morbo in lectus furore & phrenesi laborans & morbo in lecto vexatus testamentum & legatum fecit: R. negativè. Laurentius enim in his circumstantijs existens, non solùm quoad profanas, sed nec ad pias causas testari potuisset; siquidem testamentum, est actus humanus, qui humano & morali modo,

modo exerceri debet, at ab eo id explicari nequit, qui sufficiens judicium, & sanam ad testandum voluntatem non habet. Clarus *in §. testamentum quæst: 5.* Bonac: *de cont: d. 3. quæst: ult: punct: 8.* Molina *de justit tract: 2. d. 136.* Unde corruere videtur illa dispositio, ut templo D. Mariæ 50. aurei pro anniuersario celebrando, ab herede darentur, tùm ex defectu judicis, tùm ratione incertitudinis *arg: l. duo sint Titij §. de testam:* Tusch. *§. incertitudo conclus: 15.* si autem sanæ mentis fuisset testator, legatum valeret, nam anniversarium relictum non expresso numero missarum, favore piæ causæ sustinetur, & missarum quantitas inspectis testatoris facultatibus, & loci consvetudine, arbitrio Episcopi taxatur Tiraquel: *de priu: piæ causæ 55. arg.* Menoch: *lib: 2. de arb: jud: casu 188. n. 6.* sicut & legatum factum Ecclesiæ D. Mariæ, etiam stante incertitudine, quia ibi duo sunt templa, valet, & ipse Episcopus Ecclesiam, cui dandum sit eliget. Ita Hostiensis, Imola, & communitèr DD. *in c. indicante ext: de testamentis* Tuschus *loc: cit: n 96.* licet Couari *in d. c. indicante n. 2.* sentiat cum Barbatia legatum esse inter vtramque Ecclesiam dividendum, dicens hanc sententiam, etsi minùs communem veriorem esse per text. *in cap: 2. de sepulturis lib. 6.* cui adhæret Perez in tract: de Annivers: Tuschus *§. media via conclus: 870.* si verò dubitetur, vtrum in amente, vel phrenetico sufficiens usus rationis ad testandum adfuerit, ad testes & consangvineos, vicinos, & medicos, & ad alias coniecturas recurrendum est, cùm nulla melior regula ad hoc dignoscendum assignari queat. Ita Tuschus *§. furor conclus: 541.* Menoch *d. consl. 82. n. 218.* & de præsumpt: *lib: 6. præsumpt: 45.*

n. 43. ubi resolvit, prout in casu nostro, stultè di-
sposuisse Doctorem illum Patavinū, ut corpus
suum cum tubis, & cornibus ad Ecclesiam
portaretur; & ut fierent nuptiæ, ac ejus uxor
pannis rubeis indueretur, aliàs eam hereditate
privabat. Et si referat *ex castrensi in l. quidam*
in suo §. de condit: instit. talem dispositionem ex
varijs coniecturis perpensis fuisse observatam.
At cùm in dubio ut supra notatum est Ecclesiæ,
ac piæ causæ favendum sit, dicendum est, hæc le-
gata saltem in foro conscientiæ valere. Tiraquel
l. c. privil: 7. Tuschus *V. favendum conclus: 87.*

DUBIUM 27. *Legatum impediens an peccet,*
& an restituere teneatur? R. affirmativè, imò
in lege adest pœna amittendi hereditatem *leg: 1.*
C. si quis aliq. test prohib: Navar. *cap: 26. n. 36.*
D. Antonin: *3. p. tit. c. 1. 10. & §. 2.* Hoc tamen
intelligendum est, quando impedit per modos ju-
stitiæ contrarios, scilicet per vim, metum, do-
lum, cum mendacijs, & fraudibus astutijs, & alijs
modis illicitis. Non autem si hoc faciat sine do-
lo, sed tantùm rogando testatorem, ut sibi potiùs
quàm alijs (quibus non competit ex justitia here-
ditas) relinquat. &c. ita Navar: citatus & *c. 17.*
n. 72. vers: dixi nisi impediat &c. Tolet *lib: 5.*
c. 19. n. 5. & alij communitèr. *Dixi,* quibus non
competit ex justitia hereditas. Nam si illis com-
peteret, ex justitia, etiamsi impediret sine vi, do-
lo, mendacijs, &c. teneretur adhuc restituere.
Et ratio est, quia ille habet jus in re. Navar: *cap.*
17. n. 83. vers dixi &c. Ille verò dicitur habere
jus in re, cui de justitia competit.

Quid autem dicendum de impediente testato-
rem, ne faciat legata in favorem Petri sed potius
in favorem Ioannis vel sui ipsius? R. cum distin-
ctione

ctione si hoc faciat sine vi, fraude ; dolo, &c. sed ex odio, peccat mortaliter, non tamen teneretur restituere : si verò, hoc faciat fide bona, rectaque intentione, quia Ioannes est pauper, Petrus verò dives, vel potius sibi pauperi, quàm alij diviti, sine vi, dolo, fraude, &c nihil mali gessit. Si legatū jam factum mutare faciat, vel impediat faciendum in favorē illius, qui habebat jus ad rem, scilicet per promissionem vel electionem &c. & hoc faciat ex dolo; vi, metu &c. peccat mortaliter & restituere tenetur. Ita Navar: *lib: cit: supra.* si autem mutare faciat in damnum habentis jus in re; scilicet, quia illi competebat aliquo justo titulo v. g. ex donatione inter vivos, ex recognitione meritorum seu servitiorum in utilitatem testatoris factorum, vel ratione salarij famulorum, vel ex obligatione debitorum, non habentium scripturas, vel ex similibus causis ; tunc impediens, quamvis faciat sine vi, metu, dolo, mendacijs, &c. adhuc peccat & restituere tenetur. Ita Toletus *lib. 5. c. 19. n. 5.* Eman: Sa *verbo restitutio n. 3.* qui dicit. Impediens habentem jus in re, etiamsi nullâ sit usus fraude, restituere tenetur. Sylvest: *restitutio 3.* D. Thomas *2.2. q. 62. a.7.* Cajet: in D. Thom: citatum D. Antonin: 3. *p. tit. 10. c. 1. §. 2. in fine* & omnes communiter.

DUBIUM 28. *Legatum factum alicui ob paupertatem, si talis ad Episcopatum assumatur, an illud amittat?* R. *negativè,* legatum enim alicui relictum ob paupertatem, si talis postea à summo Pontifice ad Episcopatus apicem assumatur, ob talem promotionem non extingvitur. Sicut etiam renunciatio facta à novitio in Religione tempore ingressûs juxta formam Concilij Tridentini *sess. 25. de regul: cap. 5.* si postea Episcopus creetur,

juste

Juste revocatur, eo quòd in quolibet actu, & contractu illa clausula intelligitur, rebus sic stantibus *c. quemadmodum ext: de jure jur* Ugol. *de off: Episcopi p. 1. c. 7. §. 2.* Azor *p. 2. lib: 3. c. 16. q. 12*

DUBIUM 29. *An legatum alimentorum sit privilegiatum, ita ut sicut in principio anni, ita aliquando in principio mensis debeatur?* ℞ *affirmativè*, nam in jure constat, alimentorũ causam multis privilegijs gaudere, cùm inrer alia causa pia dicatur, *teste surdo de alimentis tit: 8. privileg: 1. & Tuscho v. alimenta. Conclus: 286.* ubi *num: 6.* ut eorum favore hujusmodi legatum, cum ex ultima voluntate debeatur in principio anni, & aliquando etiam mensis cujuslibet initio præstandum esse.

DUBIUM 30. *Legatum alimentorum relictum marito ab uxore decedente sine liberis, an censeatur factum animo compensandi cum lucro ex forma statuti ei debito?* ℞. *affirmativè* legatum illud ab uxore jure deberi relictum, marito, quamvis matrimonium assertione uxoris consummatum non sit, siquidem post matrimonium de præsenti contractum, in materia favorabili, etiamsi copula secuta non sit, vir maritus & femina uxor appellari solent cùm nuptias, non concubitus, sed consensus facit. Ita Sanchez *lib: 1. de matrim. d. 1. num: 3.* Et quidquid sit de illa quæstione. An stante statuto, ut uxore sine licentia deducente, vir dimidiam partem lucretur, an eam acquirat, si sponsa de præsenti incognita decedat. In quo articulo communior sententia videtur, non deberi, eorum, tamen placitum intelligendum est cùm planè constet, matrimonium consummatum non

esse

esse, secus quando vir medio juramento id asserit: nam ad probandam copulam in muliere nubili, & per verba de præsenti desponsata, & ad mariti domum traducta, quæ aliquo tempore cum ipso viro habitaverit, ejus juramento statur *per C. continebatur, ubi Glossa & Abbas de despons: impub:* Dec: *Consil:* 308. *num:* 1. & 3. & plures alij. Ubi ajunt contrariam probationem admitti, si mulier id neget, idque per rei evidentiam probabitur, si ea ab honestis matronis inspici patiatur, quod in casu nostro fieri non potest, cùm uxor jam pridem ex hac vita decesserit.

Si dicas. Uxorē ad illud legatum relinquendū blanditijs, & importunis precibus fuisse, attractā. Id non obstat, cùm in dubio partis deterioris, præsumptio non sumatur, sorori enim, quæ id allegat & asserit probandi onus incumbit. Ita Menoch *l:* 5. *de præsumpt:* 2. Sanchez *lib:* 4. *de matrim: d.* 5. & 10. Tùm quia in utroque foro importunas preces, & blanditias non obligare, nisi cùm mixtum involuntarium efficiant, quando scilicet omninò repugnante voluntate, & quasi coactus, ut vehementem importunitatem repellat, quis aliquid concedit. Ita Bonac: *de contract: d.* 1. *qu:* 2. *punct:* 12. Idemque dicendum de principum & superiorum blanditijs, non enim constantis viri metum incutiunt, nec actum infringunt, cùm potius ex D. Thoma 1. 2. *quæst:* 6. *artic:* 6. voluntarium non minuant, sed augeant, nisi ab eo agantur, qui in eos sævire solet, qui votis suis non obtemperant, ut etiam Menoch *lib:* 2. *de arb: judic: casu* 344. Farinac: & Tuschus: *V: preces Conclus:* 484.

DUBIUM 31. *Legatum factum pauperibus*

concurrentibus ad portam testatoris, an possit distribui, pauperibus infirmis in hospitali? ℞. *negativè.* etiam permittente Episcopo, legatum illud factum à testatore, ad domus suæ januam concurrentibus, pauperibus, infirmis in xenodochijs existentibus distribui non potuisse, siquidem testatoris voluntas pro lege servanda est, & quatenùs fieri potest, adimpleri debet *§. dispenat in authen: de nupt: c. ultim: Voluntas* 13. *qu:* 2. Tuschus *in V. testatoris Voluntas concl:* 89. Marcus Anton: Genuensis *in man: Past: c.* 78. ubi ait letaliter Episcopum delinquere qui non curat, ut destinata à fidelibus ad certos pios usus pro illis deserviant, & non alios convertantur. *Clement: quia contingit tit' d. relig. domibus.* Et pro hac decisione, illud facere videtur, quia testator pauperibus relinquendo, ad domûs portam concurrentibus, id agere voluisse videtur, causâ memoriæ hominis conservandæ, ac ejus familiæ, erga pietatem & Divinum cultum. Ubi tamen subdunt DD. quòd si magna necessitas urgeat, ex verisimilis testatoris mente per Episcopum ad tempus commutatio fieri possit ut etiam tradit. *Genuensis in praxi Neapol: c:* 24. & Riecius *in praxi fori Ecclesi: decis.* 376. Tuschus *V. legatum conclusi* 114.

DUBIUM 32. *An possit dari casus, in quo possit remitti & alienari legatum assignatum Ecclesiæ?* ℞. *affirmativè,* loquendo de re, quæ nondum pervenit ad Ecclesiæ possessionem ita Piasecius *in praxi Episcop: p.* 2. *cap:* 5. *collat: benefic: pag:* 657. *num:* 21. qui adducit textum: *Abbas in c. tua nuper num:* 9. *de his qua fiunt à prælat: & in c. Contingit de sent: excommunic:* Io-

annem

annem, Andream in] c. cum Apoftolica eodem tit: & plures alios, cum hac diftinctione, præfertim fi timeantur odia, ut fi quis exheredato filio, legat Ecclefiæ, vel fi nonhabens filios, nec fperans fe habiturum donat Ecclefiæ, & poft modum acquirit filios *c. fin: 17. qu: 4.* Felinus *in c. præfentia num: 57. de probat:* Arm: *V. alienatio num: 17.* Rebuf: *l. fupra cit: nû 13.* vel fi reftituenda fit pròprio domino res, quam Ecclefia injuftè detinet, non enim tenetur prælatus contra propriam confcientiam defendere jura Ecclefiæ, dummodo tamèn injuftitia fit notoria, alioquin ftandum confcientiæ Capituli. *ut latè Abba in c. fin: à num: 41. de præfcript:* Felinus *ibi num: 10.* etfi legatum ferviret communiter Epifcopo, & Capitulo, non poffet renunciare Epifcopus in præjudicium Capituli. Rebuf: *l. cit: fupra num: 31.*

DUBIUM 33. *An miſſa legata in aliquibus cafibus, poſſint celebrari, in alio altari, quàm in defignato, à teftatore, ut in cafu pofito?* ℞. cum Pignatell: *de miſſa facrificio tom: 9. Confult: 80. affirmativè,* qui concedendam effe hanc facultatem cenfet, ad quam impediendam obftare non poteft, quod videatur quædam difpofitionis teftatoris commutatio. Primò quia non dicitur propriè commutatio, quando finis difpofitionis fervatur, cum inquacunque difpofitione caufa finalis fit præcipuè fervanda, illaque magis attendenda, quàm ipfa difpofitio. Ita Rota *decif. 193. p. 1. num: 7. decif: 39. num: 9. p. 4. decif: 429. num: 3. & in Romana depofiti 15. Decembris 1645. §. hinc* Coram Cardinali Corrado. Jn hoc autem cafu fervantur difpofitionis caufæ finalis etiam] per deputationem alterius

terius altaris, nam causæ quæ moverunt testatorem ad legandum pro celebrandis missis in celeberrima illa ara, duæ tantùm adduci possunt; suffragium scilicet eorum animarum & affectus devotionis erga illum sanctum, quæ causæ quia respiciunt pietatem censentur expressè, ac omninò finales dici debent: Barthol: Angles, Bald: Ruin *Consil: 137. num: 10. lib: 3.* alijque. Hæ autem causæ suum omninò sortiuntur effectum, tam si missæ dicantur in uno quàm in alio altari. Nam quoad primam causam nempè suffragium, certum est quod omninò adimpletur, cum illud non magis ex missa celebrata, in uno altari, quod non sit privilegiatū, ut in hoc casu quàm in alio provenit. Gratianus *discept: for: cap. 133 num: 9* Sot: *in 4. dist: 3. quæst 2. artic: 4.* & alij. Quod comprobatur ex eo, quia missarum omnium valor, quoad opus operatum est æqualis, ut omnium Theologorum est sententia. & tradit. Navar: *Consil 37. de panit & remiss:* Secunda etiam causa finalis, devotionis scilicet affectus, qui devotionis, & cultus Divini augmentum respicit, tantùm abest, quòd per concessionem gratiæ non adimpleatur, quinimò nisi gratia concedatur, adimpleri nequeat, cùm tale augmētum impediret. Tùm quia etiamsi dici posset, commutatio tamen pro augendo cultu Divino fieri potest, ac debet ut habetur expressè ex sacro Concil: Trident: *sess: 21. cap: 3. & 5. de reform:* Et quidem quòd ex causa, quæ post mortem testatorum emergunt eorum dispositiones commutari possint, & ab eorum voluntate recedi, egregiè ac diffusè asserit Card: Mart: *de conject: voluntat: tit: 4. num: 19. & 20. lib: 15. num: 21, & lib: 6. tit: 3. num: 46.*

Quid si donata esset privilegio particulari? Ad hoc idem dicendum est, si non sit possibile, quòd commodè omnes missæ possint celebrari in altari privilegiato: quia quando accipiuntur sub hac tacita conditione, *si commodè celebrari possint*, etiamsi accesserit promissio celebrandi in altari privilegiato: Nàm cum ij ad quos spectat teneantur habere rationem servitij Ecclesiæ & se nolle obligare ultra id, quod possunt, censentur accipere sub tali conditione.

DUBIUM 34. *Legatum orandi in missis pro anima testatoris an spectet ad presbyteros, vel ad fabricam Ecclesiæ, cui authoritate Apostolica sunt applicanda, omnia legata pia non habentia onus missarum?* ℞. spectare ad fabricam: Nam verba privilegij intelligenda sunt in propria significatione *l. non aliter §. de legat* 3. Etiamsi agatur de præjudicio tertij. Surdus *Consil: 140 num: 63.* Dec: *Consil: 113. num: 6.* Præsertim quia mens illud concedentis est, quòd legata pia, non habentia onera missarum censeantur applicata fabricæ prædictæ, Jta Pignatellius *tom: 8. consult: 21. in Miscell. num: 1.*

DUBIUM 35. *An legatum relictum pro residentia Capellani in choro possit commutari in celebratione missarum?* ℞. *affirmativè.* Ratio est, quia missarum celebratio, est excellentior chori assistentia. Garz *de benefic: p. 7. c. 1. n. 126.* Ubi quod melius est tollere residentiam personalem, quàm reducere Missas in casu, quo unum uel alterum esset faciendum, quod etiam post eum tenet, Monet: *de commut: ult: vol: cap: 10. qu: 5. n: 356. & cap: 11. n: 117. & 335.* Jta & Pignatellius *tom. 8. consult: 23. num: 1.*

DUBIUM 36. *An hæres cogi possit ut celebrem-*

brentur missa à testatore relicta in Ecclesijs ab eo designatis? Ratio dubitandi est; nam quidam testamento mandavit suo heredi, ut post mortem in suffragium animae suae duo millia missarũ celebrare faceret in duabus Ecclesijs Terrae domicilli ad altere in una ex dictis Ecclesijs testatore erectum, & ad altare privilegiatum existens in alia nullo tempore praefixo. Cùm autem in prima Ecclesia sacerdotes quotidianis obligationibus essent adstricti, & in altera ad dictum altare privilegiatum quotidiè missae essent celebrandae, ex pijs defunctorum relictis, & ex devotione sacerdotum ad illam confluentium, ita ut heres non possit etiam spatio unius anni missas demandatas ad altaria expressa celebrare facere ideò pro celeriori suffragio fecit in eodẽ tempore in dictis duabus Ecclesijs celebrare missas, quae celebrari potuerunt, reliquas verò in Ecclesijs regulariũ extra locum ad alteria priviligiata, quaeritur an rectores dictarũ Ecclesiarum expressarum possint dictum heredem cogere, ut omnes dictae missae in suis Ecclesijs celebrari faciat. R. *affirmativè* posse cogi ad celebrandum juxta mentem testatoris. Et ita censuit S. Congregatio Concilij in una Bononien: *die 22. Febr.* 1647. Quod etiam docent Graff: *p. 1. dec: 3. c. 39. num: 9.* Azor: *p. 2. lib: 6. cap: 2497.* Facundez, Palaus. Ratio est, quia heres facit contra obligationem in re gravi non adimplens voluntatem testatoris. Est contra Bonacinam, Navarrum, & Garziam *in sum: tract: 3. difficul: 11. dub: ult: num: 11.* qui vult: teneri ad compensationem, per alia opera satisfactoria, non autem ad repetendum sacrificium.

DUBIUM 87. *Intra quantum temporis spa-*

tium

tium pia legata exequenda sint? ℞. *cum distinctione.* Quando testator de tempore providit, v. g. ut altare vel capella intra sex menses construatur, ut infra quatuor menses, centum tali Ecclesiæ dentur tot missæ celebrentur, tot puellæ cùm nubiles fuerint dotentur & hujusmodi, tunc heres vel alius, ad quem defuncti voluntatem adimplere præcipuè spectat, cùm ad ipsum omnia jura & actiones transeant à die scientiæ, & aditæ hereditatis, ipsius disponentis placitum servare & exequi debet *§. disponat in authen: si nuptijs.* At si tempus à testatore præscriptum non est, legata ad pias causas cùm statim debeantur, peccat qui non solvit quàm primum potest, & in juris pænas incidit, si illa intra sex menses, ab insinuatione testamenti non persolvit, alia verò intra annum, ut per *Con:*[illegible] *c. si heredes ext: de testam:* Addo si heres illo temporis spatio exequi non potest annum à jure constituti, in quo si ea non præstentur ad Episcopum devolvi *c. nos quidem ext: de testam:* qui tamen de monasterio construendo loquitur, quòd infra sex menses ædificari nòn valebat. Possunt enim hodie Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati heredes cogere ad exequendum pias dispositiones juxta formã Concilij Tridentini *sess. 22. de reform. cap. 8*, etiamsi executores officiales sint inquisitionis & Religiosi, & ob id ab ordinariorum jurisdictione exempti, cùm in hoc Episcopi non ordinaria, sed delegata à sede Apostolica jurisdictione procedant, ut proindè etiam excommunicatio ob hanc rem ab ipsis lata eosdem exemptos afficiat. Graff: *de cas: reserv: l. 2. cap: 26. num. 1.* Barbosa *de potest Episcop: allegat:*

81. p. 3. num. 14. Quinimò testator prohibere non potest, nè Episcopus datâ heredis vel executoris negligentiâ, se intromittere vel immiscere valeat. Tusch: *in V. Episcopus, conclusi* 293. *num*: 35. Barbos: *l. cit*: *num*: 27. Quòd procedit etiamsi nullus hereditatem adierit, nam communior sententia & magis usu recepta, ob Ecclesiæ favorem. legata pia etiam non adita hereditate deberi, eò: quia talis præsumitur esse testatoris voluntas ex relatis per *Fachineum lib*: 6. *Controvers*: *juris c.* 84.

DUBIUM 38. *An legata pia ad alium transferri possint?* R. etiam cum distinctione, ordinariè loquendo non debent transferri, multipliciter tamen hæc Regula ordinaria, & positio fallit. *Primò*, si tale relictum vel legatum propter aliquod impedimentum adimpleri non possit. *c.* 3. *de testam*: *Guido Papa decis*: 556. *Secundò* quando testatoris voluntas nondum executioni mandata fuit, quia illam nedum Episcopus, sed ejus vicarius ex causa commutare potest, quia faciliùs facienda quàm facta tolluntur Riccius *p.* 3. *collect*: 558. *Tertiò* quando pecunia ad certum usum legata, ad illum non sufficeret, tunc enim ab Episcopo in alium usum converti posset, ut notat *Innocent*: *in c. nos quidem ext de testament.* *Quartò* quando testator pecuniam pro novo opere faciendo reliquisset, prout capellam, vel altare in Ecclesia aliqua ædificari, quo non egeret, sed potiùs nova reparatione, vel paramentis opus esset, in quo casu Episcopo testatoris voluntatem commutare integrum esset ut per Graff. *Consil*. 1. *de testam*: Barbos: *l. cit. allegat*: 83. Bonac: *de contract*: *d.* 3. *qu*: *ult. punct. ult. num*. 37. & plures alij.

DUBI-

DUBIUM 39. *An Vicarius Episcopi ejusmodi legata pia exequi & commutare poßit? R. cum distinctione.* Cum consensu quidem Episcopi potest non autem sine consensu: Etsi enim vicarius Episcopi inspiritualibus & temporalibus constitutus unum tribunal cum Episcopo facere, & ordinariam jurisdictionem habere dicatur. *c. 2. de offic: Vicarij lib. 6. Romana 3it de apell eod lib.* ut propterea per inclusionem ordinarij vel Episcopi in sacris Canonibus, & Concilijs factam, ejus vicarius non excluditur ut per Sanchez *lib. 3. de matr. d. 29.* Tuschus *V. Vicarius conclus. 186.* Pias tamen defunctorum voluntates, nisi specialis facultas ab Episcopo concessa fuerit, nec exequi, nec commutare potest, siquidem generalis concessio vicarij etiam cum clausula danti ei plenam & liberam potestatem ea non continet, quæ speciale mandatum requirunt, ut proindè dùm instituitur, ac creatur, in ejus forma necesse sit ea in ea specie exprimere, ut latè per Barbosam *de offic. & potest Episcop. p. 3. allegat. 54.* ubi autem in his, quæ speciale mandatum requirunt, potestatem habet, ea non solùm in Diœcesi, sed etiam extra illam, si voluntariæ jurisdictionis sunt, sicut & Episcopus expedire poterit. Ut per Riccium 3. *p. 3 deciß. cur Archiep: Neap. deciß 7:*

DUBIUM 40. *Legata relicta puellis pro dote an debeantur, si moriantur antequam nubant? R. cum distinctione,* si illæ puellæ antequam nubant decesserint, judicem in foro externo & confessarium in foro interno judicio, ex varijs conjecturis arbitrari debere, nunquid testator ad animæ salutem respexerit, vel potiùs ad fa-

vorem illarum puellarum quas nominavit vel ad eorum merita, rationem habuerit, ut puta ſi ei longo tempore inſervierunt; nam in primo caſu legatum non defeciſſe intelligitur, ſed alij pietatis & Religionis intuitu pro defuncti animæ ſalute præſtandum eſt, Sic in ſimili dicimus legata pia nunquam caduca fieri, & ita eſſe interpretanda, ut quovis modo valeant, etſi ſolvi nequeant, cui relinquuntur alteri pio loco applicari debere. Titag: *de priVilegio pia cauſa priVilegio* 33. Tuſchus *V. legato pia concluſ: 109 & 110*. Poſteriori verò caſu legatum extinctum cenſetur & renumerandi gratia reliquiſſe præſumitur, ideò cùm ipſæ puellæ ante conditionis implementum deceſſerint, legatum interdicere, & apud heredes remanere, dicendum eſt. Jta Sanchez *l.* 1. *de ſponſal: d.* 4. *n.* 9. & Bonac. *de contractı d.* 3. *qu: ult: p.* 5. *num:* 5. Si autem teſtator, vel diſponens certam quantitatem pro puellis maritandis legaſſet, & illæ adhuc vivente teſtatore nupſiſſent, certum eſt legatum extingui, niſi eſſent paupe res, & teſtator eas eſſe nuptas ſciverit, & cùm teſtamentū mutare potuerit; non mutaverit intelligitur enim cū eadem voluntate decedere voluiſſe, ac proindè ipſum legatum, ac ſi nuptæ non fuiſſent debetur. Sanchez *lib:* 7. *de matrim: diſp:* 91. *num:* 65. & Gutierez *cap:* 30. *num:* 28.

DUBIUM 4. 1 *Legatum factum puellis maritandis, an debeatur illis, quæ dotem quidem habent aliquam, ſed non ſufficientem & integram?* ℞. *affirmatiVè* maximè puellis quæ in illa domo educantur; imo heredes ad id teneri illis puellis, quæ dotem quidem habent, ſed non integram, cumqua commodè nubere poſſint, mo-

do il-

do illæ puellæ his qualitatibus præditæ sint, quæ in testamento vel fundatione requiruntur: nam & executor datus ad distribuendum ad pias causas, pro supplemento congruæ dotis erogare potest, ut decenter & honestè juxta personæ conditionem aliqua matrimonio collocari possit, siquidem parum & nihil æquiparantur; & parvam dotam habere, ac nullam habere paria sunt. Tiraqt *in tract: de Iudic: in caus: exig: ferent: versu: q.* Et late considerat Corneus *l. 3. cons: 299.* ubi etiam ait, statutum loquens de marito qui uxori inopi, & nullam dotem habenti; aliquid relinquere cogitur, procedere etiam in uxore parvam dotem possidente. Quæ autem parva sit dos in æstimatione Judicis consistit. Menoch *l. 3. Cons: 247.*

DUBIUM 42. *An legatum duret plusquam decem annos pro anima relictum?* ℞. *affirmativè,* & contraria num 43 propositio ab Alexandro VII. Cujus tenor est talis: *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam decem annos; est proscripta.* Supponit enim hæc opinio animā non esse, ultra decē annos in purgatorio detinendam, quod *in primis* est potiùs divinare, ac sine solido fundamento resolvere. *secundò* opponitur praxi Ecclesiæ celebrātis, etiam post ducentos annos; annua anniversaria, pro fundatoribus defunctis. *Tertiò* contravenit Historiæ Ecclesiasticæ scribit enim Beda *t. 2. l 5. cap. 13. Histor: Angl:* fuisse revelatas purgatorij pænas cuidam patrifamilias in Regione Nordam Humbrorum, quæ vocatur Incuuinquir in Britania, dictūque illi esse animas in purgatorio degentes, salvandas in die Judicij per hæc verba. *Omnes in die Iudicij ad Regnum Cælorum pervenient.* Et

iterū paulò infra ait: *qui tamen omnes in die Judicij ad visionem Christi & gaudia Regni Cælestis intrabunt.* Et ex Dionisio Carthusiano *de quat: noviss: art: 47.* habetur de quodam decretorum Doctore purgatorij tormenta sustinente dixisse: *Scio quod ante judicij diem veniam non consequar.* Et in revelationibus sanctæ Brigittæ *tom: 1. lib: 4. cap: 51 in edit Roman: 1628.* de quadam anima ante Dei tribunal: præsentata refertur in fine sic: *Et judex tunc ait, propter passionem inquit meam aperietur anima cælum. purgatione prius pro peccatis recepta, tanto tempore, quanto teneretur pati, nisi obtinuerit auxilium ex bonis operibus aliorum viventium* Et *in, lib: 6. cap: 39.* refertur visio de quodam milite condemnato ad pœnas purgatorij sustinendas usque ad diem judicij, ubi veritas Divina loquens ait. *Qui verò voluntatem habet vivere usque ad diem judicij, licet non peccet mortaliter propter voluntatem tamen perpetuam vivendi, quàm habet, tenetur habere pœnam perpetuam usque ad judicium.* Quod etiam refert Enriquez *in summa lib: 7. de Indul: cap; 16. lit: l. in fine glossa.* De Innocentio Pontifice detento in purgatorio usque ad ultimum diem judicij. Undè Joannes XXII. asseruit animas justorum non videre Deum usque ad judicij diem, teste Bellarmino de Pontif: *lib: 4. cap: 14.* Et quidam *F. Adamus* Sasbout *in serm: Domini 1. Quadrag: in edit Col: Agrip: 1575.* inquit. *Purgatorij verò non unius hora est pœna: sed multorum frequenter annorum, triginta, quinquaginta, septuaginta, centum etiam, imò interdum ducentorum, trecentorum annorum.* Et in vita V. M. à Sacramento, legitur aliquoties animam cujusdam

Ponti-

Pontificis vidiſſe rogantem ſuffragia, cùm jam plùsquam centum annis in purgatorio detineretur. Et alia hujusmodi innumerabilia brevitati ſtudendo omittimus. Et hujus opinionis fundamentum, ipſamque etiam ſententiam refellit cum Pontifice Diana *p. 4. tract. 8. reſolut: 102.* Ubi ex Naldo vocat talem ſententiam periculoſam, & erroneam, refertque item inquiſitores Hiſpanos coëgiſſe quendam concionatorem, hanc opinionem docentem, retractare.

DUBIUM 48. *An legatum relictum ſub his verbis, pauperibus, infirmis, & verecundis, diſtribui poſſit, quibuscunque pauperibus etiam non infirmis neque verecundis? An verò hæc tria copulativè requirantur ad ſatisfaciendum menti teſtatoris?* R. *affirmativè.* Cum Bordono *p. 8. variar: reſolut: 125. quæſt: 17. num: 49.* Unde executor teſtamentarius debet eleemoſynas diſtribuere illis pauperibus tantùm, qui ſunt affecti illis duabus qualitatibus infirmitatis & verecundiæ, nam per illa verba formalia ſatis evidenter ſuam declaravit voluntatem & cùm in claris non ſit locus conjecturis, ex vulgatis juribus, non eſt cur exequutor teſtamenti velit pro dubio habere id, quòd clarum eſt ex diſpoſitione teſtatoris, cujus ultima voluntas, non ſimpliciter tantùm, ſed omnibus modis ſervanda eſt, omnibus autem modis hoc eſt, cum illis qualitatibus, non ſervaretur teſtatoris voluntas, ſi particula & ſumeretur diſiunctivè & recederet à vera, & propria ſignificatione verborum, quam intendebat teſtator. Legatum ergo diſtribuendum eſt pauperibus infirmis tantùm verecundis.

Quid autèm importet conditio ſeu qualitas verecun-

verecundiæ, in paupere infirmo? ℞. Verbum *verecundi* significare pauperem aliàs nobilem, aut divitem civem, qui tempore infirmitatis, repetitur pauper, bonis fortunæ destitutus ex sua culpa, nam paterfamilias suo filio, in summa egestate constituto subvenit, licet culpabiliter sua bona disipaverit luxuriosè vivendo. Ab hoc igitur legato, excluduntur pauperes ostiatim eleemosynam quæritantes, illi enim sunt quidem pauperes, sed non verecundi, non enim erubescunt mendicare, sicut ille villicus; qui post dissipationem suorum bonorum, redditurus rationem de villicatione sua, intra se dicebat: *Quid faciam quia Dominus meus aufert à me villicationem, fodere non valeo, mendicare erubesco.* Jlle ergò dicitur pauper verecundus, qui aliàs nobilis, aut cjvis dives cecidit in paupertatem, hujus generis pauperibus infirmis debetur legatum. Confirmatur id ex praxi quotidiana, videmus enim quasdam mulieres bene natas, & honestas ad miseriam redactas, quæ coguntur cum magna verecundia stare ad valvas Ecclesiarum, & ideò ibi facie velata. expectare eleemosynam ab introeuntibus, sine dubio ejusmodi mulieres, secundùm vulgi opinionem & communi sensu hominum etiam prudentum, vocantur pauperes verecundæ. Et talem fuisse mentem testatoris, omninò tenendum est, quia ejus voluntas secundùm usum & consvetudinem loquendi patriæ interpretatur.

§. XI.

§. XI.

De Legato.

Quoad Religiosos, & Religiosas.

DUBIUM I. *An legatum 500. aureorum factum feminæ, si in Religionem ingrediatur, & mille si in seculo nubat illa 500. ei debeãtur, si Tertiaria S. Francisci fiat?* R. rectè testatorem 500. aureorum legatum adjudicasse, siquidem si relinquantur nubenti in seculo mille, 500. si Religionem ingrediatur in utroque foro deberi etiamsi puella ut ajunt, efficiatur Tertiaria D. Francisci de communi testans resolvit Carolus Grassus *de effect: clericat in Prælud: num: 405.* summa enim est ratio quæ Ecclesiæ & Religioni favet. Tuschus *in V. Religioni favendum.* Quandoquidem in illa tam agitata & controversa quæstione. An si legatum sit, sub hac forma relictũ, lego tibi mille si nubas centum verò si Religionẽ ingrediaris an mille monasterio debeantur &c: semper attendendum censui, an in odium Religionis, & quasi in pœnam, ne talem statum assumat id à testatore sit factum, vel potiùs habita ratione ad loci vel Provinciæ consvetudinem, quæ ferè universalis est, & ubique pænè viget, & ad dotis quantitatem quæ tàm matrimonium contrahenti, quàm Religionem ingredienti, dari solet; nàm multò uberior, & pingvior esse solet, quæ in seculo nubenti quàm in Domino; assignatur, & primo casu priorem opinionem amplecti poterimus, ut mille dentur tanquam quod in pœnam ipsius testatoris hoc cedat. In secundo verò casu à testatoris voluntate, judicis & boni viri arbitrio, non recedendum

dendum puto. Ut per Barbos: *de Episcopo p. 2. Allegat: 83. num: 28.* Et Merlinus *de legitima l. 3. tit: 1. qu: 11. num 8.* ubi ex Rota *p. 2. decis: 482.* & alijs multis ait hanc sententiam æquitate, ac consuetudine probatam esse. Et quidem ratio ipsa svadet, nam certum est quod si in seculo matrimonium contrahat, pingviori & abundantiori pecuniæ quantitate indiget, tùm propter alendos filios, tùm ob matrimonij onera sustinenda, & alias expensas, quæ ad statûs, & familiæ conservationem necessariò insumendæ sunt. Quod si novitia anno nondum expleto in articulo mortis, pro animæ suæ consolatione, ex Pontificijs privilegijs admittatur, non monasteriûm, sed proximiores agnati in ejus legatum succedunt, tùm quod privilegium propriè ad lucrandam plenariam indulgentiam, concessum fuit ex Pij V. conceff: nam gratiam strictè interpretari debemus, quando in alterius præjudicium vergit.

DUBIUM 2. *Legatum factum Religiosis in genere, an in dubio pro Religiosis feminis potius quàm pro maribus judicandum?* ℞. pro feminis supponendum magis, quarum propter sexûs fragilitatem quodammodo est magis miserandum. Ita Tuschus *V. moniales conclus 335.* ubi ait magis periculosam in monialibus indigentiam, quàm in alijs pauperibus censeri, ideò illis eleemosynis subveniendum esse. Nec dubium est, quin, pauperum causa dicitur cùm pauperibus, in genere Ecclesijs, monasterijs, domibus hospitalibus &c. aliquid relinquatur, Tiraquel: *de privileg: pia causa in præf* Idem Tusch. *V. pia causa concl: 332.*

DUBIUM 3. *Legatum factum pro fratribus & monialibus, si ad utrumque bona non sufficiunt,*

cui

cui magis subveniendum ? R. in favorem monialium. Ita Miranda *tom: 1. Manual: prælat: q. 34. artic: 8. conclus: 2.* ubi ait in quolibet legato pro monialibus & monachis relicto, si ad utrumque bona non sufficiunt, moniales ipsas præferri. Argum: Tusch: *V. monialis conclus: 335.* ubi ait. Vituperosa magis videtur indigentia in monialibus, quàm in alijs pauperibus, ideò eis potiùs subveniendum ex Feder: *de senis cons: 882.* porro monialium nomine etiam non consecratæ comprehenduntur, & omnes illæ, quæ in perpetua clausura, post emissam professionem degunt. Undè si testator monasterium construi mandavit executor, an virorum potiùs, quàm mulierum intelligendum sit dubitavit; multis videri monialium monasterium construendum esse, hoc enim opus magis pium, magisque Ecclesiæ necessarium, & utile censetur, ut SS. Virgines Deo sacræ, in sua integritate & puritate conservari possint. Quarum etiam institututum excellentius est, utpotè multò vetustius, quàm quævis alia monachorum Religio, ut ait Cassaneus *in cathalogo gloria mundi p 4. consil: 72* Unde singularis prærogativa B. Mariæ Virginitatis in eo stat, quod prima in orbe terrarum ex voto Deo nuncupato Virgo fuit, nec solùm eximio, & perfecto virginitatis dono excelluerit, sed etiam in hoc pietatis genere nulli secunda primas omninò tulerit, ex quo Evangelicarum, virginum princeps vocatur, siquidem ad illius exemplum virgines Deo offerentur, juxta illud Regis uatis psalm: 44. *adducentur ei Virgines post eam.* Canisius *de B. Virg: lib: 2. cap: 14.* Suarez *super 3. p. D. Thom: q. 28. artic: 4. disp: 6. sect: 3.* & plures alij.

DUBIUM 4. *Legatum factum pro Virginibus maritan-*

maritandis, an Religionem ingredientibus dari possit? R. Graves DD. resoluunt, quando testator in genere bona sua inter virgines maritandas distribui mandat, executores ea inter virgines monasterium ingredientes erogare non posse, licet secùs sit quando alicui determinatæ relinquitur, ut matrimonium ineat. Ut per Sanchez *lib: 1. de matrim: disp: 33. num: 32.* ut per Barbosam multos allegantem *p. 3. de Episcopo Allegat: 83. n. 26.* sed ut ait Surdus *de alim: tit: 1. q. 93. n. 35.* Durum videtur, cur executores dati ad maritandas ingenere virgines distribuere non possint in puellas Religionem ingredientes, ideò verior videtur contraria resolutio, cui praxis favet.

DUBIUM 5. *An subsidium dotis, legatum pro maritandis honestis puellis, cum restitutione dotis in casu quo proles non existat, possit dari virginibus ad professionem regularem admittendis?* R. negativè, Ita compendiator Pignatellij *de legatis pijs.* Ratio est; quia testator respicit ad matrimonium carnale; legatum autem institutum pro maritandis honestis puellis, non potest tribui ingredientibus Religionem quamvis sit magis causa pia ut docent communiter DD. Bald: & plures alij. Tum quia ita expostulat conditio voluntaria testatoris; conditio autem, sive forma voluntaria in hoc differt à necessaria, quod hæc peræquipolens impleri potest, illa verò in specie implenda est. *l. mevius §. de condit: & demonstr.* Barthol. *in l. Gallus & quid si tantùm n. 3. §. de liber & posth.* ac alij. cùm igitur dispositio testatoris sit voluntaria debet in forma specifica impleri, ita ut legatum tribuatur puellis maritandis pro quibus ex mente testatoris intelligitur legatum institutum, non verò pro ingredientibus

religi-

Religionem. Quibus addit compendiator, quodq; puellæ maritandæ habent jus ad rem, nempe ad legatum, eo ipso, quòd habent requisita necessaria ad illud obtinendum, quo jure non possunt justè absque causa sufficienti privari. Et ita declaravit S. Congreg: Concilij *ad cap: 5. sess: 25. de reform: in Barensi subsidij dotalis 15. Septembris 1668* ut sequitur *sacra &c. censuit subsidium dotis legatum, pro maritandis honestis puellis, cum restitutione dotis pro multiplico montis in casu, quo filij non existant, non potest dari virginibus ad professionem regularem admittendis* Tum demum in casu carentiæ filiorum remanet spes redeundæ dotis undè exierat, ad mentem testatoris, quæ spes prorsùs amitteretur, si applicaretur puellæ monachandæ, ut ipsemet summator censet.

DUBIUM 6. *Testator legavit, quòd Episcopus eligat pauperes virgines ad dotes à se relictas, pro monachandis mittitur ad Diæcesim Episcopi Vicarius Apostolicus. Quæritur an hac electio, sivè nominatio pertineat ad Episcopum, an verò ad vicarium Apostolicum?* R. cum Pignatellio *tom: 8. consul: 2.* pertinere ad Episcopum, non autem ad vicarium Apostolicum certum omninò videtur; nam vicarius Apostolicus mittitur solùm ad ea exercendum, quæ pertinent ad jurisdictionem Episcopi, non autem quoad illius personæ industriam & prudentiam. Pellegrin: *in praxi vicar: p. 1. sect: n. 1.* & Nicol: *in flore v. Vicarius Apostolicus n. 11.* Dum eligitur personæ industria, ad aliquod munus obeundum, id delegari nequit. *cap: fin §. is autem de offic: deleg: & cap: is cui eod. tit: in 6.* In hac autem nominatione eligitur industria & prudentia Episcopi. Primò, quia fundator judicio, & prudentiæ Episcopi remisit

sit nominationem & electionem puellæ monachandæ, unde videtur de persona Episcopi tanquam pastoris confidere, atque ita ejus industriam eligere. Secundò: quia tunc censetur electa industria personæ, cui providere committitur, de re aliqua, ut de beneficio, vel dote, &c. quando ei committitur, ut de tali beneficio, vel dote provideat, de persona idonea & sic non expressâ persona certâ, sola personæ idoneitas requiritur; in hoc autem casu non est expressa certa persona, ad hanc dotem nominanda, atque adeò censetur electa industria personæ, à qua nominatio fieri debet. Gloss *in d. cap: is cui de offic: delegat:* v. *Provincia* Rota. *p. 6. recent: decis: 36. nu 24, 28*

DUBIUM 7. *An monialis poßit facere renunciationem legati sibi relicti, reservata sibi parte illius, sua vita durante, & sub conditione, quod nihil monasterio acquiratur?* R. cum Pignatellio *tom: 8. consulti 117. negativè. Primò* quia cùm hujusmodi conditiones repugnent paupertati Religiosæ, tanquam turpes habentur, pro non appositis, atque adeò hujusmodi reservationes & legata acquiruntur monasterio: quia conditiones turpes adiectæ reservationibus ac legatis non vitiant reservationes, & legata, sed ipsæ vitiantur, *lib 1. l. si quis &c.* & tradunt Imola, Angel: & Iason aliique, *Secundò*: quia continet impossibilitatem & repugnantiam ex Barth: *in auth: excipitur C. de bon: qua lib.* Nam Monialis non potest habere aliquid, sed totum est monasterij. *Can: nolo & Can: non dicatis* 12. *cap: 1. & d. auth: ingreßi*: unde pugnat cum solemni paupertatis voto, si monialis peculium habeat, cùm per professionem se omni rerum dominio, & prorie-

prietate abdicaverit. *Tertiò,* quia hujusmodi conditiones sunt contra sacros Canones *in cap: monachi, & in cap: cum ad monasterium de stat: monachorum.* contra decreta Apostolica præsertim Clementis VIII. pro reformatione regularium, & præcipuè contra sacrum Concil: Tridentinum *sess 25. de regul: cap: 1.* ubi præcipitur observantia paupertatis, nec non communis vita, victus, & vestitus. Item cap: 2. ubi proprietas Regularibus, utriusque sexus prohibetur, ita quidem, ut nec liceat superioribus bona stabilia alicui concedere Regulari etiam ad usum fructuum, vel usum administrationis, aut commendæ. Redditus autem ac census annui inter bona stabilia numerantur ut colligitur ex Clement: *ex: Si quicumque annui redditus de verb: signific:* undè cùm dictæ conditiones sint directè contra sacros Canones, bonum renunciantis, & contra ea, quæ concernunt commodum animæ ipsius, ut irrationabiles reijciuntur, tanquam impedimenta majoris boni, & eorum, quæ concernunt salutem animæ. Quarè hujusmodi conditiones, vel abolendæ sunt tanquam scandalosæ, vel declarandæ pro non adiectis. Gloss: & Doctores *in c. post de condit: appos:* ac etiam providendum decreto aliquo Apostolico, ut deinceps renuntiationes hujusmodi fiant cum licentia, nedum Episcopi, sivè ejus vicarij, ut præcipit Trident: *d. sess: 25. cap: 16.* sed etiam cum illius præsentia; hoc enim modo non solùm occurreretur huic malo, sed etiam prospiceretur indemnitati monasteriorum & libertati puellarum quæ sæpè ad renuntiandum vi metuque coguntur. Si testator ultra procedat, ut velit illud legatum pertinere solùm, & quoad dominium, & quoad proprietatem ad mona-

chum

chum & non ad monasterium, & nolente præ-
lato consentire pertineat ad extraneum ; tunc ta-
le legatum est validum in favorem monasterij,
& illa cognitio habetur pro non adiecta quia a-
diectio pænæ actui interdicto est ipso jure nulla,
*leg: Unica in fin: cod: de his quæ pæna nomine
relinquuntur* ubi hæc habentur verba : *quòd si
aliquid facere, vel legibus interdictum, vel aliàs
probrosum, vel etiam impossibile jussus aliquis eo-
rum fuerit, tunc sine ullo damno etiam neglecto
testatoris præcepto servabitur* ita tenet Barthol:
Sylvest v. Religio & plures alij *apud Tamburini-
um de jure abbatissarum & monialium disp: 8.
quæsti 5. n. 3. & 4.* unde hic apponitur pæna a-
ctui malo, & per consequens interdicto, videli-
cet quod Religiosus habeat proprium, ergò talis
adiectio pænæ est nulla & habenda pro non adie-
cta. Utrum autem superior consentiens ut mo-
nachus sive monialis potiatur tali legato peccet?
R. cit: Tamburinius *negativè*, quatenus consen-
tiant frui legato pro pijs usibus & necessarijs,
non vanis & superfluis contra Graffium *in decis:
p. 1. lib: 3. cap: 5. num: 42.* affirmantem mona-
chum sive monialem ex hujusmodi usu effici pro-
prietarios.

DUBIUM 8. *An legatum factum Religiosis
pro studio & emendis libris valeat?* R. *affirmati-
vè*, ita Homobonus *p. 2. pagin, 153. col: 1.* Imò
ex Feder. de senis cons. 12. sustineri legatum,
sic singularibus Fratribus factum, cùm hoc non
ipsorum commoda, sed divinum cultum concer-
nat, ac proindè pia causa dicatur. Et omnibus
notum est, studiorum causa multa à jure indul-
geri Ut per Aliciat: &c. Gratianum *inferens.
discept: c. 61.* Tum quia universalis Ecclesia sci-

entia

entiâ quæ ex libris comparatur, ad sui regimen maximè indiget, & multos libros habere expedit, nec non qui multa scire vult, multùm in multis legere debet.

DUBIUM 9. *Legatum factum Religioso professo, cum conditione, ut illud habeat independentèr à voluntate superioris an valeat?* R. *negativè*, cùm hoc omni modo paupertatis voto aduersetur, subsisteret tamen si relinqueretur, ita ut nihil monasterio acquiratur, quia legatum illud intelligendum est, ut Religiosus illud habeat oculis prælati conniventibus, qui si illam licentiam dare nolit, relictum exspirat. Alij etiam illa verba *nihil juris monasterio acquiratur*, interpretantur, ut illud relictum in usus licitos & honestos, ut vestimentorum, & librorum directè convertat, tunc enim indirectè in ipsius monasterij commodum redundat, cùm ab his oneribus relevetur, non tamen intelligendum est, ut ille ad libitum, & quomodocunque disponere posset, proprietatis namque vitium induceret, nec prælatus illam facultatem dare posset. Roder: *tom:* 2. *q.* 9. *regul:* *q.* 175. *artic:* 2. Vincent: de Franchis *decis* 718. Graffius, *lib:* 3. *decis:* C. 5. *n.* 41.

DUBIUM 10. *Factum legatum uxori, si castè vixerit, & vidualem lectum servaverit, an debeatur ea ingrediente religionem?* R. *affirmativè*, eò quòd per hoc spirituale matrimoniũ cum Christo, vidualis vita minimè cesset; imò plenius testatoris voluntati satisfactum sit cujus mens ea fuisse creditur ne ad ea sua dispositio trahatur, quæ sibi odiosa sunt maximè autem molestum esset, si bona ad eum pervenirent, â quo injuriâ affectus est, id est ad maritum secundum, ob cujus repetitum matrimonium testatoris anima contristaretur,

ut ex communi sententia tradit Sanchez *lib: 7. de matrim: d. 91. n. 44.*

DUBIUM 11. *An legatum alicui Monacho relictum cum conditione, ut ad superiorem, vel monasterium, non pertineat valeat.* R. negativè, cùm paupertatis voto adversetur *Concil: Trident: sess: 25. de regul: cap. 2.* ubi Barbosa, *Pasecci-sso, in prax: Episc: de visit: Monial: ex Decret Congregat: Cardinal: §. Denuntietur.* Nisi dicamus cum ipso. Sanchez *d. lib: 7. cap. 17. n. 4. de præcept.* legatum sub prædicta lege relictum, benignè esse interpretandum, ita ut sensus sit: nihil facti ad monasterium pertinere; secus autem de jure, ut scilicet commodum & usus, quæ quid facti sunt, superiore permittente ad Religiosum spectet; dominium verò quod est quid juris in cænobio resideat, ac proinde legatum illud, hoc modo sustineri possit.

DUBIUM 12. *Legatum alicui relictum cum conditione, ut illi non debeatur, si religiosus fiat, an valeat?* R. affirmativè, Ratio est, nam vita spiritualis, & contemplativa religiosorum, qui se per tria vota Deo dicarunt, vitâ sæculari, & activa melior est potior & dignior. *§. 1. Authen. de Monachis Clem: exivi de verb: signific:* Menoch: *lib. Cons:* 169 Hinc est, quod si alicui relinquatur legatum cum conditione ut illi non debeatur, si legatarius religiosus fieret talis conditio, tanquam spiritualem vitam majus bonum impediens, à legato reijcitur, & legatum ipsum persolui debet, etiamsi legatarius religionem ingrediatur, vel Clericus ut aliqui volunt efficiatur. Ita Baldus *in l. cum ita §. de condit: & demonstrat:* ubi tamen procederet hoc quando prohibitio generalis est, secùs si particularis esset,

ne

ne scilicet legatarius in hanc vel illam ingrediatur, in qua fortè vota non observantur. Nam etsi in religione accipienda in universum, quidem errari non possit, attamen in hoc vel illo ordine eligendo, nos aliquando errare contingit.

DUBIUM 13. *An legatum sub conditione factum, si nubat de consilio vel arbitrio talis, & ipsa ingrediatur religionem valeat?* ℞. *affirmativè*, cum Bossio *cap. 11. de matrimi contract: n 629.* & ingredienti religionē debetur: quia dicta conditio nubenti favore religionis *in dicto §. sed ei hoc præsenti* reijcitur, vel ex præsumpta voluntate testatoris, vel etiam contra expressam testatoris voluntatem, nam communiter conveniunt DD. Legatum viro, vel mulieri simpliciter factum sub conditione nuptiarum, seu si nupserit absque ulla restrictione, seu nullo alio expresso, deberi illi si ingrediatur religionem. Ita vasquez *de testam cap. 8. n. 35.* Sanchez *de matrim: lib: d. 33. num: 26.* Layman: *lib: 3. tract. 5. cap. 10. n. 12.* Et ita legatum *si non nupserit* mulieri relictum juxta DD: communiter debetur ingredienti religionem, quia conditio nuptiarum negativè, à testatore prolata subintelligitur de matrimonio carnali, non de spirituali seu ingressu religionis, ac proinde per ingressum religionis non deficit conditio non nubendi, & ita legatum à marito factum uxori sub conditione, *si non transierit ad secundas nuptias. vel si permanserit vidua*, debetur eidem, si ingressa fuerit monasterium Nam per hujusmodi conditionem non nubendi, seu manendi in viduitate, non retrahitur à religione, sed potiùs invitatur, ac proinde per ingressum religionis voluntas testatoris magis impletur & proinde etiā inteligi-

tur servare vitam vidualem vidua ingrediens religionem, licet sponsum Christum habeat. Et ampliant id DD. apud Bossium *l. cit n. 632.* id procedere etiamsi mulieri non nubenti secundo, & vitam vidualem suadenti, à marito piè defuncto usufructus esset legatus; quoniam per ingressum religionis, non extinguitur usufructus sed donec usufructuarius vixerit monasterio acquiritur, ut tradunt Bartholus, Covarruvias, *cap. 2. n. 8. de testam*: Mantica, & plures alij ab eodem relati.

DUBIUM 14. *An quando testator, sive pater, sive extraneus reliquit puellæ, si nupserit alicui certæ personæ, puta Petro, si puella non nubat tali personæ, sed monasterium ingrediatur, debeat consequi legatum illud?* ℞. cum Boss: *l. cit: n. 634. affirmativè* Nam quando testator reliquit puellæ, si nupserit certæ personæ, vel alicui certo generi personarum, nullo alio expresso, deberi illud legatum ingredienti religionem, hoc videtur verius, & tenendum; nam textus *in d. §. sed & hoc præsenti.* loquitur absolutè de relicto in casu nuptiarum, & decernit deberi casu, quo is cui relictum est, ingrediatur monasterium, idque favore religionis, ut dictum est; & illa restrictio, quod textus loquatur de nuptijs in genere seu tantùm, quando relictum fuit mulieri, *si nupserit*, est merè voluntaria cùm ratio favoris religionis militet, tam in relicto sub conditione nubendi in genere, quàm sub conditione tali personæ. v. g. Petro; & etiam hoc casu præsumi rectè possit, quod si testator cogitasset de nuptijs spiritualibus, idem legatũ puellæ fecisset, & quatenus non cogitavit illius defectum supplet lex favore religionis, cui legi etiam virtualiter voluisse se conformare testatorem, præsumendum est, saltem

tem

tem dum contrarium expresè non declaravit. Et ita puto sentire Rotam, Romanam, *dicta decis: 150. & 450. & cæteros DD supra allatos*, cùm absolutè & indistinctè dicant, relictum in casu nuptiarum, deberi ingredienti religionem saltem, quando testator expressè non exclusit religionem. Ut quando legat bis mille, si nubat, mille tantùm si ingrediatur monasterium; aut quando instituit filiam, si nupserit alicui, aut certo genere personarum, & casu quo ingrediatur monasterium illud excludit, & filiæ substituit aliam personam, de quibus casibus infra dicemus. Sed.

Dices· In tali casu testator præsumitur intellexisse de nuptijs carnalibus tantùm ; ex eo enim quod dedit formam nubendi demonstrando personam, cui vult puellam nubere, censetur de matrimonio temporali sensisse & exclusisse religionem; per cujus ingressum non nuberet Petro, & non esset forma servata à testatore data, & ideo non consequeretur legatum. *Confirmatur ratio* Nam quando testator legavit filiæ, si nupserit alicui certæ personæ, vel alicui ex tali genere personarum, seu ex tali familia, videtur contemplatus, nedum personam filiæ, sed etiam illius cui nubere debet. Ex Angelo *Consil: 34. in fine, & alijs allegatis per Rotam Romanam, decis: 80. num. p. 1. in recentioribus Farinatij.* Et constare potest ex dictis, *hoc capite* §. 16. ac proindè censetur omninò exclusum monasterium. ℞· ex Bossio *l. cit: num: 634.* testatorem dare formam demonstrando personam, cui legataria nubere debeat. *ex virtuali & tacita suppositione*, quod nolit ingredi religionem, non verò ad excludendam religionem, si enim testator cogitasset de nuptijs spiritualibus idem legatum puellæ fecisset, & quia non cogitavit,

illius defectum supplet lex, in favorem religi-
onis, cui legi etiam virtualiter voluisse se con-
formare testatorem præsumendum est, saltem
dùm contrarium expressè & positivè non decla-
ravit Ratio etiam adducta in confirmatione,
quod legans filiæ &c. non obstat; nam, ut re-
ctè tradit, Rota Romana *d. decis: 80. num:* 1.
& 2. tale relictum respicit principaliter ipsam
filiam, favor autem illius, cui nubere debet,
consideratur solùm in consequentiam, & secun-
dariò, & non alio modo, nisi ad effectum, ut
is sequutis nuptijs, possit sperare prosperum e-
ventum successionis, & sic nuptiæ in ejus uti-
litatem redundent; id quod indè patet: tum
quia sequutis nuptijs; legatum statim acquiri-
tur filiæ, absque aliquo onere restituendi mari-
to. Ita Rota *d num* 2. Tùm quia persona à
testatore electa recusante nubere filiæ, nihilo-
minùs filia eadem lucravit legatum nubendo
alij: non sic è contra, si filia nubere non ve-
lit, persona illa nihil acquirit. Ita Rota *decis:*
d. 80. & DD. Quodsi testator reliquit tertio,
si certa puella, puta Titia, nupserit, tunc lega-
tarius, non obtinebit legatum, si Titia religio-
nem ingressa sit, ut rectè tradunt Menoch *de*
præsumpt: 148. *num:* 7.. Sanchez *d. num:* 30.
Vers: secunda conjectura & alij apud eosdem;
quia in tali casu cessat favor religionis, & præ-
sumendum testatorem locutum fuisse de matri-
monio carnali Titiæ.

DUBIUM 15. *Legatum pro maritandis pau-*
peribus puellis incertis, an possit dari ingredienti
religionem? R. cum Bossio l. cit. num: 637. *dub:*
2. *affirmativè* est contra Sanchez *disp* 33. *num.*
32. Layman *& plures alios.* Et quamvis ipso-
rum

rum sententia est communior, verior tamen existimatur à Bossio affirmativa, & in praxi sequenda. Et probatur, tùm quia dispositio. *in a; §. sed & hoc præsenti* habet locum etiam in hoc casu, in quo sicut in alio militat ratio, cui innititur negativa sententia, scilicet favor religionis, quem principaliter, & non præsumptam voluntatem testatoris respicit eadem dispositio, ut supra dictum est. Tum quia cum testator ita in hoc casu sicut in alio, nihil expresserit adversus religionem, jure meritò præsumi, & censeri debet, sicut in legato certæ personæ facto, ita & in facto personis incertis, non exclusisse religionis ingressum, seu religionis statum, ita favorabilem saltem, ex præsumpta testatoris affectione ad eundem statum religiosum. At proindè sicut hanc eandem sententiam *Sanchez, & Gutterez* volunt habere locum, quando legatum esset ad collocandas matrimonio testatoris Neptes, seu filias heredum, nam tunc ajunt fore dandum Nepoti ingredienti religionem propter præsumptam testatoris affectionem erga sanguine conjunctos, ob quam affectionem pleniùs & latiùs venit interpretandum legatum *l. Aurelius §. Titius testamento facto §. de liber: l. g.* Ita etiam quando est relictum pro alijs incertis feminis maritandis dari debet religionem ingredienti, propter præsumptam testatoris affectionem, ad eundem statum religionis, cujus favore etiam legatum late interpretari debet: *d. § sed ad hoc præsenti.*

DUBIUM 16 *Legatum alicui relictum, si ingrediatur monasterium seu religionem, an valeat & ingredienti an debeatur?* R. *affirmativè* & communiter. Ita Molina *de just: d, disp* 707.

Vasic:

Versic: *si hereditas.* Sanchez *lib*: 1. *disp*: 39. *n*. 15. Basilius Pontius *lib*: 1. *cap*: 6. *num*: 12. & *alij apud Sanchez*. Ratio est, quia conditio si monasterium ingrediatur, eadem est cum ea, *si nubat Deo*, nubere autem Deo: melius est, quàm nubere homini; ac proindè sicut quis potest spe præmij allici, & invitari & allici ad nubendum homini, multo magis poterit spe præmij allici, & invitari ad melius faciendum, & ad tantum bonum, nempè nubendum Deo per accidens verò est, quod religionis ingressus impediat matrimonium, ad quod impediendum, directè non tendit conditio, sed directè tendit, ad alliciendum perfectissimum, ad statum perfectissimum, nec præsumendum est jura etiam hanc conditionem, ad perfectissimam vitam inducentem, in matrimonij favorem, voluisse annulare. Confirmatur hæc opinio, ex eo quòd conditio impediens matrimonium, si in casu matrimonij vocetur causa pia, valet, & sustinetur favore causæ piæ. Ex quibus infertur valere etiam conditionem, si fiat sacerdos ut etiam interminis tradunt peregrinus, Covarruvius, Molina, & Sanchez, *locis citatis*. Sed.

Quares. An ad obtinendum dictum legatum sub conditione ingrediendi religionem, si non addiderit, & profitendi, seu perpetuò in ea manendi, sufficiat ingressus sine mala fide, & fraude; etiamsi ingrediens anno Novitiatus exeat? Sanchez *d. disp*: 34. *num*. 17. ait, ingredientem bonâ fide & animo experiendæ Religionis consequi dictum legatum, etiamsi postea ex aliqua justa causa exeat. Cùm enim testator in conditione posuit solùm ingressum, sine mentione professionis, solo ingressu paretur conditioni, præsertìm,

tim, cùm in dubio præsumatur, non aliam esse testatoris intentionem, quàm verba significent *l. Libra §. Idem Tubero §. de supell: leg:* adducit & aliàs doctissimas Sanchez rationes. At alij ajunt etiamsi legatarius, ingrediatur religionem bonâ fide, illum non consequi legatum, si anno noviciatûs non facta professione exeat, habitum dimittens, & ajunt legatum per vim uxori relictum, si assumpserit habitum S. Francisci Tertij Ordinis, minimè deberi, si semel assumptum habitum dimiserit. Jta Baldus *in l. Si quis heredem num: 6. ac Salicetus ibidem num:* 3. & plures alij. Et quia ante professionem, nòn dicitur quis religionem ingressus *auth: ingressi Cod: de sacrosanct: Eccles:* Tùm quia verba cùm effectu intelligenda sunt testatoris; præsumendum est, testatorem locutum fuisse, seu sensisse, de perfecta assumptione statûs religiosi, qualis non est ingressus, sine professione & perseverantia. Utraq; opinio est probabilis. Prima benignior; postèrior autem magis conformis voluntati testatorum, quos videtur verisimile, dùm faciunt talia legata, nomine ingressûs in religionem, intelligere ingressum cum perseverantia in statu religioso cùm finis talium legatorum, principalis sit non tâm commodum personæ legatariæ, quàm perfectio ejusdem statûs, scilicet inducere efficaciter ad amplectendam dictam statûs perfectionem, ob majorem Dei cultum, & bonum animæ, tum legatarij tùm eorumdem testatorum, qui finis cessat per exitum à Religione. Et si scirent legatorios, præsertim extraneos sub dicta conditione, fore consecuturos, legatum, etiamsi à religione exeant, ad seculum redeuntes, & in eo-

dem

dem permanentes, illis non legarent, ne fine principali frustrarentur, Et certè supposita priori opinione, præbetur magna occasio defraudandi ultimam voluntatem testatorum, cùm facilè fingi possint causæ dimittendi habitum, quæ à parte rei verè non subsistant. Quarè multominùs monasterium excludet substitutum, si gravatus decesserit ante professionem, ut post *Baldum, Ruinum, Sfortiam, Od.l.um, tradunt.* Mantica *de conjectur: lib. 10. tit. 7. 11,* Menoch *de præsumpt: præsumpt: 83. num: 73. & alij, quos refert Belletus d. num: 19.*

DUBIUM 17. An sicut conditio, *si ingrediatur in Religionem* legato adjecta valet, ita valet conditio, *si continenter vixerit,* si adijcitur legato facto virgini, an verò reijciatur sicut reijcitur nunquam nubendi? R. *cum distinctione,* Conditionem, *si castè & honestè vixerit* appositam virgini valere, quia non inducit perpetuâm viduitatem, seu non excludit matrimonium: quia legitimi conjuges dicuntur castè & honestè vivere in matrimonio. At verò conditionem, *si continenter vixerit,* in virgine non valere, sed reijci, quia directè excludit perpetuò nuptias, & æquivalet conditioni, *si nunquem nupserit;* Undè sicut hæc in virgine habetur pro non scripta, & reijcitur favore publico juxta jura, & communiter DD. ita & illa conditio, *si continenter vixerit,* accepta in propria significatione, secundùm quam importat directè castitatem absolutam, & excludit etiam conjugalem, seu matrimonialem conjunctionem. Quare hæc est differentia inter hanc conditionem, *si continenter vixerit* & illam *si religionem ingrediatur,* quòd hæc per accidens & indirectè ten-

dit

dit ad impediendas nuptias, per se verò & directè tendit, ut alliciat ad perfectissimum statum, illa verò directe nuptias pellit. Jta Mantica *lib: 12. d. tit: 19. num: 29 & 30.* Sanchez *dicta 34. num: 15. versic: non tamen.*

DUBIUM 18. An legatum mille ducentorum relictum, pro constructione unius capellæ converti possit in emptionem librariæ quâ indigent studentes, in quodam conventu carente biblioteca? Suppono autem legatum nullum onus missarum habere adjunctum, sed simpliciter capellæ ædificationem. R/. cum Bordono *affirmativè*, maximè loquendo de prælatis regularibus, habentibus privilegia convertendi legata relicta ad unum usum pium in alium ex vivæ vocis oraculis. Sixti IV. facta inter mortuos Leonis X. inter vivos ut referunt *privileg: Collector: verb: Legatum.* Rodriqu: *tom: 1 qu: 27. art: 5. & tom: 2. qu: 125 artic. 8. cum suo compendio resolut 88, num: 12.* Portel: *V. Legatum*, & alij communiter cum Lesana *p. 1. c. 28. num: 94.* cessante scandalo quod putat Bordonus cessare *p. 2. ver: resolut. resolut: 54. nu 48. & 49.* Quando hujusmodi commutatio, fit cum consensu heredum, quorum interest solvere legatum. Nec obstat quod vivæ vocis oracula fuerint sublata, quia revocata fuerunt solùm illa, quæ erant præjudicialia tertio, & ex quorum usu sequebantur scandala, & lites inter partes, ut colligi potest ex tenore Bullæ. illorum revocatoriæ, ut docuit Bordonus *tom: 1. resol: 31.* Quare prælatus regularis cum bona gratia heredum poterit legatum mille ducatorum convertere in librariam, maximè cùm talis commutatio videatur esse, in quid melius, & utili-

ùs

ùs Religionis, ex quo non videtur infringi voluntas testatoris, sed in melius, commutari. *arg: cap: Pervenit de jurejur: cap: scripturæ de voto.* Quod autem hujus conversio sit, in quid melius & utilius, svadetur, quia in mundo Deo favente infinitæ sunt Ecclesiæ, innumerabiles capellæ, librariæ verò paucæ, maximè apud Regulares, ergò major est indigentia librorum, quàm capellarum, ergò meliùs est & utiliùs, loco capellæ ædificare bibliothecam. Tùm quia hæc capella, nulli utilis futura est cùm dici possit vidua, in qua rarissimè celebrabitur, cùm dotem nullam habeat, librariæ verò non solùm Religiosis usus est, quibus multum necessaria est, cum libris careant, verùm etiam Christi fidelibus, nam Religiosi ex illius libris, & studio, virtute perfecti suam doctrinam per totum orbem disseminare poterunt: juxta illud Proverb. 15. *Labia sapientum dissеminabunt sapientiam:* Liceat inferre Ciceronis auream sententiam. *lib.* 2. Offic: *Quid enim post Deos optabilius? quid præstantiùs? quid meliùs? quid omninò dignius sapientia?* Ex prædictis ergò bene inferri potest commutationem mille ducatorum à fabricatione capellæ in erectionem librariæ esse quid meliùs, & utiliùs ex conditione rei.

§. XII.

De Legato, Quoad Episcopos. Quid possint, vel non possint.

DUBIUM I. *An Episcopi, tanquam sedis Apostolicæ delegati, cogere heredes possunt ad exequendas pias dispositiones:* ℞. *affirmativè,* Possunt

sunt enim hodie Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati, cogere heredes juxta formam Concilij Tridentini *sess: 22. de reformat: cap: 8.* etiamsi executores officiales, sint inquisitionis, & religiosi & ob id ab Ordinariorum jurisdictione exempti; cùm in hoc Episcopi, ut dixi non ordinaria, sed delegata à sede Apostolica jurisdictione procedant, ut proinde etiam excommunicatio ob hanc rem ab ipsis lata eosdem exemptos afficiat. Graff: *de Cas: reserv: l. 2. cap: 26. num: 1.* Barbos: *de potest Episcop: alleg: 87. p. 3. n. 14.* Quinimò testator prohibere non potest, ne Episcopus datâ heredis vel executoris negligentiâ, se intromittere vel immiscere valeat, Tuschus *in V. Episcopus concl: 293. num. 35.* Idem Barbosa *l. cit: num: 27.* Quod procedit etiamsi nullus hereditatem adierit, nam communior est sententia, & magis usu recepta ob Ecclesiæ favorem, legata pia & non adita hereditate deberi, eo quia talis præsumitur esse testatoris voluntas, ex relatis per Fachineum *lib: 6. controvers: juris cap: 84.*

DUBIUM 2, *An Episcopus ultimas voluntates commutare possit?* ℞. *Negativè.* Siquidem testatoris voluntas, pro lege servanda est, & quãtum fieri potest, adimpleri debet. Tuschus *V. Testatoris, voluntas conclus: 89.* Marcus Anton: Genuensis *in manual. Past: c. 73.* ubi ait: Episcopum letaliter delinquere, qui non curat ut destinata à fidelibus, ad certos pios usus pro illis deserviant, & non in alios convertantur, Clem: quia contingit *tit: de relig: domibus.* Et pro decisione illud facere videtur, quia testator pauperibus relinquendo ad domûs portam concurrentibus id agere voluisse videtur causâ

memo-

memoriæ hominis conservandæ ac ejus familiæ, erga pietatem & Divinum cultum; quòd si magna necessitas urgeret, ex verisimili testatoris mente per Episcopum ad tempus commutatio fieri possit. Ut etiam tradit Genuensis; & alij. Unde. Potest Episcopus Legatum ad usum pium, in alium magis pium ob necessitatem, & æque pium ex causa legitima consentiente herede, & loco pio cui fuerat relictum, convertere. Jta Sylvestr: *V. Legatum 4. num: 11. 12.* Jtem potest facere Episcopus, quando legatum est circa pium opus incertum: Monet: *de commut: ult: Volunt: c. 5. qu: 11. num: 341.* Jtem quando legatum non sufficit ad opus certum à testatore designatum. *Idem ibidem num: 330.* Item potest exequi testatoris voluntatem in alio loco, & alio modò, datâ negligentiâ illius Ecclesiæ in favorem testator ordinavit. Monet: *ubi supra num: 335.*

DUBIUM 3. *Num quid in testamentorum executores regulares animaduertere Episcopi debent, qui pia legata intra debitum tempus non adimplent?* ℞. *affirmatiuè*, etiam per censuras, ut intra sex menses, nisi testator longius tempus indulserit, pia legata à quibuslibet executoribus, etiam Religiosis exemptis adimplerentur, dico id licuisse; ad Episcopum enim spectat omnia loca pia visitare, & curare ut piæ dispositiones executioni mandentur, ex Concil: Trident: *sessi 22. de reform: cap: 8.* Et certum est religiosos testamenti executores, quamvis exempti sint, susceptæ executionis ordinarijs locorum rationem reddere teneri. Episcopos quoque, astringi eam rationem ab eis exigere, & eos punire, si in eo officio deliquerint id enim expresse dicitur in

Cle-

Clement: 1. de testam: ubi Anth: & Bonifac: & firmat, Sanchez *l. 1. c. 9. n. 22.* Barbosa *de Episcop: p 3. alleg: 105. n. 50.* undè à letali noxa non excusatur Episcopus, qui non curat ut piæ defunctorum voluntates adimpleantur, & ut destinata ad pios usus certos pro illis deserviant, & in alios non convertantur. *Clement: quia contingit de relig: domib: c. ultima Voluntas 13. q. 2.* & sanè æquitati maximè consentaneum est, ut sicut Episcopi charitatis igne fervere debent: ita ut animarum quæ in purgatorij flammis torquentur specialem curam habeant.

DUBIUM 4. *An Episcopus omnium piarum Voluntatum executor sit?* ℞. *affirmativè*, nisi in earum fundatione per sedem Apostolicam confirmata, alitèr disponatur; in casu tamen negligentiæ semper est executor patet per *cap: tua nobis de testam:* ita apud Pignatelli: *tom: 1 consult: 40. n. 4. lego:* Atque ita etiam censuit S. Congregatio concilij quò ad omnia supra dicta, foro Sempronien. *die 23. Maij 1667.* quinimò hodiè non solùm Episcopi piarum voluntatum dispositiones executioni mandare possunt, sed etiam fabrica S. Petri de urbe, ut extat Bulla Pij V. *incipit exigit*, per quam medietas legatorum piorum per triennium, non exactorum eidem applicatur ut per *quar: in summa Bull: in V. fabrica S. Petri.*

DUBIUM 5. *Episcopus an in bona Vacantia Clericorum morientium succedat?* ℞. *affirmativè*, cum Pignatello *tom: 5. consultatione C. per totum.* Hæc sententia fundatur, primò, in *C. quicunque 12. quæst: 5* ex Consilio Triburiensi ibi: *Quicunque ex gradu Ecclesiastico sine testamento, & cognatione decesserit, hereditas ejus ad Ecclesiam ubi deservivit, devolvatur, similitèr de*

Sancti-

Sanctimolialibus. Quia inquit Glossa Ecclesia est ei proximus heres, ita ut quòd nec uxor præferatur ait Archid: *n. 1.* Simillima leguntur apud Iulianum antecessorem *noVel: 131. cap: 8* & in edicto Theodorici Regis licet barbari, apud Cassiodorum his verbis: *Clericos, Religiosasque personas intestatas deficientes, quoties defuerit, qui jure succedat, locum Ecclesiæ suæ secundùm leges facere debere præcipimus.*

Fundatur secundò, *in cap: 1. & 2. de success: ab intestato.* in quorum altero ita sancitur. *sed hoc ibidem inVentum est de Episcopis, presbyteris & clericis, ut si per hereditatem, Vel alio modo intuitu personæ aliquid acquisierint, donare eis liceat, cui Voluerint dum ViVunt. Si autem ante obierint, quàm hoc fecerint, altari, cui serViunt, omnia perpetuò sanctificentur, & in jus ejus tradantur.* Quod Glossa & alij intelligunt, cùm non habeant consangvineos, qui eis ab intestato succedant.

Fundatur tertiò, & clariùs in Concilio Triburiensi altero, in quo sic statuitur. *Sancto Concilio allatum est, quod quidam laici improbè, agunt contra presbyteros suos, ita ut demorientium presbyterorum substantiæ, partes sibi Vindicent, sicut de proprijs terris. Interdicimus itaque, ne hoc Ulterius fiat, sed sicut liberi facti sunt, ad suscipiendum gradum, & agendum officium diVinum, ità nil ab eis, præter diVinum officium exigatur.* Peculium verò ipsorum dividatur in quatuor partes, quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ, tertia pauperibus, quarta parentibus assignetur, etsi non sint idonei parentes, Episcopus eam recipiat, & in usum Ecclesiæ distribuat. Et si quis contra hoc præsumpserit anathematisetur.

Et ibid: Glossa V. *morientium in fin: notat;* si consangvineos non habeat, tunc Ecclesiam ei succedere. Quod pariter advertit Abbas *in d. c. 1. n. 4.* & *in 2. num: 1.* & D. Fagnan: *in cap: cum dilectus n. 1. eodem tit:* cætera vide per totum Pignatell: *l. cit.* ubi solvit aliqua opposita satis canonicè, & doctrinaliter.

DUBIUM 6. *An Episcopus ad pias causas pro morièntibus ab intestato testari possit?* ℞. *affirmativè.* & hoc patet ex pluribus decretis sacræ Congregationis, quorum aliqua refert elaboratus *Collector Nicolaus in suis flosculis verbo testamentum,* & pleraque alia. Et ratio ipsa svadet; cùm etenim de communi usu Christianorum Catholicè, ac piè viventium piæ dispositiones pro animæ suffragio ac peccatorum remissione fieri soleant; hinc proinde ubi quis morte insperata præventus testari, atque ejus animæ consulere impeditus est, rectè videtur dicendum, ut Episcopus tanquam pater spiritualis, atque de salute sibi commissarum animarum solicitus, ita suppleat id, quod defunctus verisimiliter fecisset, vel facturus esset si resurgeret, adinstar illius supletionis, quam lex vel judex faciat, quando constat, quod sit minus scriptum, quàm volitum. Et sacra Congregatio hanc consvetudinem non damnavit in genere sed ejus praxim moderari consvevit, mandando scilicet, quòd ipse Episcopus nihil sibi, vel suis applicare valeat, quodque id quod texatur, verè pijs usibus cum omni sinceritate applicari debeat, eo modo, quo ipse defunctus pro qualitate personæ, quantitate patrimonij, numero, vel indigentia filiorum, vel conjunctorum, ac more regionis verisimiliter dispositurus fuisset, vel disponeret si resurgeret, ita hoc

arbitrium discretè nimiumque moderatè tanquàm bonus vir exercendo, ut animæ defuncti provideret. Prorsus, totum hoc fiat ab ordinario cum paterna discretione, nec exigat nisi modicum quid, habitâ ratione qualitatis & quantitatis bonorum nec non heredum, & successorum. An sint pauperes, an sui. An facultas collecta ex mercimonijs vel bonis Ecclesiasticis vel alijs modis considerabilibus, 1681. *montepeloso 9. Maij 71.* Et quando esset consvetudo exigendi quartam bonorum defuncti, id fieri non debet ad rigorem, sed ad arbitrium boni viri habita ratione ut supra 1591. 1. *Febr: 226. vers. circa consvetudinem.* Hæc ex Nicolio v. *testamentum n. 7. circa finem.*

DUBIUM 7. *An Episcopus habeat administrationem illorum legatorum, quæ in incertos usus pios relicta sint?* Ratio dubitandi est, quia legata pia incerta, in vim facultatum capiendi, & applicandi, quæ in incertos usus pios relicta sunt, cadunt sub administrationem, potestatem & usum fabricæ S. Petri, his tamen non obstantibus? R. *affirmativè,* juxta decretum Alexandri VII. *Superni 30. Augusti 1655.* cujus mens est talis, quod legata si sint incerta convertuntur in beneficium pauperum, non fabricæ; atque ita Episcopus habet facultatem administrandi in beneficium pauperum talia legata, quamvis in incertos pios relicta, nam præsumendum & piè credendum est testatorem habuisse intentionem curandi cum occultis eleemonynis honestos pauperes maximè verecundos.

DUBIUM 8. An testator adijcere possit legato conditionem sive clausulam ne Episcopus in illius executione se intromittat; etsi capellam il-

lam eximere ab Episcopi jurisdictione; vel prohibere ne hospitale à se fundatum Episcopus visitet post suam mortem. (quia vivente fundatore certum est ab Episcopo visitari non debere) quidam negant: quia talis clausula de jure civili favore piæ causæ habetur pro non apposita. *auth: licet: testator, C. de Episc: & cler* quidam secus de jure Canonico, & Concil: Trident: quia sic sæpius resolvit sacra Congreg: ait Nicolius in suis flosc: *V. legatum n 14.* Nec Episcopus se intromittere potest nisi in casu negligentiæ, & nos diximus supra. Ita Diana *1. tract; 2. resolut: 83. ex C tua nobis de testam.*

DUBIUM 9. *Quomodo Episcopus concurrat simul cum Capitulo, ad disponendum legatum relictum Ecclesiæ?* supposito quòd dispositio legati relicti pertineat ad Episcopum & Capitulum simul, insurgit dubium, an suffragium Episcopi tantum sit, quantum totius Capituli. Sublata enim præscriptione in contrarium, quando agitur de ijs quæ pertinent ad Episcopum, & Capitulum simul, suffragium Capituli & Episcopi æquiparantur, ita ut tantum sit suffragium Episcopi, quantum totius Capituli, ut tradunt Doctores *in cap: postulastis de concess: prabent.* Rota *decis 193. n. 1. p 4. Recent.* R. tamen; quod suffragium Episcopi in dispositione legatorum, quæ relinquuntur Cathedrali, sit simplex, sicut cujuslibet Canonici. Desumitur *ex cap: relatum de testamen:* ubi ab administratione hujusmodi legatorum excluditur Episcopus, & declaratur, pertinere ad Capitulum. Si autèm tantum esset suffragium Episcopi, quantum totius Capituli, administratio æquali modo pertineret ad Episcopum, ac ad Capitulum, & ipso dissentiente Capitulum nihil concluderet: & pro

 inde

indè non remaneret exclusus Episcopus tanquam Episcopus, quia concurreret suffragio qualificato, & non tanquam unus de Capitulo. Dum autem excluditur, non potest concurrere, nisi tanquam unus de Capitulo; & proindè suffragio simplici. Tum quia, suffragium Episcopi non est qualificatum, & tantum quantum totius Capituli, nisi quando concurrit ut talis, & tanquam prælatus, juxta ea, quæ tradunt Abbas *in Capt postulastis n. 11. de concess: praben:* Rota *decis: 193. n. 7. p. 4. recent.* qualificatio enim suffragij, fundatur in qualificatione personæ, ideò non resultat in suffragio, nisi secundùm ipsam concurrat persona. Non potest autem Episcopus ut talis, concurrere ad dispositionem, sed solùm ut unus de Capitulo; nam non excluderetur, ut excluditur *in dic: Cap: relatum 2. de testamen.* si deberet concurrere tanquam Episcopus, & secundùm qualificationem dignitatis. Hinc autem deducitur, quòd poterit Episcopus se solo tanquam executor ultimarum voluntatum, se immiscere & recognoscere effectuationem deliberationis factæ circa usum legati; nam quando Episcopus concurrit simul cum Capitulo tanquam unus de ipso, remanet illi salva prærogativa circa eosdem actus, quos recognoscere potest tanquàm prælatus juxta *Cap: A collatione de appellat in 6.* ubi Gloss: & Doctores Abbas *in cap. postulastis n. 11. versu:* secùs si interfuit. *De concess: praben.* Rota *decis. 191. n. 3. p. 4. recent.* pro majori autem hujus materiæ declaratione fit.

DUBIUM 10. *Ad quem pertineat disponere legatum relictum Ecclesia Cathedrali?* hoc dubium unum supponit, & aliud quærit. Supponit quod legans non disponat, in quem usum sit con-

verten-

vertendum legatum, sed relinquat liberam facultatem, & proindè dubitatur, & consequentèr quæritur ad quem pertineat determinare usum? R. ergo, *pertinere ad Capitulum.* Ratio est, quia legatum quod relinquitur Ecclesiæ secuta morte testatoris acquiritur eidem Ecclesiæ, & proindè bonis ejusdem incorporatur. Ad Capitulum autem spectat administrare bona Ecclesiæ, ut statuitur *in cap: relatum* 2. *de testam* ibi. *nomina autem Ecclesiæ, non Episcopus vel successor, Clerici morientis, ubi est Collegium Clericorum, sed communis congregatio intelligitur, quæ rerum illarum debet Canonicam distributionem, & curam habere.* Et ita communiter tradunt Doctores Abbas in cap: dic: *relatum* 2. *n.* 5. Butrius *num:* 18. Rota *coram Cæsare de Grat: deciss.* 4. *de his quæ fiunt à ma. part: capit.* & plures alij apud Pasqualig: *quæst: moral: jurid:* 125. Cùm enim Capitulum habeat generalem administrationem Ecclesiæ, debet etiam habere de bonis relictis eidem Ecclesiæ. Capitulum namque repræsentat Ecclesiam. *cap: relatum* 2. *de testam:* Rota *coram Seraphino deciss:* 420. *n.* 4. & coram Durano *deciss:* 55. *n.* 8. Quare Episcopus non poterit se ingerere in administrationem, & usum legati, nisi tanquam de Capitulo, & simul cum ipso Capitulo, cùm enim Episcopus sit caput Capituli, non est excludendus à deliberationibus, quæ fiunt à Capitulo: & ideò poterit concurrere simul cum cæteris ad deliberandum circa usum legati. Si tamen Capitulum sit exemptum à jurisdictione Episcopi, nec ipse sit ejus caput, nec etiam tanquam unus de Capitulo vocem habeat, tunc nullo pacto poterit se ingerere, & nihil pertinebit ad ipsum dispositio hujusmodi legati, sicut nec e-

tiam pertinet Capitulum. Hoc tamen

Limitandum est primo, ut non habeat locum, si à testatore sit de speciali administratore provisum, ut si alicui de Capitulo aut extraneo, aut etiam Episcopo commisisset administrationem: nam ejus dispositio est servanda juxta notata *in lib: penult: §. de leg: 1.* & tradunt Peregrin: *consil: 38. n.12. lib: 1.* Et ideo si pro administratione fuit nominatus Episcopus, ad ipsum solùm spectabit determinare circa usum legati, nec poterit Capitulum se ingenere.

Limitandum secundò, ut non habeat locum, si legatum sit relictum alicui capellæ, quæ habeat ratione beneficij proprium rectorem, aut alicui Ecclesiæ annexæ Cathedrali, quæ non sit de jure Capituli, quia tunc administratio, legati pertinebit ad eum, ad quem spectat Ecclesia, vel capella, non verò ad Capitulum juxta ea quæ tradunt Glos *in cap: relatum 2. verbo unus de testamen.* in tantum enim administratio spectat ad Capitulum, in quantum spectat etiam Ecclesia, cui relinquitur. Ubi ergò non sit Collegium seu Capitulum, spectabit ad eum, cui subest Ecclesia seu capella.

Limitandum tertiò, ut locum non habeat', si legatum relictum sit confraternitati, licet erectæ in Cathedrali, juxta ea quæ tradunt Doctores *in cap: cum dilecta de excess: prælat:* Rota coram Durano *deciss: 291. num: 20.* cùm enim confraternitates erigantur auctoritate Episcopi juxta Clement: VIII. *constitut: 115. tom: 3. Bullar.* consequentèr etiam subsunt eidem Episcopo: non autem Capitulo, quod ideò non potest se ingerere circa legata ijsdem relicta. Accedit etiam quod confraternitates sunt corpora, & communitates distinctæ

stinctæ à Capitulo, cùm agnoscant propria jura, habeant proprios ministros, sigillum, bursam, & cætera quæ necessaria sunt ad constituendum corpus distinctum: juxta *lib. 1. §. quibus autem §. quod cujusque Univer:* & notant Doctores in cap. *dilecta de excessi prælat.* præsertim Abbas, & Innocent Francisc. Marc. *quæst. 801.* Undè legata relicta hujusmodi confraternitabus incorporantur bonis ipsarum, quæ cùm habeant proprios administratores, ad ipsos quoque pertinet administratio legatorum.

PRACTICA XII.
De
Sepultura CHRISTI Fidelium mortuorum.

Sepultura maximum pietatis opus, cujus neglectus, cùm sine incommodo fieri potest, nec alius qui id obeat adsit, mortali culpa non caret, ac proindè DD. velint, ante omne æs alienum funeris impensam deducendam esse, nec debitoris cadaver posse insepultum jacere, vel ad creditorum, ut ajunt, instantiam detineri. Undè non temerè & gratis, sed appositè atque opportunè post sacramentum de viatico, extrema unctione, & alijs sacramentis hic agitur de ultimo charitatis subsidio, atque maximo pietatis opere, nempè sepultura, quæ ijs, si ex hac vitâ discedant adhibenda est. Siquidem & in æde Libitinæ, locabantur necessaria ad funebrem apparatum & pompam, hinc factum est, ut Libi-

tina aliquando pro morte, seu pro lecto, quo mortui ad sepulturam ferebantur (si datur fides Horactio *lib: 3. carm:*) caperetur. sit itaque.

§. I.

Quoad sepulturam materialem.

Supponas 1. Sepulturam si ethymologia nominis spectetur, derivari à sepeliendo, seu à sepiendo, eò: quod cadaver hominis defuncti, vel terrâ, vel arcâ, velut sepe circumdetur, & circumsepiatur. Jta Bonac: *tom: 2. de Contractibus disp: 3. qu: 21. punct: 1.* Murga *in quaest: moral: Canonicis tract: 3. disquisit. 1 n. 5.*

Supponas 2. Sepulturam tripliciter posse sumi; Primo pro officio & charitatis opere, quod impenditur corporibus humandis. *cap: Defunctum 1. quaest: 12.* Secundò pro loco in quo quis sepelitur, qui & alio nomine vocatur sepulchrum cumulus, monumentum, depositum, mausolæum &c. de quorum nominum ethymologia videatur Murga, in proëmio tractatûs tertij supra citati, Et sic sepultura materialiter pro loco in quo quis reconditur accipitur, de qua in hac acceptatione agemus hoc *§. 1.*

DUBIUM *1. An & in quibus locis cadavera recondi queant* R. quantum est ex natura rei, & secundùm se, necessitate urgente quelibet locum, sive subterraneum, sive aereum esse aptum, ut in eo cadavera sepeliri possint. Ex Constitutione Pij V. *incip: Cum primum* corpora defunctorum, super terram in sublime elevata amoveri debent, & sepeliri subtus terram; loquitur autem de cadaveribus in Ecclesia tumulatis sublimè, quæ ex capsis extrahendæ sunt

sunt, & tumulanda sub terra, relictis sepulchris, & monumentis suis locis, siquidem hæc non prohibentur. Et sacra Congregatio prohibuit corpora defunctorum collocari, subtus altaria, vel bradellas, & si quæ ibi sunt sepulchra mandavit impleri terrâ per *c. Nullus 18. 13. quæst: 2.* Ita refert Naldus *V. sepult: num: fin:* & habetur ex Rituali Romano tit: de exequijs. Hinc.

Collige 1. Sepulchra & tumulos Christianorum non necessariò esse consecranda Ita Moronus responso *lib: 1. num: 8.* Barbosa. Pax Iordanus Samuellius, quos citat & sequitur Murga *disquisit: 1. num: XI.*

Collige 2. Sepulchrum non præcisè constitui per hoc, quòd aliquis fidelis in eo sit sepultus.

Collige 3. Ad sepulturam non exigi, quòd sita sit extra parietes & muros Ecclesiæ, vel Capellæ consecratæ, aut solemniter benedictæ, sed solùm, ut ad illud munus sit deputata & benedicta. Ita Bordonus *l. cit: num: 2.* & constat ex Rituali Romano, quod assignat orationem benedictionis sepulchri distinctæ à benrdictione Ecclesiæ. Et ratio est, nàm in Ecclesia nondum benedicta, quis sepeliri potest? eo enim casu sufficit, si nova sepultura benedicatur juxta Rituale Romanum Pauli V. in quo habetur oratio benedictionis. Intra claustra Religiosorum quis sepeliri potest? eo magis in Ecclesia authoritate Episcopi fundata licet nondum benedicta: Præterea reus gaudet immunitate Ecclesiæ nondum perfectè constructæ, neque benedictæ ut docent *Host: Andr: Anchar: Cardin:* & *alij apud Pergrin: Teat: in cap: 4. de immun: num: 47.* ergò & cadaver, quod magis meretur privilegio, quàm reus inferri potest. Ita Bordonus

nus *l. cit: num:* 2. qui addit quod ex hoc capite cadavera fidelium possunt tumulari in Ecclesijs, monasterijs, servatis de jure servandis constructis, esto nulla divina officia in ijs sint celebrata, nec unus fidelis sepultus.

Collige 4. Benedictâ Ecclesiâ etiam esse benedicta sepulchra intra ambitum Ecclesiæ. Jta Bordonus *l. cit: num:* 78 Constat ex cap: Ecclesiam 26 & 27. *de consecrat: dist:* 1. Ubi statuitur Ecclesias rebenedicendas ejectis paganis, & infidelibus ibidem sepultis, nullâ factâ mentione sepulchrorum, quæ absque dubio, etiam profanata fuerunt, Dixi *constructa* quia de novo construenda indigent benedictione, de qua Paulus V. in suo Rituali. Tùm quia dignius trahit ad se minus dignum *c.* 3. *de Consecr:* & *c. un: eodem in* 6.

DUBIUM 2. *Quis nam destinare possit loca ad fidelium sepulturam?* R. Ad publicam potestatem spectare facultatem deputandi, quædam loca in quibus corpora mortuorum sepéliri debeant. Ita communiter DD. & constat ex praxi omnium gentium. Hinc.

Collige 1. Velut certum, ad summum Pontificem, Episcopos, vi officij spectare facultatem, loca pro tumulandis corporibus fidelium. Jta communissimè DD. & patet passim ex jure Canonico & infra dicendis.

Collige 2. Prælatos regulares à Jurisdictione ordinariorum exemptos, posse vi officij deputare in locis ad eos spectantibus loca pro sepeliendis corporibus suorum subditorum. Ita Lezana, Bonacina, Pellizarius, quos citat & sequitur Murcha, Bordonus, *l. cit: num* 3. *constat: ex cap: 1. & quæst: 1.* Et ratio est, quia prælatus

latus est proprius sacerdos suorum subditorum juxta *Caput omnis XII. de pænitentia* & parochus & Faber *disp: 55. num: 89.* & Ecclesiæ regulares dicuntur parochiales quoad ipsos Religiosos arg: eorum, quæ docent Genuens: *in sua praxi Neapoli: capitulo 92: in fine.* Ergò de jure non solùm privilegij, sed etiam communi possunt sepelire suos religiosos, &, consequenter locum sepulturæ pro ijs designare, cùm hoc sit actus jurisdictionis, quam ille solùm in illis locis habet. Et sic concedit Gregor: X. in sua Bulla Ita nobis.

Collige 3. Velut certum prælatos regulares, exemptos jure privilegiato ijs à jure concesso habere facultatem designandi loca pro tumulandis corporibus secularium quorumcunque, qui in eorum Ecclesijs, vel locis sepeliri volunt. Constat ex Clement: dudum de sepulturis, in qua conceditur hoc Ordini Minorum & Prædicatorum. Cap: ubicunque *6. 13. quæst: 2. cap: Agapitus. XIII. XVI. quæst: 1.* Et ex alijs concessionibus Pontificum passim: Dixi jure privilegiato, quia regulares habent jus sepeliendi non parochiale, nisi habeant parochiam, sed privilegiatum jure communi, & jure privilegij, in eorum Ecclesijs. *Dixi* de jure communi patet c. ubicunque *6. 13. q. 2.* Cap: Agapitus *13. 15. q. 1. Clem: Dudum de sepult:* primi duo sunt monachorum. tertius Dominicanorum & Franciscanorum primi Ordinis; & per communicationem privilegiorum extenduntur ad quoscunque regulares; imò illud primum caput est commune omnibus institutis regularium tàm virorum, quàm monialium. Neque obstat *C. placuit 8. q. 1.* ubi munus sepe-

liendi

liendi prohibetur monacho, quia habet locum ubi monachus egreditur monasterium, & quasi jure proprio vult funus ducere.

DUBIUM 3. *Quis nam benedicere possit loca, seu sepulchra deputata, ad tumulanda cadavera fidelium?* R. Jure ordinario summū Pon. tificem, & solos Episcopos posse validè cæmiteria ex officio benedictione solemni in sua Diœcesi benedicere Jta DD communissimè. Ratio est, quia Episcopus benedicens cæmiterium utitur Pontificalibus, ut constat ex Pontificali Romano Clementis VIII. Pontificalibus autem nemo potest uti, nisi Episcopus, ut decernit Tridentinum *sess: 6. cap: V. de reformat:* Jtem quemlibet Episcopum posse validè consecrare & benedicere benedictione solemni cæmiterium, seu locum pro sepultura fidelium de licentia Episcopi, in cujus territorio cæmiterium vel locus, pro fidelium sepulturis situs est. Jta cōmunissimè Theologi, & constat ex cap: *Aqua IX. de consecratione Ecclesiæ.*

Jtem quemlibet sacerdotem posse ex summi Pontificis delegatione cæmiteria, & loca pro sepulturis fidelium consecrare & solenniter benedicere. Ita cum communi Murga *l. cit: n.* 8. Ratio est, quia cùm illa consecratio & benedictio sit instituta à summo Pontifice, & Episcopis collata, poterit & alijs à summo Pontifice, committi: Jtem quemlibet sacerdotem simplicem posse ex delegatione Episcopi, cæmiterium, vel alium locum, pro sepelliendis fidelibus simplici benedictione benedicere, Constat ex Rituali Pauli V. *in Rubrica de benedictione novi cæmiterij.* Jtem Abbates facultate usûs Pontificalium præditos, posse in suis manasterijs, & locis

locis annexis consecrare & benedicere cæmiteria, & alia loca pro sepultura fidelium designata eadem solennitate, quâ Episcopi. Ita cum communi Murga disquisitione III. & IV. & constabit ex dicendis. Demùm, prælatos regulares Ordinis Minorum, vel alios ab ijs deputatos sicut & alios cum ijs in privilegijs communicantes, posse benedictione solemni, in qua Chrisma non intervenit, cæmiteria & loca pro fidelium sepulturâ designatâ benedicere. Ita Murga & constabit.

DUBIUM 4. *Quæ loca hoc nostro ævo sint designata, in quibus corpora fidelium liceat tumulari?* ℞. Quamlibet Ecclesiam, Basilicam, capellam, cæmiterium, & quemcunque locum Ecclesiæ proximum esse sepulturam, adeoque corpora fidelium, in illis licitè tumulari posse Nam tria genera locorum habent jus sepulturæ, Ecclesia cæmiterium, & loca regularia, nempè intra septa monasterij, nam plerique mortui sepeliuntur in primo claustro, & locis cohærentibus, apud Dominicanos & Franciscanos præcipuè Ita Bordonus *l. cit: num: 8.* uterque Rodriquez, Emanuel, *tom: 3: quæst: 28 art: 1.* Hieronym *Resolut: 120. num: 1.* & alij multi & constat ex cap: *Ex parte de sepulturis* & cap: *cum liberum eodem titulo.* Unde corpora fidelium tumulari possunt in sacristia, claustro, seu ambitu, domo capitulari &c. Ita communiter DD. Lezana *tom: 21 verb: sepultura num: III.* Bassæus & constat ex praxi: hodie tamen nulla loca propè altaria sub bradellis, seu sub suppendaneis, seu gradibus altarium pro fidelium sepulturis designari possunt. Ita DD. communiter Gavantus, in manuali Episcoporum *V.*

sepul-

sepultura *num.* 6. & alij quos citat, & sequitur Murga *tract 6. disquisit:* 2. *num.* 4. referentes sic declarasse sacram congregationem in una Tranensi 1542. 8 Febr: constat ex cap: *Praecipiendum* 16. 13. *quaest:* 8. & Rituali Romano: *tit: de exequijs. Dixi,* hoc nostro ævo, nam olim nulla corpora defunctorum potuerunt sepeliri intra ambitum ipsarum Ecclesiarum, & Basilicarum, Ita Barbosa, Azor, & alij multi. Constat ex varijs Canonibus Canone *praecipiendum*, de sumpto ex Concil: Varensi relato 13. *quaest:* 11.

DUBIUM 5: *An concedenda sit licentia, ut cadaver puellæ virginis filiæ magni principis sepeliri possit intra clausuram monialium de earum consensu* R. cum Pignatellio *tom:* 2. *Consult:* 81. *n.* 3. *affirmativè* qui ex multis titulis, concedendam esse hujusmodi licentiem putat. *Primò* propter enixam voluntatem & devotionem ejusdem Principis. *Secundò*, quia sicut omnes admittunt posse educari puellas seculares, intra clausuram ad instructionem morum; & hæc judicatur causa necessaria, ita etiã ad instructionem monialium, ut aspicientes quod nobiles seculares optant, & expetunt intra suam sepulturam recundi stabiliantur in sua vocatione, magisque libenter permaneant in clausura, & seculum contemnant, debet judicari causa sufficiens. *Tertiò* propter utilitatem monasterij & eleemosynas, quas sine dubio ejusmodi Principes monasterio largientur. *Quartò*, quia præsertim oratores Regum, cùm sint extranei, nec Romæ habeant propriam Capellam, seu sepulturam non possunt sine magna expensa, pro puella filia condere sepulchrum correspondens suæ nobilitati & gradui. Quam expensam evitant sepeliendo devotionis causa,

Hæc

Hæc atque plura quæ considerari possunt, videntur concurrere ad causam rationabilem, & manifestam, ac proinde concedendam esse licentiam Pignatellius arbitratur. Sed Pignatellius, non assertivè, sed dubitativè & cum aliqua hæsitatione in favorem hujus puellæ hoc dubitum resoluit, *l. citato* nam has rationes quamvis rationabiles & manifestas, non convincentes tamen & firmas supponit dum ait: *Hæc atque plura quæ considerari possunt videntur concurrere ad causam rationabilem*, &c. nam certiùs est oppositum, scilicet, loca deputata pro sepulturis monialium, non posse deputari pro sepultura laicorum etiam nobilium, eo vel maximè ob decretum sacræ Congregationis emanatum *sess: 25. de regular: c. 5. die 11 Martij 1585.* ut refert Bonac: apud Nicolium *in flosculis verbo sepulturanum*: v. cujus sunt hæc verba: Corpora laicorum, etiam mulierum nobilium non sunt sepelienda in sepulturis monialium.

DUBIUM 6. *An Laici possunt eligere sepulturam in Ecclesijs exterioribus Monialium?* R. *negativè.* Ita Pigatellius *tom: 4. Consult: 177. per totum.* Et ejus compendiator *de sepult. electa pag: 3. 92. col:* eo vel maxime, si hujusmodi Ecclesiæ non habent jus sepulturæ, vel ex privilegio, vel ex indulgentia speciali. Ita desumitur *ex eo In nostra de sepultura.* Illudque concedere spectat ad Episcopum ex jure communi. Abbas: & alij *in cap. penult: eodem tit:* & Rota *coram Cavalerio dec: 15. n. 2.* ubi subdit, legatum à latore id quoque posse. Et in specie, quod corpora laicorum, sive virorum, sive mulierum nequeant sepeliri in Ecclesia exteriori, licet solvere vellent, pœnam synodalem declaravit expresse S.

sè S. Cong: Episcop: & Regul: *in Maceraten 8.* *Novembris 1652.* ac nisi de licentia S Congregationis ejusdem, ac consensu monialium *in Feretrana 21. Novembr: 1603.* quam licentiam requiri pro ibi construendo sepulchro, decrevit eadem sacra Congregatio *in Ferrarien 12, Iulij 1604.* illamque concedere solet personis bene meritis, vel cum Eleemosyna competente ut in *Messanen 6 Augusti 1681.* apud Nicol: *in Flosc: §. sepultura* ac luculenter eadem sacr: Congreg: *in Foro sempronien: 23. Augusti 1652.* & in Gravinen 1. Octobr: 1652. ibi: *Nelle chiese anche esteriori delle monache non si ponno sepelire esteri, è forastieri, ne huomini, ne donne, ne Anche Principi ancorche vi fossere sepolti i loro maggiori.* Ex quibus rectè sequitur, quod sepeliendi sunt, prout de jure sepeliri debuissent, ac si nullam elegissent sepulturam: Nam cum electio sepulturæ non possit sortiri effectum, proinde se habet, ac si non præcessisset. *l. si quis sub conditione §. de testam: tut: & l. ex sensu §. 1. ff. de appellati*

Dices. ex Declaratione Gregorij XIII. quam refert Marzil *in declarar: lib. 1. cap 10.* & ex eo Protel: *in dub regul: §. sepultura num: 14.* ex quo Pellizz de monial: *cap: 7. n. 10.* dicentes, illum declarasse corpora volentium sepeliri in monasterio monialium debere sepeliri in Ecclesia exteriori, & non intra claustra R. cum Pigatellio *tom: 4. Consult 177. n. 3.* De hac declaratione non constare. Tum quia etiamsi constaret intelligenda est juxta *d. cap. in Nostra de sepult.* dummodo scilicet ex privilegio, vel ex indulgentia speciali liceat Ecclesijs monialium laicos ad Ecclesiasticam sepulturam recipere, qu

apud

apud illas elegerint. Præsertim quia præsumitur, quod summus Pontifex non tollat jus alienum, nempe Episcopi quoad designationem sepulturæ, & parochi quoad emolumenta funeralia, cap: *super eo de offici deleg: & notat Felin: ibid: num:* 3. ac Gomez *ad reg: de non tollen: jur: quæst:* 95 Tùm quia est revocata contrarijs ac posterioribus decretis sacræ Congregationis supra deductis. Constitutiones enim tempore posteriores potiores sunt eis, quæ ipsas præcesserunt *l.* 4. *ff. de constit:* Princip-

Dices. Ecclesiæ omnes regularium, ac proindè monialium quæ à regularibus reguntur, illorumque privilegijs gaudent, habent ex privilegio jus sepulturæ, *ex Clem: dudum de sepult:* R. ex Pignatellio *l. cit: num:* 4. id intelligendum est, quatenus illa privilegia eorum sexui & statui non contradicunt, sive quatenus illorum sint capaces, juxta ea quæ tradunt Suarez *de legibus lib* 8. *cap.* 10. *n* 7. Rodriq: *q. reg:* 13. *art:* 21. *tom:* 1. Bonacina *disp de leg:b: q.* 3. *punct:* Tamb: *de jure Abb: tom:* 1. *disp:* 17. *quæst:* 1. & de jure Abbas *disp:* 17. *per tot:* Alias enim cederent non in earum favorem, sed in odium, quod est alienum à mente Pontificum. Contradicit enim eorum sexui ac statui recipere laicos ad earum Ecclesiarum exteriores sepulturas per declarationes S. Congregationis superiùs relatas, Quia per texti *in cap. Fraternitatem de sepult:* mortuorum sepulchra, & cæmiteria apud illas Ecclesias & monasteria ex antiquo sunt disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti & orationes, atque missarum solennia, tam pro vivis, quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur, undè ipsorum devotioni

& extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè contradicendum est. Atqui moniales omnes regulariter profitentur vitam contemplativam ac monasticam, ideoque ferè omnes, in proprio gradu monachorum continentur, quia certum est, vitam mixtam ex contemplatione, & actione spirituali versante in ministerijs erga proximos non habere locum in religionibus feminarum, cùm feminæ non soùlm sint incapaces ordinum, sed etiam docendi munus ipsis denegatur juxta *1. Corinth:* 14. Præterquam quòd aliud actionis genus consistens in usu operum misericordiæ corporalis est minùs accomodatum religioni feminarum, sicque minus regulariter decet, illud assumi ab eis, ut proprium finem, licet aliqui dicta opera commodè exerceri possint à feminis, juxta Apost: 1. *Corinth:* 5. Obstat quippe obligatio clausuræ, per quam moniales prohibentur exire extra claustrum, ad exercenda dicta opera, quod tamen esset omninò necessarium. Unde cùm occasione electionis sepulturæ, ac funeralium relinquantur hujusmodi Ecclesijs ab ibi sepelientibus legata perpetua, vel ad tempus pro missis, non possunt dictæ missæ celebrari à monialibus, neque à regularibus, non solùm ne detur illis occasio vagandi, ut censuit sacra Congregatio Concilij 1648. sed etiam loquendi monialibus. Unde sacra Congregatio Episcoporum in una venetiarum 9. Augusti 1595. ita rescripsit Patriarchæ. *Perche nelle Chiese esteriori della monache si ritrovano molte Capelle con obligo d. Messe da dirsi da Frati, la Congregatione, per levar quella prattica ordina, che dette Capella si transferiscano nelle proprii chiese d. Frati lasciando in quelle delle*

suore

suore sola mente una meßa. Et in Lucana 22. *Decembris 1628* decrevit, quòd moniales singulis missis pro singulis diebus debent esse contentæ, exceptis diebus celebrationis propriorum festorum, vel exequiarum alicujus monialis. Possunt item permitti duæ in monasterijs ita numerosis, ut omnes eidem missæ nequeant interesse.

Adverte tamen; nullam adesse prohibitionem, sepeliendi moniales in Ecclesia exteriori, ubi est in usu. Ita S. Congregatio apud Nicolium *in flosc: V. sepultura num: 7. 1594. Carme: 20. Septembris.* Sed ubi non est in usu, debet id fieri secretè de nocte & cum solo sacerdote ac ministris necessarijs 1595. Cremona 15. Marc: 16. Nec non cum licentia superioris. Ita sacra Congregatio, apud Nicolium 1694. *Carmel: 20. Septembris 305.*

DUBIUM 7. *Qualiter debeant construi sepulchra?* R. Nullas capsas, deposita, cadaverum conditoria posse extrui super terram, sed cadavera Christianorum in sepulchris, sive tumbis profundis intra terram sepeliendæ esse. Ita Nicolius *in flosc: V: sepult: num: 11.* Et constat ex Bulla quinta Pij V. cum primum Apostolatus, Hinc.

Collige 1. Ecclesias non posse fodi, nec excavari, nec fornaces seu cellas construi, ut corpora in ijs sepeliantur. Ita Pius V.

Collige 2. Posse cadavera Christianorum recondi in monumentis marmoreis, muris, seu columnis adhærentibus. Ita sacr: Congregatio 13. Octobris, anno 1579. apud Nicol: *l. cit: n. 1*

DUBIUM 8. *Qua nam dicatur Ecclesia parochialis in ordine ad Ecclesiasticam sepulturam?* R. Illam dici Ecclesiam parochielem alicujus

in ordine ad Ecclesiásticam sepulturam, intra cujus territorium aliquis habet domiciliū. Jta communissimè DD. quos magno congerit numero, ac sequitur Murga *disquisit: 1. sect: 1. dub: 1. num: 14.* Similiter illam dici Ecclesiam parochialem alicujus in ordine ad sepulturam, in qua aliquis per notabile tempus absque domicilio habitat. Hinc.

Collige 1. Jllam non dici Ecclesiam parochialem alicujus in ordine ad sepulturam sacram, in cujus confinijs, quis exiguo tempore moratur, ob messem, vindemiam, nundinas, nuptias, mercationem, adeoque nisi id fieri non posset, talem sepeliendum esse in parochia, in quâ domicilium habet, si absque periculo saltem corruptionis ad illam deferri possit. Jta expresse Bonifacius VIII. Cap: III. de sepulturis in VI.

Collige 2. Habentem æqualem, vel quasi æqualem habitationem in duabus parochijs, quantum est ex hoc capite, sepeliendum esse in parochia, intra cujus limites decessit. Jta cum citatis à Samuellio, Barbosa; *de potest. Episcopi p. 2. allegat: 32. num: 69.* Murga *disquisit: 2. dub: 3. num: 1.* Ratio est, quia cùm à parocho hujus recepit viaticum & extremam unctionem, æquum etiam est, ut in ejus parochia sepeliatur. *Dixi, vel quasi æqualem* quia non est necesse, ut mathematica æqualitate in utraque habitet, sed sufficit, quòd fermè æquali tempore.

Quares, Ad quasi domicilium, quantum temporis spatium requiratur? ℟. Sufficit spatium temporis unius anni, vel major pars anni, Hoc spatium exprimunt Angelus noster, Sylvester, Tabi-

Tabiena, Ioannes, Andreas, quos citat & sequitur Sanchez *disp: 23. num: 2.* Petrus de Vbaldis apud Sanchez exprimens majorem partem anni. Jmò non requiri ad quasi domicilium realem habitationem per annum vel majorem partem anni, in aliquo loco habitandi. Jta Sanchez *lib: 8. disp:* 23. *num:* 14. Naldus *V. matrim: num: 3.* Barbos: *de potest Episc: p. 2. alleg: 32. num: 57.*

Quares. quando domus aliqua existit in confinio duarum parochiarum, si domus habeat unicam januam, in ea habitans ad quam spectabit parochiam? ℞. Spectabit ad parochiam illam, ad quam spectat locus, in quo est ostium, per quod fit ingressus in domum. Jta Barbosa Samuellius, & alij quos citat ac sequitur *Murga dub: 4. num: 1.* Ratio est, quia ex aditu judicatur de domo cui cedat l. Et cui ædes ſ. de legatis III. Si autem domus habeat plures januas, per quas ad plures parochias aditus patet, illam inhabitans habebit domicilium, vel quasi domicillium in illa parochia in cujus confinijs sita est janua principalis, & quæ magis frequentatur, Jta Barbosa; Riccius, ac sequitur Murga *num:* 3. Hinc.

Collige. Si domus habeat duas januas æquè principales, quarum quælibet sita est in particulari parochia, inhabitantem domum spectare ad utramque parochiam.

DUBIUM 9. *Quæ nam sit sepultura advenarum, & peregrinorum?* ℞. peregrinos & advenas decedentes absque electione sepulturæ & carentes sepulchro majorum, sepeliendos esse in Ecclesia parochiali, intra cujus limites moriuntur. Jta Angelus *verbo sepultura* & alij quos

magno numero citat Murga, & sequitur num: 2. dub. 5. Si autem Ecclesia parochialis sepulturâ careat, tales advenas sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali. Hoc tantùm vult sacra Congregatio *de anno 1592. V. Julij* quam refert Gavantus *in manuali Episcoporum num: 51.* nè Catholici illegitimè sepulturâ careant.

DUBIUM 10. *Quæ nam sit sepultura summi Pontificis?* R. Papam Romæ deviventem, sine electione sepulturæ, & sepulturâ majorum, sepeliendum esse in Basilica Lateranensi. Ita Samuellius & alij quos citat, ac sequitur Murga *disquis 2. dub: 6 num: 2.* Ratio est, quia cùm illa sit illius sedes, illam videtur pro sepulturâ elegisse. Si autem Papa moriatur extra Romam, si in Ecclesia Lateranensi tumulari nequeat, sepeliendus est in Ecclesia Cathedrali, vel in primaria Ecclesia illius loci. Ita præter Doctores à Samuellio citatos Murga *num: 2. l. cit.* Hinc.

Collige 1. Summum Pontificem si moriatur ruri, vel in alio loco, ad quem causa recreationis vel visitationis se contulit, sepeliendum esse, si hoc commodè fieri potest, in loco in quo ejus curia residet. Ita Samuellius, quem citat & sequitur Murga *num. 3. constat ex cap: 15. qui de sepulturis.*

Collige 2. Papam absentem electum in viâ deviventem sepeliendum esse in Ecclesia majori loci, in quo mortuus fuerat. Ita Samuellius.

Collige 3. Papam qui renuntiavit Papatui, si Romæ renunciavit & moriatur, sepeliendum esse in Ecclesia Lateranensi, si alibi in Ecclesia Principaliori. Ita Samuellius, quem citat & sequitur Murga *num: 7. & 8. l. cit.* Ratio est, quia quan-

do factus est Pontifex, illas pro suâ sepulturâ censetur elegisse

DUBIUM 11. *Quæ nam sit sepultura Cardinalium.* R. Cardinalem Romæ, sine electione sepulturæ, & sepulchro majorum deviventem de jure sepeliendum esse in Ecclesia Lateranensi. Jta Samuellius & alij, quos citat ac sequitur Murga *dub: 7. num: 7.* Ratio est, quia Cardinales sunt fratres, & coadjuteres Papæ, adeoque in ejus sepultura sepeliri debent. Hodiè tamen vi consvetudinis sepeliri Cadinales in Ecclesijs suorum titulorum testantur Samuellius & alij plures. Similiter Cardinalis devivens absque electione sepulturæ, & sepulchro majorum, in curia Papæ extra urbem Romanam sepeliendus est, in maiori Ecclesia illius loci. Jta cum dicto Samuellio plures. Ratio est, quia Cardinalis sequitur Papam, in honore sepulturæ, sicut enim sequitur in executione officij Pontificialis, similiter Cardinalis electus ad Cardinalatum devivens, sine electione sepulturæ, vel sepulchro mojorum, antequam Romam, vel ad Romanam curiam pervenerit, sepeliendus est in Ecclesia majori illius loci. Jta Samullius. Ratio est, quia illa Ecclesia tunc est Ecclesia illius parochialis

DUBIUM 12. *In qua nam Ecclesia sepeliri debeat Nuncius Apostolicus Patriarcha &c.* R. *Primò* Nuncius Apostolicus devivens sine electione sepulturæ, vel sepultura majorum, sepeliendus est in Ecclesia parochiali Ita Samuellius, quem citat ac sequitur Murga *num: 4.* Ratio est, quia Nuncij Apostolici, in Provincia suæ Nunciaturæ, habent jurisdictionem ordinariam, adeoque censentur suum domicilium, & suam

habitationem habere, in Ecclesia Cathedrali, aliàs in Ecclesia, in qua suscipere deberent sacramenta.

Secundò Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, decedentes in locis suæ iurisdictionis subiectis, sine electione sepulturæ, & absque sepultura majorum sepeliendi sunt in Ecclesijs suis Cathedralibus, vel si ad eas commodè deferri nequeant, in quavis Ecclesia eorum jurisdictioni subjecta. Ratio est, quia Ecclesia Cathedralis, est eorum domicilium, & in eius defectu quævis alia Ecclesia ei subiecta.

Tertiò. Episcopus habens plures Episcopatus quorum unus alteri non subijcitur, si moriatur in uno Episcopatu, sepeliendus est in Ecclesia Cathedrali in qua decessit; sin extra utrumque sepeliendus est in viciniori Cathedrali Ecclesia. Jta Murga citans Samuellium *dub:* 9.

Quartò Coadiator Episcopi mortuus sine electione sepulturæ, & sepulchro majorum sepeliendus est in Ecclesia Cathedrali, cuius est Episcopus. Jta cum Samuellio Ventriglia: Ratio est, quia cùm sentiat onera illius Ecclesiæ, etiam sentire debet commodum.

Quintò Abbates & alij prælati seculares, habentes quasi Episcopalem iurisdictionem, defuncti sine electione sepulturæ, ac sepultura maiorum, sepeliendi sunt in Ecclesijs, in quibus habent iurisdictionem, aliàs in Ecclesiis parochialibus in quarum districtu defunguntur. Ratio est, quia in illis Ecclesijs habent domiciliũ

Sextò Decani, Priores, Præpositi, Parochi & quivis alij prælati decedentes sine electione sepulturæ, ac sepultura majorum, sepeliri debent in Ecclesia sua collegiata, parochiali. Jta Murga *dub:*

ga *dub*: 13. *num*: 1. Ratio eſt, quia in illis Eccleſiis habent domicilium.

Septimò. Habens duas parochias, vel parochiam, & vicariam, aut beneficium in aliqua Cathedrali, vel collegiata Eccleſia ſepeliendus eſt in Eccleſia, in qua vivens ſuum domicilium, & habitationem habuit Jta Samuel Ventriglia &c alij. Ratio eſt eadem, quia cárens ſepulturâ majorum, ſi nullam elegit ſepulturam ſepeliendus eſt in Eccleſia, in qua domicilium & habitaculum habuit.

Octavò. Habens dignitatem, Canonicatum, præbendam, cui Eccleſia parochialis eſt annexa ſi decedat non electâ ſepulturâ & ſine ſupultura majorum, ſepeliendus eſt in Eccleſia, cui parochialis eſt annexa. Ratio eſt, quia illa magis principalis eſt.

Nonò. Commendatarius defunctus ſine electione ſapulturæ, & ſepulchro majorum, ſepeliendus eſt in Eccleſia commendata, & ſi ad illam deferri nequeat, in Eccleſia ſuæ reſidentiæ, & ſi ad hanc etiam portari non poſſit; in Eccleſia parochiali. Ita Murga *dub*: 16 *num*.

Decimò. Vicarius, capellanus perperuus alicui Eccleſiæ ſepeliendus eſt in ea, cujus eſt vicarius. Ratio eſt, quia illa eſt ipſius domicilium.

Vndecimò. Canonici tam Cathedralium, quàm collegiatarum Eccleſiarum, beneficiati, eſto in alia parochia habitent, ſepeliendi ſunt in Eccleſijs, in quibus habent Canonicatum, beneficium. Ita Barboſa, Samuellius, Ventriglia, quos citat & ſequitur Murga *dubio* 18. Ratio eſt, quia in illis habent domicilium.

Duodecimò. Capellanus amovibilis non eſt ſepelien-

peliendus in Ecclesia cui deservivit, sed in qua est mortuus. Ita Samuellius, quem citat & sequitur Murga *dub: 21.* Ratio est eadem.

Decimotertiò. Clericus non deserviens Ecclesiæ sepelliendus est in parochia intra cujus limites moritur. Ita cum pluribus Murga *dub: 13.*

DUBIUM 13. *Quis locus sit sepultura Religiosorum.* ℞. Regulares sepeliendos esse in suis monasterijs, nisi adeò sint remoti ab illis, ut ad illa deferri nequeant. Ita communissimè DD. Bordonus *resol: 51 num: 161.* scitè aduertens illum religiosum esse remotum à suo monasterio, ne in illo sepeliri possit, cujus cadauer unico die ad conventum sui ordinis transferri nequit, vel si possit unico die, non potest tamen sine magno incommodo, nam tunc est periculum ne cadaver corrumpatur. Ut constat *ex capit Finali* §. *de sepulturis in 6.* Immò data difficultate, licet eodem die ad conventum transferri posset cum gravi incommodo, potest cadaver relinqui sepeliendum in parochia, ubi decessit expensis solutis curato. Ita Bordonus *l. cit.* Hinc.

Collige 1. Generales, Provinciales Abbates immediatè etiam subiectos summo Pontifici, esse tumulandos in monasterijs suorum ordinum, esto sepulturam elegissent, nisi à regula vel constitutionibus hoc ijs esset concessum. Ita ex parte Donatus *tom: 4. art: 1. contra Rosellam, Rodriquez tom: 3. quast: 60 artic: 8* Ratio est, quia caput citatum indistinctè loquitur de religiosis, nec Generales aut Provinciales habent facultatem eligendi sepulturam, ut infra dicetur.

Collige 2. Abbatem, Superiores non posse permittere absque peccato mortali, ut eorum subditi alibi sepeliantur, quàm in monasterijs, suorum

rum

rum ordinum, si ad ea commodè deferri possint.

Collige 3. Religiosos apostatas, si nominatim excommunicati non sint, sepeliendos esse in monasterijs suorum ordinum. Ita Sanchez, Rodriquez, quos citat & sequitur Donatus *quæst*; 5. Ratio est, quia per apostasiam non desinunt esse Religiosi.

Collige 4. Regularem morientem extra monasterium, esse sepeliendum in suo monasterio, esto viaticum & extremam unctionem à parocho loci acceperit. Ita Peyrinus, Cespedes, Barbosa, Lezana, quos citat & sequitur Donatus *quæst* 9 Ratio est eadem, & sic etiam declaravit sacra Congregatio Anno 1622. X. Iulij apud Peyrinum *tom*: 2. *in constit*: 6. *Pij V. sess* x. *num*: x1. Lezanam *p*. 1. *summa cap*: 12. *n* 12.

Collige 5. Supposito quòd prælati regulares possint sibi eligere sepulturam, eum qui post renuntiationem prælaturæ moritur extra monasterium, sepeliendum esse in suo monasterio

Collige 6. Regulares subiectos ordinariis Benedictinos, Cistercienses, Canonicos Regulares, nulli subiectos congregationi, sed solùm suo Abbati, idem est de alijs quibuscunque, si decedant extra sua monasteria, nec commodè ad illa deferri possint, sepeliendos esse in parochijs, intra quarum limites sunt mortui. Ita cum Sanchez, Bordonus *loc*: *cit*: *num*: 160.

Collige 7. Novitios decedentes extra sua monasteria, sepeliendos esse in monasterijs ordinis cujus sunt novitij. Ita cum alijs Donatus *quæst*: 4 Bordonus, Ratio est, quia novitij in favorabilibus veniunt nomine religiosorum. Imò quamvis ante mortem fuisset in proposito redeundi ad seculum, quia hujusmodi propositum non extra-
hit

hit ipsum à statu novitiorum, sicut nec voluntas mutandi, parochiam liberat à jure parochiali; sed requiritur factum solvens contractum, quo novitius se tradidit religioni, ad effectum ipsam experiendi, & hæc ipsum recepit, eò fine, ut ipsum probet Engel: *num.* 12.

DUBIUM 14. *Quænam sit sepultura eorum, qui in monasterijs regularium moriuntur, qui ijs inservirunt?* R. *Primo* morientes in monasterijs regularium exemptorum, quia nec sunt in Diæcesi, nec de Diæcesi, sepeliendos esse in monasterio, in quo mortui sunt. Ita Donatus *quæst:* 22 *n.* 6 & à fortiori Rodriquez, Peyrinus, Bordonus, ab eo citati. Ratio est, quia tales non moriuntur in Diæcesi nec in parochia, sed extra & foris.

Secundò. Velut probabiliùs hospites & peregrinos, qui casu moriuntur in monasterijs exemptis, quæ sunt in Diæcesi, esto non sint de Diæcesi, inelectâ sepulturâ, sepeliendos esse in Ecclesia parochiali, intra cujus limites decedunt. Ita Pellizarius quem citat & sequitur *l. cit: n.* 5. Donatus. Ratio est, quia regulares circa hoc nullum habent privilegium, sed solùm quòd talibus possent porrigere viaticum, & extremam vnctionem. Undè circa advenas, qui in monasterijs infirmantur observanda est dispositio sacræ Congregat: concilij, quæ in una Menopolitana 27. *septembris* 1670. ut lib: 26 *decre: fol:* 444. censuit non licere fratribus absque licentia Episcopi vel parochi administrare sacramenta advenis, qui in eorum conventibus infirmantur, etsi decedant, non posse sepeliri, in eorum Ecclesijs.

Tertiò. Commensales, oblatos, famulos intra claustra monasteriorum, exemptorum decedentes, non electâ sepulturâ, sepeliendos esse in Ecclesijs

clesijs monasteriorum eorundem. Ita communissimè Doctores. Ita Donatus *quæst: 21.* Constat ex Consilio Tridentino *sess: 24. de Reformat. cap: XI.* Ratio est; quia sunt partes & membra religiosa communitatis, & gaudent privilegijs ejusdem, & in Ecclesiâ ejusdem sacramenta recipiunt.

Quartò. Famulos deservientes monasterijs, in villis, prædijs, possessionibus, hortis, decedentes nullâ electâ sepulturâ, sepeliendos esse in monasterijs, quibus deserviunt. Ita Rodriquez, Pellizarius, quos citat ac sequitur Donatus *quæst: 21. n. 2.* constat ex Privilegio Clementis V. Ordini Minorum concesso, ut habetur in compendio privilegiorum *verbo sepultura n. 2.* & privilegio Pauli III. concesso Societati Iesu, & relato Bullario ejusdem.

Quintò. Operarios, opifices, qui casu in monasterijs exemptis laborant, & hospitantur, si in electâ sepulturâ in ijs moriantur, esse sepeliendos in Ecclesia parochiali. Ita Bordonus *resol: 51. n. 216.* Ratio est, quia tales casualitèr habitant in monasterijs, sicut religiosus, qui moritur, extra suum monasterium, sepeliendus est in eodem: tum quia parochus habet intentionem fundatam in jure sepeliendi in sua parochia, omnes suos parochianos quocunque loco moriantur, nisi alibi, vel sepulturam elegerint, vel habeant: & famulus pretio conductus ad fratrum auxilium non desinit esse, sub jure proprij parochi, nec ex eo sit regularium commensalis, aut in monasterio domicilium acquirit, nisi apud eos sepulturam eligat.

DUBIUM 15. *Quæ nam sit sepultura confratrum Rosarij, chorda, Scapularis &c. R.* Confratres Rosarij &c. decedentes vitâ nullâ electâ

sepul-

ſepulturâ, & carentes ſepulchro majorum, ſepeliendi ſunt in Eccleſia parochiali, eſto ſtatuta confraternitatis habeant, quòd ſepeliendi ſint in Eccleſijs, in quibus confraternitas ſervatur. Ratiò eſt, quia illa ſtatuta cùm præjudicent juribus parochialibus, nullam habent vim obligandi. Tum quia non poteſt quis relicto majorum ſuorum, vel parochiali ſepulchro ſepeliri in oratorio, vel in Eccleſia, quæ de jure vel exprivilegio cæmiterium non habet per text: *in cap: fraternitatem de ſepultur* ibique Canoniſtæ communitèr, nominatim Innocent: *n. 1.* De jure autem communi cæmiterium habent illæ duntaxat Eccleſiæ, quæ habent populum ut tenet Gloſſ: in *Clem: Dudum §. hujusmodi V. ſepulturam.* Innocent: Oſt. Archid: & Io. Andr: *in cap: 1. de ſepult: in 6.* Oratoria autem confraternitatum non habent populum, atque adeò non poſſunt in ijs ſepeliri corpora defunctorum. Ita Pignatel: *tom: 7. conſult: 36. pag: 79.*

Dices. Quid ſi eſſet conſvetudo antiqua & quidem immemorabilis ſepeliendi corpora defunctorum confratrum in oratorijs? ℞. *negativè,* cum Pignatellio *l. cit n. 3.* neque enim hæc conſvetudo prætenſa ſuffragatur. Tum quia debet probari legitimè. Tum quia eſt contra jus, quod diſponit unumquemque ſepeliri debere in ſepulchro majorum ſuorum, aut in Eccleſia parochiali *ut in cap: 1. de ſepultura,* & agitur de præjudicio tertij, nempe Eccleſiæ, in qua de jure ſepeliri debeat. Tum quia non poteſt præſcribi, ac conſvetudine acquiri id, cujus non adeſt capacitas, ſocietates autem ſeculares ſunt incapaces juris ſpiritualis & Eccleſiaſtici, quale eſt jus ſepulturæ, ut proinde Vitalin: *in d. Clem: dudum §. hujus-*

hujusmodi n. 10 concludat, quod illa sola Ecclesia habet jus sepeliendi, cui sit concessum cæmiterium, ac ita licet fuerit Ecclesia ædificata authoritate Episcopi, non idcirco habeat jus sepeliendi, nisi fuerit ei cæmeterium concessum, quod etiam definivit & decrevit S. Carol: *lib: 3. actor: tit: 15*. de sepult: ubi solùm admittit consvetudinem immemorabilem his verbis: *ne in confratriarum Scholarumque oratorijs, Ecclesijsque cadavera, etiam sodalium sepeliri liceat, nisi id licere ex privilegij tabulis aut consvetudinis immemorabilis usu, constet Episcopo.*

Dices. Posito quòd eædem confraternitates possint ex consvetudine immemorabili sepelire in suis oratorijs corpora defunctorum, an possint sepelire suos confratres, qui sibi in illis non elegerint sepulturam? R. cum Pignatellio *l. cit: num: 5. negativè.* Ratio est; nam qui poterat eligere sepulturam & moritur absque electione, debet sepeliri in sepulchro majorum suorum, vel in Ecclesia parochiali ut desumitur ex *d. cap: de sepult.* juncta Gloss: informatione casûs, & ex alijs communiter. Quare cùm ab Episcopo Bergomensi propositum fuisset 14. dubium sacræ Congregationi super Episcopis & Regularibus. An habendo privilegium confraternitates seculares sepeliendi in suis oratorijs, possint sepelire aliquem in hoc oratorio, qui non elegit sibi in articulo mortis, sepulturam in eodem S. Congregatio *die 10. Maij 1595.* respondit *negativè; nisi saltem in articulo mortis ibi elegerit sepulturam.* Adverte ex Lantusca *v. confra: n. 12.* in favorem sepulturæ cordigerorum qui refert decretum tenoris, qui sequitur. *demùm circa sepulturam cordigerorum utriusque sexus* sacr: Congreg: Epi-

pisc: & Reg: in controversia *senegall: die 22. Novembr:* 1580. sic observari mandavit, quòd ubi adest sepultura communis pro cordigeris in Ecclesia Fratrum Minorum, ubi est erecta confraternitas, sepeliantur in ea, ubi verò non est talis sepultura, moderentur sicut cæteri seculares, & sepeliantur in parochiali Ecclesia, si non sibi elegerint alibi sepulturam; quod certè procedit in casu mortis, sepulturâ inelectâ: alias à privilegio nil haberent, quia est etiam aliarum sodalitatum confraternitatibus commune, quòd si habeant in proprijs Ecclesijs communes sepulturas, easque sibi eligant, in eis sunt sepeliendi. Neque dicendum privilegium esse locale, quia loquitur de sepultura cordigerorum existente, non tali Ecclesia particulari. Sed in ea Fratrum Minorum.

DUBIUM 16. *Quanam sit sepultura Tertiariorum, & Eremitarum?* R. velut certum. Tertiarios & Tertiarias habentes conditiones requisitas à Concilio Lateranensi, decedentes sine electione sepulturæ sepeliendos esse in Ecclesia illius Ordinis, cujus tertiam regulam profitentur. Ita Bordonus *Resol: 50. n. 209.* Brognoli, *tractatu 4. capi 14. resol: 16.* Et declaravit S. Congregatio anno 1615. ad instantiam nostrorum PP. Reformatorum. Nam Reformati Observantiæ S. Francisci petierunt resolutionem quatuor dubiorum quibus S. Congregatio satisfecit 11. Decembris 1615.

Primum dubium. *An cadavera suorum Tertiariorum, sint sepelienda in suis Ecclesijs?* R. posse, & debere etiam non requisito aut invito parocho, si habeant conditiones requisitas in Concilio Lateranensi. Quod viri collegialiter, aut claustraliter vivant; mulieres verò virginalem vel

cælibem,

cælibem, aut castam vidualem, sub expresso voto, & tertiariorum habitu vitam ducant, cum sequentibus conditionibus ad secundum dubium.

Secundum dubium. *An in eisdem Ecclesijs sepelienda sint cadavera eorum, qui dicti ordinis habitu induti, ex hac vita migrarunt?* R. si constiterit de duabus conditionibus, requisitis in Bulla aurea v. d si habitum susceperint à superiore per se vel per alium, & si præmonuerint eorum cadavera, sic induta esse deferenda ad eorum Ecclesiam, apud regulares sepelienda. Ista præmunitio respectu tertiariorum formaliter non requiritur sed sufficit, quod gestaverint habitum, dum viverent de licentia superiorum, id enim est æquivalens præmonitio sepulturæ apud regulares, cùm illum detulerint, ut sub obedientia viverent, & fruerentur spiritualibus eorum privilegijs, tam in vita, quâm post mortem.

Tertium dubium. *Num & illi qui coram testibus dumtaxat licet absque scriptura in eisdem Ecclesijs sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi?* R. *affirmativè*, sine præjudicio parochialium.

Quartum dubium. *An huiusmodi cadavera apud regulares sepelienda, sint deferenda ad parochialem, an verò à domo defuncti immediatè ad Ecclesiam regularem?* R. Recto tramite ad Ecclesias regulares, parocho expectato, & si monitus expressè noluerit venire, eo invito posse cadaver deferre ad sepulturam electam. Quod non possit curatus cogere, ut deferatur cadauer prius ad parochialem, expressè habetur in mari magno apud Confect: pag: 64. & respondit S. Congregatio sub die 21. 1638. Ita & Naldus v. *sepultura in fine.*

Quoad eremitas, & mulieres reclusas, quæ nullius religionis regulam profitentur, & ad loca solitaria se conferunt, vel aliqua domo recluduntur, sepeliendas esse in Ecclesia parochiali, in cujus territorio domicilium habent. Ita Samuellius, quem citat & sequitur Murga *dub: 24.* Ratio est, quia nil differunt ab alijs fidelibus Doctores vero universitatum, scholares, studentes, decedentes inelectâ sepulturâ, & sine sepulchro majorum, sepeliendos esse, in Ecclesia parochiali, intra cujus limites moriuntur. Ita Samuellius, quem citat & sequitur Murga *dub: 24. n. 4.* Ex his supra dictis.

Collige velut certum; infantes qui in vita gestarunt habitum ordinis, sepeliendos esse, vel in sepultura majorum, vel in Ecclesia parochiali.

Collig. 2. velut certum. Idem dicendum de ijs, qui petierunt sepeliri in habitu nostro, idest Minorum, si præmonitio non præcesserit. Ita sacra Congreg: supra relata apud Bordonum & Brognoli *Resolut: XI. Constat ex Bulla aurea Sixti IV. qua incipit sacri prædicat: & minorum*, quæ est 19. ejusdem Pontificis *tom: 1. Bullarij Romani* in qua mandatur ut superiores ijs declarent, quod in Ecclesijs nostris sepeliendi sint.

DUBIUM 17. *Quæ nam sit sepultura quarundam personarum laicarum? R. Primò*, Principes supremi, ut sunt Imperator, Reges, Duces, nullum superiorem in temporalibus agnoscentes, si moriantur absque electione sepulturæ, & sepulchro majorum, sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali, aut Ecclesia majori loci, vel si talis in illo loco non fuerit in parochia, intra cujus limites moriuntur. Ita cum Hostiensi, Lavorio, Samuellius. Ratio est, quia ordinarij locorum, sunt horum magnatum parochi.

Secundò expositos infantes quorum parentes ignorantur, sepeliendos esse, in hospitali expositorum, vel in cæmiterio, in quo sepeliri solent pauperes, aut illis deficientib⁹ in parochia, intra cujus limites exponuntur. Ita de expositis Moronus *Responso* 51. *n* 61. Samuellius Ratio est, quia eo ipso, quo exponuntur, vel sunt pauperes, acquirunt domicilium in illis locis.

Tertiò, uxor præmoriens viro, inelectâ sepulturâ, sepelienda est in sepulchro mariti, vel majorum, casu quo præsumatur maritum in ea verisimiliter sepeliendum. Ita Moronus, *Responso* 51. *n* 47. Constat *ex cap* Ebron, & ita declaravit S. Congregatio 1633. *15. Januar.*

Quartò Si maritus nullam sepulturam propriam, vel majorum habeat, vel in ea nolit sepeliri, uxor sepelienda est in sepulchro majorum, vel hoc deficiente in parochia. Ita Moronus *n.* 49 & alij.

Quinto, Uxor quæ plures maritos habuit, si inelectâ sepultura decedat, sepelienda est in sepulchro ultimi mariti, dummodo matrimonium cum eo consumarit, aut ad ejus domum adducta fuerit. Ita plurimi DD. quos citat & sequitur Murga *dubi* 21. Constat. *ex cap.* 15. *de sepulturis in* 6.

Sextò, Uxor quæ plures maritos habuit, si nequeat sepeliri in sepulchro ultimi mariti, sepelienda est, vel in sepulchro majorum, vel hoc deficiente,, in parochia. Ita Murga *dub.* 32. Constat *ex citato cap.* 15.

Septimò Sic etiam in sepulchro prædefuncti mariti est sepelienda vidua; etiamsi ad domum patris redijsset, quia hoc privilegium datum est personæ, non loco, & quia domicilium & digni-

tatem mariti retinet: unde regina per viri obitum, non amittit nomen & dignitatem reginæ Ita sperel *decis: 88. n. 13. & seqq:*

Octavò. Si mulier moriatur prægnas, & cum ipsa fætus in utero, si ex ipso non extrahatur, sepeliri debet cum matre in loco sacro, quia considератur, ut pars ejusdem uteri; si vero extractus fuisset, utpote non baptisatus, in loco non sacro tumulari debet relicta matre ad Ecclesiam vel cæmiterium. Ita sperel. *l. cit. n. 19.*

Nonò. Uxor separata à marito per sentetiam judicis ob adulterium, nisi redierit ad gratiam mariti, per reconciliationem, sepelienda est, vel in sepulchro majorum, vel in propria parochia. Ita cum multis Murga *dub: 33.* Ratio est, quia sepultura sequitur ad unionem, quam habuerunt conjuges in vita; cùm ergo hæc unio in vita non adfuerit, etiam non sequetur unio in sepultura. Hinc.

Collige Uxorem proditoriè à viro occisam, non esse tumulandam in sepulchro mariti, vel majorum ejus. Ita Samuellius. Ratio est, quia cùm non communicârit cum uxore in vivis, etiam non debet communicare cum illa post mortem, & constat *ex cap. sacris 12. de sepulturis.*

Decimò. Nisi uxor de consensu mariti sepulturam eligat, maritus inelectâ non est sepeliendus in tumulo uxoris. Ita Meronus, & alij, quos citat ac sequitur Murga *dub: 35.* Ratio est, quia nullibi disponitur, quòd maritus sequatur uxorem: ergo nisi de suo consensu uxor eligat sepulturam, quia tunc sibi illam censetur eligere, non est maritus in ejus sepulchro tumulandus.

DUBIUM 18. *Quænam dicatur sepultura majorum?* R. Jllud dici sepulchrum majorum, quoad

quoad electionem sepulturæ, in quo pater & avus, simul sepulti sunt. Ita sacra Congregatio An: 1617. *In una Asculana die 28. Octobr:* & alij quos citat ac sequitur Murga *disquis: 1. n. 1.* Et patet ex Canone Ebron: nam in illo suppo- Jacob fuisse sepultus in sepulchro majorum suorum, in quo sepultus fuit ejus pater, Isaac, & avus Abraham. Hinc quoad praxim.

Collige 1. Si in uno sepulchro iaceant pater & avus, in altero proavi, abavi, atavi, & reliqui ascendentes, defunctum sepelendum esse in sepuchro, in quo jacet ejus parens, & avus, Ita præter Doctores, quos magno numero citat ac sequitur Murga *Disquisit: 1. dub: 1. n. 1.* Donatus. Ratio est; quia sicut filius in vita consequitur domicilium patris & avi non aliorum ascendentium; ita ratione sepulturæ, sepeliendus quis est in sepulchro eorundem, & non aliorum ascendentium; nam alias oporteret quærere agrũ Damascenum, in quo Adamus omnium nostrum protoparens sepultus est.

Collige 2. Mortuum absque electione sepulturæ seclusa consuetudine, vel privilegio in contrarium, sepeliendum esse in sepulchro patris, vel avi paterni; aut si avus aut parens ĩn diversis sepulchris tumulati sint in sepulchris majorum patris, non autem matris. Ita Samuel. lius cum Murga.

Collige 3. Filium decedentem absque electione sepulturæ, si majores patris ejus sepulturam non habeant, vel in ea sepeliri nequeant, sepeliendum esse in Ecclesia parochiali. Ratio est eadem, quia majores materni non dicuntur majores

Collige 4. Eum, qui non electâ sepulturâ moritur, si pater & avus sint sepulti, in diversis

sepulchris, abavus vero, tritavus & alij ascendentes in uno, sepeliendum esse in parochia & non in sepulchro majorum. Ratio est, quia in hac materia nomine majorum involuitur pater & avus, vel soli, vel cum reliquis ascendentibus.

Collige 5. Filios illegitimos naturales decedentes sine electione sepulturæ, sepeliendos esse in eodem sepulchro, in quo sepeliendi sunt filij legitimi, qui nullâ electâ sepulturâ moriuntur, nisi pater esset in dignitate constitutus. Ita Moronus, n. 9. post alios id eruentes *ex l. ex facto §. si quis Rogatus FF. ad Trebelliani & l. generaliter c. de instit: & substit:*

Collige 6. Filium illegitimum spurium, nisi esset legitimatus patre vivente, eoque postulante, non esse sepeliendum in sepulchro patris, sed matris, nisi hæc esset in dignitate constituta. Ita Moronus. Ratio est, quia non venit nomine filij.

Collige 7. Filios adoptivos, vel arrogatos, morientes nullo electo sepulchro, vivente patre adoptante, sepeliendos esse in ejus sepulchro, morientes verò mortuo patre, sepelliendos esse in sepulchro patris naturalis. Ita Moronus citatus & constat *ex cap: Unico de cognatione legali.*

Collige 8. Nepotem decedentem absque electione sepulturæ vivente patre, sepeliendum esse in sepulchro, in quo cum solo proavo tumulatus est auus, vel in parochiali, si auus in aliquo sepulchro solus sepultus sit. Ita Murga *dub: 5. n. 2. & 3.*

Collige 9. Mortuum absque electione sepulturæ, non posse tumulari, in sepulchro fratris, vel sororis; Ratio est quia fratres non veniunt nomine majorum.

Collige 10. Auum, parentem, decedentes sine

electi-

electione sepulturæ, nec habentes sepulturam majorum non posse sepeliri in sepulchro filiorum, vel nepotum. Ratio omnium hæc est, quia decedens sine electione sepulturæ sepeliendus est, in sepulchro majorum, & in hujus defectu in Ecclesia parochiali ut supra dictum.

℞. 2. *ad dubium.* Velut probabiliùs; sepulchrum majorum non dici illud, in quo solus pater sepultus est, sed in quo avus cum alijs ascendentibus, sive parens casu fuerit sepultus in illo sepulchro, sive ex electione, non solùm pro persona, sed etiam familia, nisi alia sit consvetudo legitimè præscripta. Ita Moronus *n.* 55. Angelus V. *sepultura n.* 16. *quos* citat & sequitur Murga, *dub:* 2. *n.* 7. contra Sperellum *decis:* 88. *decis.* 7. & 9. contra Barbosam *de jure Ecclesiastico p.* 2. *lib:* 2. *cap:* 1. *n.* 32. Ratio est; tum qua ut constat ex cap. *Fraternitatem III. de sepulturis* & cap. *eum quis eodem titulo*, is qui non elegit sepulturam sepeliri debet in sepulchro, in quo ab antiquo ejus majores soliti sunt sepeliri, quod non verificatur in patre, quia hic ab antiquo non est tumulatus in hoc sepulchro, sed recenter & à proximo. Tum quia ut verbum *solitus*, verificetur, exiguntur plures actus, & non tantùm unus. Dixi *nisi alia sit consvetudo præscripta.* Quia consvetudini multum tribuit in hac materia Pontifex; & constat ex cap: *licet pater* 4. *de sepulturis.* Ita Panormitanus Moronus *n.* 55. Murga, *n.* 9. scitè advertentes, seclusa consvetudine esse standum juri, nec æstimandas rationes, quòd filius in vita nanciscatur domicilium patris; nam cùm obstet textus juris, post mortem huic standum est. Hinc.

Collige 1. Casu quo quilibet ex majoribus se-

paratim sit sepultus; puta avus in uno tumulo, parens in altero, eum qui decessit absque electione sepulturæ, sepeliendum esse in Ecclesia parochiali. Ita Zechius, quem citat & sequitur Murga n. 8. Ratio est, quia in hoc casu nulla adest sepultura majorum.

Collige 2. Eum filium, qui absque electione sepulturæ moritur non esse sepeliēdum in sepulchro, quod parens elegit, sive pro sua familia, sive pro se. Ratio est eadem, quia non habet sepulchrum majorum, nisi sepulchrum majorum, aut patris & avi sit in Ecclesia parochiali, & defunctus titulo hereditatis vel alterius contractus jus habeat ad illud sepulchrum. Ita Moronus n. 70.

§. II.

Quoad electionem sepultutæ & ejus valorem.

DUBIUM 1. *Quinam possint eligere sepulturam?* R. quilibet fidelis usu rationis præditus, postquam ad annos pubertatis pervenerit, potest in quocunque loco sepulturæ capaci, sepulturam sibi eligere. Ita communissimè DD. Ita Chassingi *de privileg: Regul: tract. 2. cap. 7. propositione 4.* Moronus n. 51. constat ex cap: cum liberum de sepult: in 6, & cap: licet. Hinc.

Collige 1. Filiumfamilias, qui ad pubertatis annos pervenit, esto sit minorennis sepulturam eligere posse.

Collige 2. A nemine sub quovis prætextu posse impediri, ne aliquis tumuletur, in illo sepulchro quod elegit. Communiter Doctores.

Collige 3. Uxorem etiam adhuc vivente marito

rito posse eligere sepulturam. Ita communiter Doctores Moronus *n.* 44. & constat manifestè ex cap. *de uxore 7. de sepulturis* cap. *si quis habet 3. ibid.* Imò quemlibet fidelem impuberem, in quo malitia supplet ætatem posse sepulturam eligere. Ita DD. communiter. Ratio est, quia talis potest contrahere matrimonium, adeoque & sepulturam eligere.

Collige 4. Electio sepulturæ jam facta, potest validè revocari usque ad finem vitæ toties, quoties quis voluerit. Ita communitèr & constat ex cap. *cum quis 2. de sepult. in 6.* Ratio est, quia electio sepulturæ, est pars ultimæ voluntatis, adeòque, sicut hæc semper mutari potest, ita etiam mutari poterit electio sepulturæ.

DUBIUM 2. *Qui nam nequeunt eligere sepulturam?* R. Neminem privatum à jure, vel ab homine Ecclesiasticâ sepulturâ validè illam eligere posse. Ita communiter. Ratio est, quia frustra illam eligeret: Item ultimo supplicio afficiendus nequit eligere sepulturam, per sententiam judicis, ad quam nulla appellatio est interposita, sit privatus jure testandi. Ita Moronus *n.* 58. Angel. V. *sepultura n.* 2. Ratio est, quia electio sepulturæ, est quasi ultima voluntas, atque si possit testari, etiam poterit eligere sepulturam. Idem dicendum de leprosis, morbo Epidemiæ laborantibus. Hi enim non possunt in loco communi sepulturam eligere. Ita Samuellius. Ratio est, quia non possunt communicare cum alijs in vita, ergò nec in morte. Item religiosi sub obedientia viventes, nequeunt validè eligere sepulturam, nisi adeò distent à suo monasterio, ut ad illud commodè deferri non possint. Ita communissimè DD. Emmanuel, Rodriquez *tom. 3. quæst.*

Regul.

Regul: quæst: 60. artic: 3. Hieronymus *resol: tract n. 16.* Rosella §. *sepultura n. 2.* constat ex cap. *Religiosi de sepulturis.* Ratio est, quia religiosi non habent velle, & nolle, quamdiu vivunt sub obedientia. Hinc

Collige 1. Fratres laicos, seu conversos, veluti in societate vocantur coadjutores, si tria vota emittant, non posse sepulturam eligere. Ratio est, quia sunt veri religiosi: ob eandem rationem dicendum de monialibus: ob eandem rationem dicendum de apostatis, si non sint nominatim excommunicati, quamdiu à religione expulsi non sunt. Ita Donatus citans Rodriquez contra Sanchez.

Collige 2. Velut certum Generales, Provinciales, Abbates non posse eligere sepulturam in Ecclesijs, quæ non sunt sui ordinis. Ita Donatus *tract: x. quæst: 1.* contra Murgam *§. 11.* & alios. Ratio est, quia subijciuntur constitutionibus generalibus. Imò & regularem etiam de licentia sui Generalis, Provincialis, Guardiani, non posse validè sepulturam eligere in Ecclesijs ordini non subiectis.

Collige 3. Religiosos assumptos, ad Cardinalatum, Archiepiscopatum, aut quamcunque aliam dignitatem extra ordinem validè posse eligere sepulturam in Ecclesijs ordini non subiectis. Ita Rodriquez senior supra Iunior *n.* 16. Donatus *quæst: 3.* Ratio est, quia habent velle, & nolle.

Collige 4. Religiosum legitimè ex ordine expulsum velut incorrigibilem, posse eligere sepulturam. Ita Pellizzarius, quem citat & sequitur Murga *§. V.* Ratio est, quia habet velle, & nolle, & æquiparatur secularibus. Ob eandem rationem dicendum de religioso qui ex dispositione

matri-

matrimonium contraxit. Ita Pellizzarius, quem citat & sequitur Murga *n. 6.* Idem dicendum de Tertiarijs vtriusque sexus, qui tria vota non emiserunt, esto in monasterijs habitent. Idem dicendum de novitijs tam masculis quàm feminis seu puellis. Ita communissimè Doctores.

Collige 5. Religiosum hospitem, morientem extra conventum sui ordinis in vrbe, in qua sunt plures conventus, eidem Generali subiecti, posse eligere sepulturam in quocunque. Ita Brognoli *n.* 33.

Religiosum Reformatum, non incorporatum Provinciæ Romanæ, si Romæ extra conventum decedat, posse eligere sepulturam, tam in monasterijs Observantium, quàm Reformatorum. Ratio est, quia omnia sunt monasteria sui ordinis, dixi *non incorporatum*, quia si sit incorporatus, jam est sepeliendus in conventu Reformatorum, nam hic aliquomodo est proprius ipsius. Ita Frater Bruno Neusser Ord: Minor: Recollect: *disp: 101. quæst: 21.*

DUBIUM 3. *An & quatenus pater & mater possint suis filijs eligere sepulturam?* R. ex Pignatellio *tom: 7. consult: 21. & tom: 1. consul: 17. num: 19. & 29. ac tomo 4. consult. 208. num: 8. 9. & 9. & cum ejus Compendiatore fidissimo Thoma Pascuccio affirmativè.* Quoad patrem indubitati juris est, filium impuberem incapacem sibi eligendi sepulturam, sepelire debere, vel ubi pater vivens elegerit, si super electione habeat consvetudinem loci, vel in Ecclesia regulari vel in Ecclesia parochiali, ut sæpè dictũ est, in præcitatis consultationibus. Quod autem ad matrem, idem prorsus dicendum est, licèt mater non habeat filios impuberes in potesta-

te, ac

te, ac proindè non possit eis regulariter sepulturam eligere, nisi sit spurius sicuti potest. & ubi de legitimis dicuntur aliqui spectare ad patrem; attamen cùm non possint sibi eligere sepulturam, de his non prohibet jus, quod alij ipsis illam eligant, sed convalidat consvetudinem, quâ pater assumit sibi jus, quod conveniret filijs, si essent capaces & ipsis eligit sepulturam atque adeò hujusmodi consvetudo non est contra jus; undè fit, quod sicut pater ratione consvetudinis potest eligere filio impuberi sepulturam, ita potest etiam mater, quia militat etiam in ipsa jus consvetudinis, tanquam in illa, cui incumbit cura filiorum impuberum. Verùm tradita doctrina ita intelligenda est, ut necesse sit, quod pater vel mater eligat vivente jam filio. Lavor- *Var: lucub: cap: 11. tit: 2. num: 118.* & Sperell: *d. deciss: 89. num: 5.* Ratio est, quia electio sepulturæ est ultimæ voluntatis, atque adeò quando quis eligit sepulturam, refertur electio ad tempus in quo is, pro quo eligit, potest habere ultimam voluntatem, & facere potest talem electionem si aliud non obstaret, unde refertur ad tempus vitæ, non autem ad tempus post mortem. Quod præsertim verùm est, si illa electio fiat nomine alterius ad supplendam potentiam illius; undè debet supponi filius, cujus nomine fiat. Secuta autem morte non adest ampliùs filius cujus nomine fiat. Pro textu autem adducit sacræ Congregationis Episcop: his verbis conceptas pro matre: prænominatus compendiator doctissimi Pignatellij in edit. Rom: p. 2. anni 1699.

Pater potest ante mortem filio impuberi sepulturam eligere ubicunque voluerit etiam in Eccle-

sijs regularium, post mortem verò secùs. Ita in Fulginaten 27. Octobr: 1687.

Item *In una servorum 6. Decemb: 1641. In* una *Conventualium montis Pelusij 6. Iunij 1659.* Nisi contrarium habeatur de consvetudine. Rota. *apud Ludovisium dec: 276.* vel nisi ibi adsit sepulchrum majorum *d. cap: licet de sepul:* Diana *parte 5. tract: 3: resolut: 107.*

Pro matre autem ita. Etiam mater, cùm pater non adest, potest filio impuberi sepulturam eligere, vivente tamen filio. ut in Avellinen: *15. Septemb: 1603.* Et ita intelligenda est resolutio sacr: Congr: Episcop: quæ a regularibus adduci solet: Ea est: *sacr: Congr: censuit, licere parentibus, in quacunque Ecclesia voluerint, etiam regularium, eorum filijs minoribus, qui ad annos pubertatis nondum devenerint, eligere sepulturam, nec à parochis locorum impediri posse, aut debere, præsertim verò si in dictis Ecclesijs regularium sepeliri consveverint vel in eis habeant sepulchrum majorum.* Ita firmavit; *die 5 Iulij 1675.* Quæ quidem consvetudo probanda est à regularibus, quod sit spatio 40. annorum præscripta prout in specie tradit Sperell: *d. decis 89. n. 17. cum duabus sequ: ac juncto n. 26* sed Glossa *in cap: Cum in tua de consvetud: in 6. lib: 1. tit: 5. v. consvetudo ubi consvetudo rationabilis est, & non contra jus, sufficit, quod sit longæva, licet quadraginta annis præscripta non sit,* & juxta aliquos sufficit spatium decem annorum. Imò hodie velut certum etiam seclusa consvetudine patriæ, patrem validè posse eligere sepulturam pro filio impubere. Ita sacra Congregatio in favorem Ordinis Minorum observant; *Anno 1640. 20: Ianuarij* & anno *1640.*

die

die 21. Febr: quam per extensum refert Peijrinus *in fine tom: 2.* Privilegiorum ex Murga *tract: 7. sect: 2. disquis: 9. §. 2. Hinc.* Tùm quia facultas eligendi sepulturam est spiritualis, independens à patria potestate. Tum quia si parentes non consveverint sepelire suos, aut non habeant sepulchrum majorum, adhuc liberè sepulturam eligunt suis filijs, nam illa dictio *Præsertim si in dictis Ecclesijs* sacræ Congr: *die 20. Ian: 1640.* &c. non est restrictiva sed ampliativa, nam significat idem esse juris in casu contrario, *Natta Consil. 590. num: 4. tom: 3. Cenedo singul. 83. num: 2. ex illis Barbosa hac dictione.* Puer autem dicitur pervenisse ad annos pubertatis, qui excessit decimum quartum suæ ætatis, quod idem dicendum videtur de puella favore parentum, igitur parentes filijs excedentibus decimum quartum annum non possunt eligere sepulturam. Jta discurrit Bordonus *p. 2. de sepulturis & Var. resol: resol: 51. num. 219.* Ex his

Collige 1. Pater non potest filio impuberi adoptato aut arrogato sepulturam eligere. Ratio est eadem quia adoptio & arrogatio est principium temporale, & civile à quo est independens facultas eligendi sepulturam. Hinc.

Collige 2. Filium adoptatum & arrogatum sepeliendum esse vel in sepulchro majorum, si illud habeat, vel in parochia; vel in sepulchro quod pro eo elegit pater naturalis. Jta Murga contra Moronum.

Collige 3. Probabiliter patrem validè eligere posse sepulturam impuberi, non solùm naturali hoc est nato ex soluto & soluta habilibus ad matrimonium, sed etiam spurio, hoc est nato ex

to ex

to ex utroque inhabili ad matrimonium contrahendum, vel saltem uno. Ita Murga citans Samuellium contra Moronum id concedentem de naturali, sed negantem de spurio. Ratio est quia estò filij spurij non veniant nomine filiorum, quoad commoda, & honores, veniunt tamen quoad paternam curam.

Collige 4. Ut electio sepulturæ à patre facta pro impubere valeat ad hoc ut filius devivens post pubertatis annos possit in sepulchro à patre electo sepeliri debet illam electionem post pubertatis annos ratam habere. Ita cum pluribus Murga *§. num. 15.* Ratio est, quia parens nequit validè eligere sepulturam, nisi pro illo filio, qui tempore mortis regulariter non habet usum rationis, ergò cum pubes usum rationis acquirat, illa electio respectu illius jam cessat.

Collige 5. Stante consvetudine probabile est, quod mater præmortuo patre, filio impuberi sepulturam eligat (ut jam supra dictum est) tandem eligere posse cuivis filio tam legitimo quàm illegitimo. Ita quoad filios impuberes legitimos. Moronus meritò advertens onus probandi consvetudinem incumbere matri, cùm sit contra jus, & alij: plurimi quos citat & sequitur Murga *§. 6.* Et quoad filios illegitimos naturales Samuellius, quoad spurios Ventriglia, quos citat & sequitur idem Murga. Ratio est, quia sic absolutè & indeterminatè declaravit S. Congregatio *anno 1640. 20. Ianuarij* ut refert Lezana *tomo 3. in in mare magnum Prædicatorum §. 28 num: 86.* Deindè quia consvetudo potest, quidquid potest lex.

Pro coronide notandum istius materiæ, decre-

tum

tum recentissimum sacræ Nunciaturæ latum Varsaviæ die VI. Maij anno 1701. pro parte Carmelitarum Discalceatorum ratione quartæ funeralis & sepulturæ filiæ cujusdam minorrenis Cracoviæ.

DUBIUM 4. *An sit valida electio sepulturæ quam quis sive sanus, sive infirmus, coram parocho elegerit?* ℟. *affirmativè* cum Pignatellio *tomo 1. consult: 17.* etiamsi electio fieret coram simplici confessario Molfes *in sum tom: 2. num: 13. cap: 8. num: 32.* Diana *part' 6. tract: 3. resolut: 106.* quos adducit & sequitur Pasqualigus *in decis: moral: decis: 406. num: 1,* idque esse in praxi apud Curiam Neopolitanam ex decreto Concil: Provinc: tit: de sepultura testatur Lavor *tom: 1. variar: lucubr: titul: 2. cap: 11. num: 20.* Ratio est: quia parochus sive confessarius constituitur, veluti exequutor eorum quæ ad animam concernunt, unde se habet ut purus testis, ac propterea standum est ipsius dicto, quod alioquin utpote singulare non faceret plenam fidem ut rectè advertit Pasqualigus. Ita & S. Congr: Concil: Trident. 13. Febr: 1666. censuit validam electionem dummodò parochus non testetur ad proprium commodum.

DUBIUM 5. *An ad validitatem electionis sepulturæ requiratur testamentum in ultima infirmitate, vel sufficiat, quòd eligatur antea per alium actum publicum qui testamentum non sit?* ℟. *negativè.* Non requiri testamentum ultimæ voluntatis, sed sufficere quòd sepultura eligatur longè ante mortem: Quia licet electio sepulturæ sit actus ultimæ voluntatis *Glos: in cap: 1. de sepultura in 6.* quando tamen facta est ante

mortem

mortem, habet robur in morte, ut pars ultimæ voluntatis. Nam moriens censetur illam approbare per suam voluntatem. Jta & sacra Congregat: *loc: supra cit:* censuit non requiri necessariò testamentum.

DUBIUM 6. *An sit nulla electio sepulturæ quando ipsa eligitur per testamentum factum in vita, & non in morte?* R. non esse nullam ex ratione proximè allata, nimirum quòd censetur approbata per ultimam voluntatem, donec illam non revocârit. Ita & sacra Congreg: loc: cit: censuit non esse nullam.

DUBIUM 7. *An qui habet capelam sua familia cum propria sepultura, aut capellam emerit cum sepultura propria, moriens absque sepultura electione, sepeliendus sit in Cathedrali.* ℞. *negativè.* Ita Pignatell: *l. cit: Ex d. cap: 1. de sepultura & ex cap Is qui eod: tit: in 6.* & alij. Sufficit autem quod sepulchrum sit destinatum pro familia. Ita & sacr: Congr: Concil: Trident. loc. cit: ubi censuit non esse sepeliendum in Cathedrali

DUBIUM 8. *An validè eligatur sepulturæ coram duobus testibus?* ℞. *affirmativè,* Ita Pignatell *l. cit:* Sebast: Medic: quæst: 8. de sepult: Lauret: de Franchis *in controver: inter Episcop: & regul: 964.* ac alij; nam igitur de præjudicio Ecclesiæ, in qua defunctus erat sepeliendus & comparatur dispositioni quoad pias causas, quæ saltem per duos testes debet probari. *cap cum esses* &c Relatum *1.* de testamen: ubi Abbas & alij. Ita & sacra Congreg: Concil Trid: loc: cit: censet esse validam,

DUBIUM 9. An electio sepulturæ per nutus & signa in casu, quo quis loqui non possit, sit

 valida

valida? R. *affirmativè*, si nutus & signa hujusmodi sint sufficentia ad manifestandam voluntatem eligentis, ac de ipsa voluntate sic manifestè constet, electionem ejusmodi esse validam. Sunt enim nutus & signa quædam expressio propriæ mentis, quoad ea quæ fieri volumus, & substituuntur loco vocis; Undè habent etiam eandem vim, quam haberet locutio; nam subrogatum est ejusdem naturæ cum eo, in cujus locum subrogatum est *l. Imperator §. fin: §. de lege.* Quamvis igitur spectet ad pias caussas, tàm in testamento, quàm in legato, sufficit quocunque signo externo voluntatem eligentis declaratam esse: Quia jure naturali & gentium plus non requiritur; hoc autem sufficere in ejusmodi dispositionibus dictum est. Ita & sacra Congreg. *loc: cit*: censuit esse validam, dummodò sufficienter constet de voluntate eligentis.

DUBIUM 10. *An confratres sodalitatum non electâ sepulturâ, possint sepeliri in sepulchro suæ Ecclesiæ?* R. Extare decretum sacr: Congreg: Episcoporum & Regul. in una Ancomtana 19. Decembris 1608. hujus tenoris: *Conceditur ex gratia confraternitati ut sepelire possit in sua Ecclesia omnes confratres ante infirmitatem, de qua decesserunt, in ea confraternitate descriptos, de consensu heredum, & sine præjudicio quartæ funeralis, aliorumque emolumentorum quæ spectarent ad Capitulum, vel parochum.* Sed decretum istud est locale, unde dicendum est, de jure absque privilegio Apostolico non posse Ita enim decrevit eadem sacra Congreg: Episcop: & regular: *in una Borgomensi 12. Aug:* 1582. Observetur de sepeliendis sodalibus in Societatis Ora-

tis oratorio, privilegium illis concessum, ac illud quod statuit Concil: Provinc: Mediolanen: ad obviandum fraudibus, ut sepeliendus videlicet vere fuerit sodalis illius Societatis, sex mensibus ante mortem, & saltem in articulo mortis quando elegerit sepulturam. Ut autem confrater, sive sodalis sepeliri possit in Ecclesia, vel oratorio sodalitatis, exigitur, ut sibi in ea eligat sepulturam. Ita & sacr: Congr: *l. cit:* respondit negativè.

DUBIUM 11. *An sepulturæ electiones, quæ jure præsumuntur, sint uxoris respectu mariti, filij respectu patris, eorumque majorum ac servorum respectu dominorum sint validæ?* R. *affirmativè* Cum Pignatelli; & ejus compendiatore *de sepult: elect pag: 390. colum: 1. ad 8.* De sepultura enim uxoris respectu mariti, habetur ex Petr: de Vbad: Cravetta & alijs, quos sequitur Barbosa *de paroch: cap: 26. num: 29.* ubi *num:* 28. refert decretum sacræ Congreg: Rituum *in Senogalliensi 15. Januar: 1633.* De sepultura autem filij respectu patris sive majorum dictum est supra. Jdemque dicendum videtur, de servo respectu domini, qui comparatur servo, sicut pater filio. Jta sacra Congreg: Concil: Trident: *l. cit:* censuit, quatenus electa non fuerit sepultura, uxorem in sepulchro ultimi viri sepeliendam, filios verò in sepulchro majorum, servos autem in parochia.

DUBIUM 12. *An qui post mortem mandat suum corpus indui habitu Tertiariorum, sit sepeliendus in Ecclesia regularium?* R. posse & debere, sed necesse est ut in ea sepulturam eligat, ut *sub die 23. novembr: 1581.* sacra Congreg: Episcop: & regul: rescripsit Episcopo Novariensi:

ensi: Ita Pignatel: *tom: 1 consuet 17. n. 20* ad quod etiam facit alterum ejusd: Congr: decretum editum *sub die 9. Decemb: 1615.* ubi resolvit decedentes cum habitu religionis, eis à superiore, vel alio, ex ejusdem commissione concesso, sepeliendos esse in ipsorum regularium Ecclesia, dummodò præmoniti fuerint, quòd propter habitûs concessionem ac receptionem eorum cadavera apud eosdem sunt tumelanda. Ita Pegrinus de privileg: *tom: 3. cap: 4. n. 53.* addit *ad Constitut: Leonis X. ad secundum.* Et non esse de necessitate in eorundem Ecclesijs sepeliendos, bene notatur ex ijs, quæ habet Leo X. *Constitut: dum intra Bull: Cherub: tom. 1. pag: 586.* Volentes quoque sepeliri in habitu eorundem in claustro non degentes, sed in proprijs domibus habitantes, in eorum voluntate sepulturam sibi eligere liberè possint, & licet sibi alibi sepulturam eligant, debent nihilominus regulares esse faciles in concedenda laicis licentia, ut cum habitu religionis sepeliri valeant. Ita Donatus in praxi regul: *tom: 3, tract. 10. qu: 20.* Ita sacra Cong: Conc. Trid: *l. cit:* censuit negativè. Ita & decretum sacræ Congregationis adductum supra à Peyrino *tom: 3. privil: cap: 4. num: 53.* his verbis: *Tertiarios hujusmodi, si qualitatibus in bulla felicis recordationis Leonis Papæ X. præscriptis sint præditi, videlicet: si viri collegialiter, aut claustraliter vivant: mulieres verò virginalem, aut calibem aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorũ habitu vitam ducant posse & debere etiam invito ac minimè requisito parocho in supradictis fratrum Ecclesijs sepeliri: secus verò, si supradictis qualitatibus careant*

Ideò

Jdeo ut aliquis dictorum Tertiariorum sepeliri possit, ac debeat in Ecclesijs sui ordinis, sufficit, ut à Gvardiano domûs loci, in quo ille moriatur, aut ab alio superiore, vel ab altero cui id superior duxerit committendum, habitum receperint, ac dictus Gvardianus, vel alius superior habitum hujusmodi recipientem præmonuerit, ejus cadaver ob habitûs concessionem ac receptionem penes ipsos fratres, quorum habitum gestat, esse sepeliendum sic namque statuit sacra eadem Congregatio in decreto allegato Leonis X. Jta & Sixtus IV. apud Confectium declaruit in mari magno pag: 65. Jdem in Bulla aurea apud eundem pag 7. subjunxit expressius etiam pro tribus Ordinibus S. Francisci his verbis: *Qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu.* Et infra. *Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum in contrarium edita, non obstante, quas quo ad hoc modificamus.* Idem Sixtus in alia Bulla. *Apostolica mensvetudinis*, apud confect. pag: 81. pro Minoribus addendo, sub pœna excommunicationis, quam, Canonica monitione præmissa contra facientes vult incurrere, sibi reservatam. Addit Bordonus *Resolut:* 51. *pag:* 7. *quæst.* 20. *p* 2. *de sepulturis.* Qui volunt sepeliri cum habitu regulari deferendi sunt ad Ecclesias regulares cum habitu patente, licet alibi elegerint sepulturam, ad quam deferri non possunt cum habitu prædicto, sine expressa licentia & assensu Fratrum quorum habitum assumpserunt. Sed

Quæres 1. Si non declarent, cadaver eorum qui habitum recipiunt, sepeliendum esse in Ec-

clesia regulari, cujus habitum suscepit, an gaudeant hoc privilegio? ℞. *affirmativè* Ita Bordonus *l. cit: pag: 8. num: 51.* Sola enim habitûs concessio sufficit pro usu hujus privilegij, sive expressione, quòd ejus cadaver sepeliendum sit in Ecclesia, cujus habitum suscepit, quia hujus expressio & declaratio includitur virtualiter in concessione habitûs, sicut à simili facultas facta clerico peregrinandi comprehendit facultatem confitendi alteri à proprio sacerdote. Neque illa declaratio est de substantia actûs, sed tantùm directiva ejus, quod fieri debet, ad evitandas dissensiones.

Quares 2. An ægrotus propria devotione, seu ejus heredes habitum induentes religiosum gaudeant hoc privilegio? ℞. negativè, cum Bordono *l. cit: num: 33.* Ratio est, nam assumptio habitûs debet approbari à regularibus quæ approbatio censetur facta defacto per delationem cadaveris ad Ecclesiam regularium, cujus habitu amictum fuit corpus.

Quares 3. An curari occultè possint sepelire cadavera cum habitu religioso? ℞. *negativè* maximè inscijs regularibus, quia eo habitu obstante parochus nullum jus habet, quoad illationem sepulturæ. Tùm quia occultè facta inducunt suspicionem. *Cap: ut nostrum 1. ut Eccles: benefic:* & quia ad negotium omnes illi, quorum interest, vocandi sunt *argum: cap: quia propter de elect.*

Quares 4. An parochus tegendo cadaver religioso habitu amictum, aliquo panno, vel lugubri veste, possit inferre mortuum alio, non obstante privilegio? ℞. cum Bordono *negativè loc: cit: num: 51.* Ratio est, quia jus quod habent regu-

regulares, parochi nullo modo possunt sibi usurpare prætextu tegumenti, cùm cadaver debeat deferri cum habitu discoopertum, nullo pallio, vel tegumento super imposito ut expressis verbis dicit supra citatus Sixtus in Bulla aurea præterquam quod non diceretur cadaver sepeliri cum habitu religioso, sed sine illo quia non apparere, & non esse paria sunt *l. in lege ff. de contr: empt:*

Quares 5. An parentes, consanguinei habitum hunc possint petere pro suis jam mortuis, qui illum non petierunt? ℞. *affirmativè* Ratio est, quia faciunt rem gratam animæ defuncti, quod idem est acsi ipse ægrotus petijsset ad effectum hujus privilegij, cùm heres reputetur una & eadem persona cum defuncto *1. Auth: de jure jur: l. fin: C. de impuber:* & heres est ejusdem potestatis & juris, cujus erat defunctus Confirmatur, quia ex clausula petendi à superiore habitum, apposita fuit favore religionis, ne quis extraneus, sibi hoc jus arrogaret, non autē contra ipsū ægrotum aut heredes, qui habent jus petendi, & superior concedendi, ergo non est in eorum dispendium retorquendum *Reg: 61. in 6*

Quares 6. An amittant hoc privilegium, si permittant vel concedant corpus habitu religioso circumdatum alibi sepeliri? ℞. *negativè* nam ex mari magno fratres hanc licentiam curatis indulgere possunt absque præjudicio, & periculo perdendi privilegium, cum per hanc concessionem sibi à Papa permissam, non dicantur abuti suis privilegijs consequenter neque perdere. *capit: ubi ista 7. d. 74 capit: Privilegium 60. 11. quæst: 3.* Ita Bordonus *l. cit: n. 56.* Imò non obstante Bulla aurea Sixti IV. &

alijs quos refert Peijrines ad constit: 3. Sixti IV. eligentes sepeliri in habitu mendicantium, possint eligere etiam sine consensu illorum sepulturam in alia Ecclesia. Ita concessit: Leo X. *in Bulla 26. apud Peijr: supr:* Ita refert vir doctissimus Antonius à Spiritu Sancto Episcop: Angolensis Ord: Carmel Discal: *ex privil: in paratic. tract: 2. disp: III. sect: 2. num: 125.* Ex his pro coronide hujus materiæ.

Collige idem Leo X. in terminis pro Tertiarijs addit. Fratres autem & sorores Tertij Ordinis, nec non Mantellati, Corrigiati, Pizochara, Cordellati, & alij quocunque nomine nuncupati, in proprijs domibus habitantes, sepulturam ubi voluerint eligere valeant, unde si eam in Ecclesia regularium eligant apud ipsos sepeliendi erunt. Et in casu, quo inelectâ supulturâ decederent, licet in illis commune pro eis sepulchrum existeret, in parochiali vel in ea majorum, sepeliri debent. Quod certè infertur ex decreto sac: Congreg: Concilij relato à Lantusca *V. Tertiaria num: 3.* hujus tenoris: *Præterea si contingat aliquas ex prædictis Tertiarijs* (hoc est quæ virginalem, seu cælibem castamque vidualem vitã traduxerint, expresso voto, & sub religionis habitu eisdem, in ætate saltem quadraginta annorũ constitutis, & priùs ab ordinario loci licentiâ impetratâ à superiore regulari concesso (ibid: n: 4.) sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes; ita demum in Ecclesijs ordinis cujus habitum assumpserunt, si in ipsis communis sepultura reperiatur, sin minus, in Ecclesijs parochialibus, sepeliendas esse decernit, ubi liquet decretum restringi ad solas Tertiarias, quibus præfatæ conditiones assistunt, & non extendi ad

alios

alios Tertiarios mares, feminasve in proprijs domibus habitantes. Sine præjudicio tamen jurium parochialium, & requisito prius parocho, est exequendum, quo venire nolente, etiam ipso invito ad regularium Ecclesias transportari possunt, ita doctissimus Sperell. *decis. 87 n. 16.*

Tertiarij autem qui collegialiter vivunt; aut cum claustralibus habitant, tumulari debent in Ecclesijs Fratrum, quorum habitum gestant, etiam invito, ac minimè requisito parocho. Ita Antonell: ex Lavorio, & si sit consvetudo, ut parochus vocetur, servanda.

DUBIUM 13. *Quinam pro alijs eligere possint? R. cum Antonio à Spiritu S. Episcopo Angolensi, ad Carmel: Discalceato.* Possunt parentes eligere sepulturam pro filijs usque ad annos pubertatis in Ecclesijs regularium. Immo mortuo patre potest mater, si non extet majorum sepultura, illam eligere pro impuberibus filijs: Ita Molina Layman, Lavorius & alij quos refert & sequitur Pasqualig: tom: 2. decis: 3. num: 3. Barbosa quem refert & ut probabilem tenet Ventigrilia *loquendo de legitimis filijs annotati* §2 *num 16.* Nam de spurijs impuberibus qui sunt sub matris potestate absolutè tenet sententiam R P. Antonij à Spiritu S. *Tract: 2 de privilegijs in particulari sect: V. num: 124.* & ita declaravit sacra Congregatio apud Lezanā tom: 5. in mari magno Prædicatorum §. 28. *num:* 85. sub Innocentio X. cui declarationi non obstat alia emanata à numero 1645. quam refert Lezana *tom: 5. in mari magno minorum §. 30. num: 70* in qua dicitur non licere matribus sepulturam pro impulveribus filijs eligere cessante legitima consvetudine; Nam hoc solùm

fuit

fuit declaratum pro regno Majorensi; nec talis declaratio authentica est, ut testatur idem Lezana, unde non est recedendum à prima declaratione. Jmò hodie etiam seclusâ consvetudine patriæ, patrem validè posse eligere sepulturam pro filio impubere ita sacra Congregatio in favorem Ordinis nostri, Anno Dni. 1640. 20. *Ianurrij* declaravit licere parentibus, in quacunque Ecclesia voluerint etiam regularium, eorum filijs minoribus, qui ad annos pubertatis nondum pervenerunt eligere sepulturam, nec à parochis locorum impediri posse, aut debere si in dictis regularium Ecclesijs sepeliri consveverint, vel in eis sepulturam habeant majorum. Jta Pellizzarius *Tract: 8. cap: 5. n. 144. in fine.* Et *anno 1641. die 23. Februarij*, quam per extensum refert Peijrinus in fine tom: 2. privilegiorum.

DUBIUM 14. Petrus degens in parochia S. Clementis suum condit testamentum ultimum sub hac forma, *ubi me inveniet mors, ibi volo sepeliri.* Infirmatur, defertur ad hospitale positum intra fines parochiæ S. Victoris, in quo obijt. Quæritur *In qua parochia sit sepeliendus?* R. cum Pignatellio *tom: 4. Consult: 151.* & suo compendiatore. V. *sepultura pag: 392.* sepeliendum esse in parochia in qua habitabat, antequam deferretur ad hospitale. Nam parochia non amittitur, dum quis discedit animo revertendi *Abb: in cap. de his de sepult:* Gratiam *disp: 76. n. 18.* Rota *in Romana jurium Funeralium 4. Iul: 1653.* Et ideo si contingat mori in hospitali, ad quod transfertur, ut commodius curari possit, debet in propria parochia, quam adhuc retinet sepeliri; quia, cùm infirmus *in* hospitali

non

non deserat parochiam, sed præter suam voluntatem extra ipsam maneat, adhuc erit illius parochiæ, quod desumitur *ex cap: is qui de sepul: in 6.* Confirmatur ex conjecturis præcipuè verò ex largitione legati pro missis. In hoc enim casu adest verisimilis mens testatoris, quod de hac Ecclesia intellexerit. Tum quia constat, quod de ea cogitaverit, dum ipsi legatum reliquit. Tum quia ex legato relicto detegitur erga ipsam specialis affectio, quæ præbet efficacem coniecturam, quod in ipsa voluerit sepeliri. Tum quia ita habet consvetudo, ut legata missarum relinquantur Ecclesijs, in quibus sepeliuntur defuncti, & proindè dubia voluntas testatoris comprobanda est ex consvetudine *l. si servus §. ult: § de legat: 1. man: loc: cit.* casu autem quo parochia habitationis dubitaret de suo jure illique cederet, tunc sepeliri debet in hospitali, cui etiam debetur legatum pro missis, quia jus sepulturæ, & consequutivum ad jus administrandi sacramenta, quando non eligitur sepultura, aut aliàs non est, de jure determinata, aut dubitatur de electione, *Archid: in cap: 1. n. 3. de sepult: in 6.* Rota *decision: 366. n. 4. & in d. Romana jurium funeralium coram Zarata.*

DUBIUM 15. *An Episcopus poßit punire regulares quosdam, qui in proceßione funerali, per vim rapuerunt cadaver, quod in eorum Ecclesia elegerat sepulturam, parocho contendente, & volente sepeliri in sua parochiali?* Et videtur quod sic *ex cap: 14. seß: 25.* Ubi Regulares extra claustra delinquentes, si à superiore suo non puniantur, possunt ab Episcopo corrigi. Tum quia id nonnisi cum scandalo accidere potest; scandalum autem dare, est conditio conferens jurisdictionem

ctionem. Sousa. *Aphorismi inquisit: lib: 1. cap: 31. n. 8.* ergo saltem ratione scandali dati, habet jus eos corrigendi. His tamen non obstantibus? R. *negativè* Ita Bordonus *tom: 3. Variar: resolut. p. 2. resolut: 51. n. 402.* Non potest enim Episcopus punire, & quia non deliquerunt, & quia sunt exempti, primum svadetur, tùm ex illa generali regula. Qui utitur jure suo nulli facit injuriam; sed cadaver erat illorum proprium, ergo poterant illud eripere de manibus parochi, qui illius dominus non erat efferendi in propriam parochialem. Tum quia de facto procedenti, defacto resistendum est, id enim leges permittunt *lib 1. §: & hoc dictum §. si mulier Vent. Marcus de mantua sing: 446. apud Peyrin: tom: 3. cap: 2. n 6.* Tum quia possum propria authoritate aliquid mihi rapienti resistere, & in tuto ponere, ut docent omnes *in tit: de raptor: & furtu*; ergò & similitèr isti religiosi, poterant sibi vindicare cadaver, illud quia erat in eorum bonis. Secundum svadetur, quia eorum exemptio, ut non puniantur ab Episcopis, notaria est, etiam ex vi allegati cap. Tridentini, ibi enim non committitur facultas Episcopis corrigendi religiosos, nisi in casu, quo eorum superiores neglexerunt correctionem. Præterquam quod illud decretum non facit ad casum præsentem, in quo nullum apparet delictum ex probatis. Et sic tollitur secunda ratio, quia ibi nullum est scandalum, nisi Pharisaicum, undè monendi sunt seculares ipso actu, qualiter ille defunctus elegerat sepulturam apud regulares, & si cessat scandalum religiosorum, & præter intentianem pullulat scandalum curati volentis sibi usurpare alienum cadaver.

DUBI.

DUBIUM 16. *An regulares sepelire possint cadavera, etiamsi sine eorum facto & interventu, vel consensu ad eorum Ecclesiam asportentur?* R. cum Eminentissi: Cardinal: de Luca *discursu 1. de regul: n. 48. negativè,* etiamsi conjuncti vel benevoli defuncti, eam de nocte, seu aliàs illud cadauer ad eorum Ecclesias asportarent, quoniam neque id fieri potest, ex quo ipsum jus funerandi & sepeliendi dicitur parochiale, ex jure privativo parochi ex constit 74. *S xti V. &* in lib: *85. in relatione curia quid si secularis decedat in ipso monasterio cùm declaratione an possit sepelire in Ecclesia regularium, sine consensu parochi?* R. cum Cardinal. de Luca *discursu 1. de regul. n. 50.* cujus hæc sunt formalia, etiamsi casu præbe r, ut agatur de eo, qui intra monasterium ipsum, vel domum regularem, ejusque septa decedat, adhuc tamen, quoties non concurrant tria requisita Constitutionis Gregorij XIII. ex quibus ille dici valeat formalis serviens, vel minister comprehensus sub privilegijs exemptivis, puta quia hospitalitatis gratia, seu alias accidētalitèr ibi defunctus viveret, ac decederet, adhuc tamen privilegia non intrant, sed jus funerandi pertinet ad parochum, cujus ac ordinarij jurisdictio turbari ita dicitur, & consequentèr est unus ex casibus, in quibus exemptione non obstante, regulares efficiuntur subditi ordinarij ac de ejus foro. Ita ille & *discurs: 52.* unde ex eodem *l. cit: supra n 31* adverte. Ex pluribus SS Congreg Episcop: & Regul: quam alterius S. Congreg: Trident: Concilij ac Rotæ decisionibus, hodie firmum ac certum videtur, ut exemptio non intret, nisi copulativè concurrentibus, ac verificatis tribus requisitis à Constitutione Gregorij XIII præscri-

ptis

ptis; primò nempè, ut monasterij vel domus regularis servitio firmitèr addicti sint, Secundò, ut intra ejusdem domùs septa vivant; Tertiò, ut ibidem non more populi, sed eo modo, quo ipsimet regulares sub prælati vel superioris regularis obedientia vivant. Secus autem, ubi extra septa, intra quæ regularis clausura restricta est, cum uxoribus & familia more populi, quamvis in aliquo adiacenti ejusdem monasterij, vel domus regularis ambitu, seu revinctu vivant, qui tamen extra clausuram regularem existant.

Nisi agatur de illis regularibus, qui ex instituto pauperum infirmorum hospitalitatem exerceant, ut est Religio Beati Ioannis Dei vulgo nuncupata *buoni fratelli*, quoniam intra eorum Conventus, domûs ambitum, ex Apostolicis indultis, ipsimet religiosi dicuntur, infirmorum parochi, ideoque eis viventibus omnia sacramenta ministrare possunt, morientibus autem dare sepulturam, ac facere funus in Ecclesia eorum annexa, prout cum acri disputatione decisum fuit per Rotam, atque ita servatur. Quod si ille, qui in hospitali moriatur, in alia Ecclesia sepulturam eligat, undè propterea cadaver, cum funere asportandum sit, tunc non possunt regulares hospitalis in hoc se ingerere, extra septa propriæ domus regularis, sed tali casu subintrat parochus; non quidem ille loci materialis, in quo hospitale situm sit, sed parochus proprius defuncti, sub cujus parochia vivebat; nisi ex privilegio, vel ex consvetudine quæ improbabilis non est, præsertim in magnis civitatibus, in quibus id causaret confusionem, sive magnum incommodum, quod pertineat ad parochum, intra cujus fines hospitale situm sit, alias statutum sit, ut in urbe docet praxis

xis insignis hospitalis S. Salvatoris prope Basilicam Lateranensem.

DUBIUM 17. *An corpus defuncti, quod præter ejus voluntatem & non sine violentia in Ecclesia Cathedrali, vel ubi nequaquam de jure sepeliri debeat, sepultum fuit, indè exhumari debeat, in Ecclesia in qua defunctus sepeliri reliquit, vel de jure sepeliendum erat deponatur?* ℞. *affirmativè, ex C. ex part: 1 & seq:* de sepulturis, quod quidem in proprijs terminis, patet ex decision: *S. Congreg: Rituum in una Bituntinen: 21. Iulij 1607.* & in alia Asculana Sacr: Congreg: Episcop: & Regul: 21. *Octobris 1616.*

DUBIUM 18. *Quid si tunc religiosus moriatur, non electâ sepulturâ, ubi sepeliendus?* ℞. sepeliendum esse in Ecclesia Cathedrali, instar secularium, & peregrinorum in itinere morientium. Abbas *c. 1. n. 4.* de sepulturis, quod quidem quoad seculares & peregrinos, sic decisum fuit à sacra Congreg: Episcop: 9. *Iulij 1592.* Secùs verò dicendum, si in loco ubi religiosus moritur, adsit monasterium alterius ordinis, ibi enim eum sepeliendum esse ait Anton: *1. n. 9. de sepulturis.* Sanchez *d. prac: C. n. 4.*

DUBIUM 19. An puellæ in monasterio monialium, prorsùs exempto, degentes educationis causâ, & mulieres seculares famulæ monialium nullam emittentes regularem professionem, si contingat eas mortem obire in monasterio, sepeliri possint, ac debeant in Ecclesia exteriori monialium, an potius in parochiali, in cujus parochia domicilium retinent? & quid si in nulla parochia retinent domicilium? ℞. cum compendiatore Pignatellij *tom: 7. consult: 63.* hujusmodi puellas & famulas sepeliri debere in Ecclesia,

paro-

parochiali, in cujus parochia habitant, si moriantur, non electâ sepulturâ, vel si sepulturam elegerint, deberi eidem Ecclesiæ quarta funeralis. Probatur ex ijs quæ docent Doctores, quod non amittatur parochia, dum quis discedit animo revertendi ut Abb *in cap: de his de sepul:* Io Hud *in capi ij qui eod tit: in 6.* ac alij non pauci. Ac desumitur ex *di cap. is qui de sepul: in 6* ubi similis casus omnino deciditur. Qui enim aliquando ad villam ruralem se transfert, non debet ibi sepeliri, quia non acquirit ibi parochiam, cùm non accedat animo permanendi, sed debet sepeliri in parochia vrbis, quam retinet, quotiescumque discedit animo revertendi. Nec differre videtur an quis se transferat ad rus? an ut exerceat professionem scholasticam? an ut alicui famuletur? quia in utroque casu concurrit habitatio in parochia aliena, retento priori domicilio. Puellæ autem, & famulæ hujusmodi non amittunt suam parochiam: quia non transferuntur à propria parochia, ut illam deserant, ac mutent. Firmatur ratio à simili ex statuto Cleri Rom *cap. 3. § 8.* decernente scholasticos domicilium in domo patris, seu cognatorum habentes & studiorum causâ in aliquo seminario, vel collegio, extra fines parochiæ ad convivendum commorantes, primum domicilium retinere. Quod est juxta ea quæ tradit Hostien: *in sum: tit: de parochi §. penul: n 7.* quare hæc sententia non solùm est probabilis, sed etiam ex Pellizar: de Monial: *cap: 10. sess: 3. subiect: 1. n. 233.* est omninò certa. Et quoad famulas, est casus declaratus, in eodem statuto Cleri Rom: *d. cap: 3 §. 10.* his verbis: *Familiares & famulas eminentissimorum Cardinalium, seu aliorum Principum, ac prælatorum*

rum, nec non aliorum quorumcunque, qui retinent domicilium in alia parochia ad illam parochiam pertinere statuimus, in qua retinent domicilium, licet apud suos dominos infirmentur, & morte occumbant.

DUBIUM 20. Moriens in carcere, in quo detinetur causâ custodiæ, in qua nam parochiali sit sepeliendus? Et an si elegerit sibi sepulturam extra parochialem debeatur Ecclesiæ suæ parochiali quarta funeralis? quidve de ijs qui damnati sunt ad carcerem in pœnam, ut in ijs in perpetuum, vel ad tempus permaneant? ℞. ad primum; quod sepeliendus sit in Ecclesia parochiali, in qua defunctus habitabat, antequam carceribus manciparetur, & in qua adhuc retinet domicilium, eique deberi quartam funeralem, si elegerit alibi sepulturam, ex rationibus adductis in proximè resoluto dubio, & alijs antecedentibus. Secùs autem dicendum de eo, qui damnatus est in pœnam ad carcerem perpetuum, tunc enim fit de parochia cui subsunt carceres: quia non potest habere animum figendi alibi domicilium, aut habitationem, cùm perpetuitas carceris id excludat, & domicilium aut parochia non potest retinere, absque animo revertendi. Ideoque relegatus habet necessario domicilium in loco relegationis per *l. filij libertorum §. relegatus ff. ad municip,* quod intelligit Gloss: *in l. ejus qui ff. fin ꝰ. Unde arcetur eodem tit: de relegato in perpetuum.* Si verò damnatus est ad pœnam ad tempus determinatum, tenendum est si ibi moriatur, quod debeat sepeliri in parochia carceris, aut si contingat alibi sepeliri debeatur quarta funeralis eidem parocho. Quia quamvis ibi contra suam voluntatem detineatur, adhuc tamen

men spectat ad curam parochiæ quoad sacramenta recipienda, ideòque efficitur, quamvis invitus de illius parochia. Atque ita quoad hoc observatur Romæ ex statuto Cleri Rom: extatque decretum pro Ecclesia parochiali S. Mariæ Transpontinæ pro custoditis in pænam in Castro S. Angeli, & pro Ecclesia parochiali S. Blasij in via Julia pro captivis pariter in pænam in carceribus novis. Quia cùm sint servi pænæ, contrahunt habitationem, ubi luunt pænam *d. l. filij libertorum §. relegatos §. ad municip.*

§. III.

Quoad libertatem sepulturæ.

DUBIUM I. *An electio sepulturæ ut sit valida debeat esse libera?* ℟. affirmativè, debere esse liberam, ab omni coatione, violentia, metu injusto, adeoque eum, qui hoc modo aliquem cogit ad electionem alicujus sepulturæ, peccare mortaliter, Communissimè Doctores. Ratio est, quia cùm quilibet habeat jus eligendi sepulturam in quovis loco à jure habili, ut constat *ex cap. Nos instituta de sepulturis in 6. cap. Cùm sit liberum eodem tit:* & cap. *is qui eodem*, qui alium impedit injustè per vim, fraudē, is ei in re gravi injuriam irrogat. Imò svadentem inducentem, tentantem aliquem etiam sine vi & fraude, vel dolo ad eligendam sepulturam ut electio sit invariabilis, hoc est ut absque peccato revocari non possit, peccare mortaliter, & electionem sepulturæ esse invalidam. Ratio est, quia impeditur libertas, quæ manet usque ad mortem eliendi sepulturam. Hinc.

Collige

Collige 1. Clericos religiosos,qui sepelierunt eum, quem induxerunt, ut cum voto, promissione eligeret sepulturam, & electam non mutaret, obligari ad restituendum cadaver Ecclesiæ, in qua de jure sepeliendum erat, si illa Ecclesia illud cadaver repetat, & quidem intra decem dies. Ita Communiter DD. Donatus *quæst:* 32.

Collige 2. Si dudum lis agitetur de restitutione cadaveris, illud finita lite restituendum esse Ecclesiæ, cui adjudicatum est, dummodo in tumba Lapideâ, vel ligneâ, fuerit reconditum, & ossa ab alijs cadaveribus discerni possint. Ita Donatus testans in praxi esse factum.

Collige 3. Pactum de sepultura non obligare. Ita Donatus, *quæst: 10.* Constat *ex cap. 1. de pactis in 6.*

Collige 4. Electionem quâ infirmus â parocho, qui ei viaticum præbuit interrogatus in specie, an velit sepeliri in parochia, vel alia Ecclesia elegit sepulturam, in Ecclesia parochiali esse invalidam. Ita Cravellus, Genvensis, Riccius, quos citat & sequitur Donatus scitè advertens eum debuisse interrogari, ubi nam vis tumulari? Ratio est quia electio sepulturæ facta est ad suggestionem.

DUBIUM 2. An religiosi clerici, seclusa fraude, & dolo, hortantes, svadentes, inducentes, ut aliquis juret, voveat, & promittat se in eorum Ecclesia sepulturam electurum, vel electam non revocaturum nec mutaturum peccent mortaliter & talem electionem, efficiant invalidam? ℞. *affirmativè.* Illos religiosos & peccare mortaliter, & electionem esse invalidam. Ita communissimè Doctores. Constat ex Clementina *Cupientes* & cap. *Animarum 2, in 6.* ubi

hoc prohibetur sub pæna excommunicationis.

DUBIUM 3. An qui aliquem ad promittendum simpliciter de sepultura in propria Ecclesia eligenda, vel de illa jam ibi electa, non mutanda inducit absque eo quod procuret; ut is id facere juret, vel ut votum de hoc præstando agat, excommunicationem Clementinæ *Cupientes de pænis* & cap *animarum periculis de sepulturis in 6.* incurrat? ℞. *affirmativè*; cum textus etiam de simplici promissione loquatur, ibi, vel aliàs promittendum. Bonac: *tom: 3. de censur: in part. disp: 2. quæst: 5. punct: 4. n. 2. Vers: secundo eum*; idque procedit, etiamsi post promissionem non sequatur effectus, idest ipsa actualis sepulturæ electio, adhuc enim verificatur quod illum ad sepulturæ electionem promittendam, vel electam non mutandam contra textum induxerit, secus verò dic de inductione ad vovendum vel jurandum, nisi postea votum seu juramentum defacto sequatur contraria ratione Filliuc *tract: 15. n. 171.* Suarez *de censur disp: 22. sect: 3. num: 25.*

DUBIUM 4. An qui aliquem ad faciendum propositum inefficax de sepultura elidenda, vel de illa electa non mutanda inducit; ut si svasus dicat *fortè faciam* vel dicat *sufficit pater &c.* excommunicationem Clementinæ *cupientes* incurrat? ℞. *negativè*, quia textus loquitur de permissione, quæ obligationem inducat, tale autem propositum nullam prorsus obligationem parit. Plaud. apud Sayr *de censuris lib: 4. cap: 12. num: 8.*

DUBIUM 5. *Quid dicendum de ijs qui sanos & non infirmos ad præfata inducunt?* ℞. adhuc hanc excommunicationem incurrere, cum textus

textus de sanis, infirmisque indistinctè loquatur ibi, nè aliquos &c. & hoc secundùm Pasqualigum, etiamsi sepultura pro alio eligatur, quod non affirmo: nam textus videtur de inducente ad eligendam sepulturam pro seipso. Pasqualig: *decis:* 373. *in* 6. & secundùm præfatum auctorem *decis:* 375. *num:* 3. etiamsi inducens apud illam Ecclesiam debuisset de jure sepeliri, in qua ad sepulturam eligendam, vel in ea electa non mutandam inducitur, ut quia ibi adesset sepultura suorum majorum &c. Sed Rodriquez, Toletus, & alij, quos citat ac sequitur Donatus quæst: 27. oppositum sustinet, ita quod velut certum supponit, svadentem, monentem, inducentem sine vi, fraude, dolo, ut eligat quis sepulturam in Ecclesia alia, etiam cum voto, promissione, eam non variandi, nullum peccatum committere, consequenter nec excommunicationem Clementinæ, *Cupientes* incurrere. Ratio est, quia cessat species avaritiæ, ob quam inductio, ad sepulturam in propriâ Ecclesiâ cum voto &c. eligeadam, prohibita est. Ita etiam svadentem, monentem, inducentem, sine vi, fraude, dolo, ut quis eligat sepulturam in aliqua Ecclesia, absque promissione, quod sit eam electurus, vel electam non mutaturus, non peccare mortaliter. Portell: *V. sepultura num:* 3. & alij quos citat ac sequitur. Donatus *quæst:* 27. Ratio est, tùm quia nulla infertur injuria, & manet libertas mutandi electam sepulturam; tùm quia non svadetur objectum in se malum. Hinc.

Collige 1. Etiam secularem religiosum alicujus Ecclesiæ svadentem, inducentem aliquem, ut voveat, promittat se in aliqua Ecclesia ele-

ƈturum sepulturam, vel electam non mutatu-
rum peccare mortaliter, & electionem esse in-
validam. Jta Donatus *quæst: 31.* contra Rodri-
quez, Brognolum & alios. Ratio est, tum quia
lex frustraretur suo fine, & quilibet diceret,
quòd inductio non sit facta nomine capituli.
Tùm quia cap: *Animarum* hoc prohibetur uni-
versis religiosis, & secularibus.

Collige 2. Secularem religiosum etiam ali-
cui Ecclesiæ adscriptum inducentem aliquem,
ut sepulturam eligat in testamento, seu ultimâ
voluntate in sua Ecclesia, non peccare mortali-
ter, nec venialiter, neque electionem esse in-
validam. Jta cum Sayro, Toleto, Donatus *qu:*
28. num 3. Ratio est, quia ubicunque inter-
venit actus prohibitus à lege, ibi intervenit pec-
catum & censura imposita actui prohibito consu-
mato; actus autem prohibitus per prædictas con-
stitutiones, est inductio ad eligendã sepulturam
cum voto, vel aliqua alia obligatione, quæ quippe
inductio prohibetur, tanquam continens specia-
lem difformitatem ad rectã rationem. Quandoquide
per hoc ostenditur avaritia, & fit tertio præ-
judicium & libertas sepulturæ violatur.

Collige 3. Probabiliter tenendum: inducen-
tem, svadentem, ut aliquis voto, juramento
aut aliquâ promissione, spondeat, se electurum
sepulturam in in sepulchro majorum, vel in p-
rochia, peccare mortaliter, & electionem e-
nullam. Jta Donatus *num: 4.* Ratio est, q-
intercedit inductio, tollens libertatem sepult-
ræ, aut licitè revocabilem, & retractabilem.

Collige 4. Sponte eligentem sepulturam ad s-
Ecclesia PP. Dominicanorum, si postea ad s-
gestionem alicujus Fratris Minoris, voto, ju-
mento

mento, vel aliqua alia promissione spondeat se sepulturam electurum in Ecclesia Fr: Minorum, sepeliendum esse in Ecclesia PP. Dominicanorum Ita uterque Rodriquez, quos citat ac sequitur. Donatus *quæst:* 30. & noster Peuplus, *de libert: sepult propos:* 4. contra Pasqualig: Ratio est, quia utile non vitiatur per inutile.

Collige 5. Eum qui ad suggestionem alicuius voto, juramento, promissione, spopondit se in aliqua Ecclesia sepulturam electurum, & electam non mutaturum, si postea sponte eligat sepulturam in alia, invalidè eam eligere, & sepeliendum esse in Ecclesia, in qua de jure sepeliri debet, hoc est in Ecclesia majorum, & in defectu hujus in Ecclesia parochiali. Ita Donatus. Constat ex cap: *animarum in* 6. quod in pœnam violati voti, juramenti, vel promissionis hoc statuit.

DUBIUM 6. *An parochus inducens suum parochianum, ut sepulturam in propria Ecclesia electam mutet, hac censura irretiatur?* R. *negativè.* Ratio est, quia hæc prohibitio est inducta in favorem religiosorum, parochorum, rectorum &c. quod autem in favorem alicujus inductum est, in ipsius damnum retorqueri non debet. Tum quia unusquisque suo favori cedere potest. Secùs verò dic, si parochus inducat suum parochianum, vel alium ad promittendum de eligenda sepultura in propria Ecclesia, quia hoc est, quod prohibet textus ibi, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, ex quo si aliquem ad sepulturæ electionē in aliena Ecclesia promittendam inducat, non incurrit, cùm textus de inductione respectu propriæ Ecclesiæ, solummodò loquatur. Tolet *lib:* 1. *cap:* 36. *n.* 3. Lezana *cap:* 9. *n.* 25. Quod totum etiam de religiosis in ordine ad suas

Ecclesias afferendum: nam illi etiam sub hac prohibitione comprehenduntur ibi.

DUBIUM 7. *An qui ad sepulturam tantum eligendam, vel electam non mutandam, aliquem induc t, sed non ad hoc promittendum, vel de hoc praestando? jurandum vel vovendum, excommunicationem incurrat?* ℞. *negativè*. Ita Filliuc *l. cit.* quia prohibitio non est de inductione absolutè, ad actum scilicet ad sepulturae electionem, sed de inductione ad obligationem praestandi talem actum, puta ad jurandum, vel de sepulturae electione facienda vovendum.

DUBIUM 8. *An si id agant moniales in approbata religione, vel novitij, seu novitia, hanc censuram incurrant?* ℞. *affirmativè*, quoad moniales professas, nam ly vniuersis religiosis, prout in textu, tam masculinum, quàm femininum comprehendit. Menoch *consil. 10. n. 17.* & *consilio 156. num. 13* & consil. *282. n. 12.* & consil. *585. n. 17.* Cùm moniales sint verè, ac propriè religiosae: de novitijs verò id non procedit, ipsi enim in materia paenali religiosorum nomine minimè veniunt. Filliuc: *dub. 1. cit.* Bonac: ibid: cit: n. 4 Barbosa *de jure Ecclesiae lib. 1. cap. 393 n. 1. usque ad 10.*

DUBIUM 9. *An qui ex ignorantia hujus prohibitionis hoc praestat, excommunicationem incurrat?* ℞. *negativè* etiamsi talis ignorantia sit crassa, vel affectata, & secundùm, aliquos, etiamsi sit cum ingenti temeritate conjuncta, idest cum vehementi suspicione facti in contrarium, & absque ullo rationabili fundamento deposita, ex textu, ibi, temerarios violatores, quae verba dolum ac scientiam important; scientia autem omnem ignorantiam, quaecunque illa sit, excludit; quod idem

idem etiam dicendum est, cum aliqua constitutio, seu lex dicit, qui temere, dolosè, scientèr, ausu temerario id egerit, agere præsumpserit &c. hæc enim verba scientiam important, & quamvis ignorantia crassa vel affectata, quando est cum ingenti temeritate conjuncta scientiæ æquiparetur *C. eos qui de tempor: ordin: lib: 6.* tamen verè & propriè talis ignorantia, non est scientia, ac proinde scire non dicitur, & consequenter pœnas contra aliquid scientèr facientes latas, non incurrit, cùm in pœnalibus, verba propriè ac strictè accipienda sint. *C. ex literis de sponsalibus &. l. non alièr ff. de leg 3.* Diana 3 *p. tract: 7. resolut: 7.* Sanchez *tom: 1. disp: 1. cap: 2 n 646. & 654. & n. 237. & 238.* Sanchez *in sum: lib: 2. c. 10. n. 38.* Zacharias, Pasqualigus *decis: 376. n 4.*

DUBIUM 10. *An melius sit consulere alicui, ut eligat sepulturam in Ecclesijs regularibus, quàm alijs?* ℞. *affirmativè,* ex cap. *Fraternitatem. 3. de sepult.* illis verbis *Fraternitatem tuam, non credimus ignorare mortuorum sepulchra & cæmiteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationes, atque missarum solemnia tam pro vivis, quàm defunctis frequentiùs celebrantur.* Frequens ergo celebratio divinorum officiorum, quæ principalitèr fiunt in Ecclesijs regularibus arguit meliorem sepulturam apud ipsos, quàm alios ut ibidem v. *frequentius* dicit Glossa & in cap. *cum liberum 6. e. d.* v. frequentia populi in Ecclesijs, quæ solet esse regularibus semper apertis pro audiendis divinis officijs, prædicationibus, & similibus multum prodest fidelibus vivis, & defunctis. Glossa cap. *cum gratia 17. 13. quæst. 2.* quæ in alijs Ecclesijs,

non

non ita frequentèr, sed raró videtur. Tum quia facit quod habet Lavor: *tit. 2. de funer: cap. 34. n. 44.* Accedit, quod potissimum est, nam sepulti maximè cum habitu regulari lucrantur indulgentiam plenariam ex Leone X. in Ecclesijs Trium Ordinem B. Francisci *compend: resol: 128. n. 14.* Ita Bordon, *resol: 51. n. 87. & 88.* hinc *aduerte tamen*: absolutè non esse resolvendum, an sepultura faciùs eligatur in Ecclesijs regularium, quàm secularium. Ratio est, quia in multis Ecclesijs Collegiatis, Cathedralibus, est frequentior accursus populi; & solemniùs celebrantur Divina officia, quam in Ecclesijs regularium; & è contra, adeoque videndum est, ad quam nam Ecclesiam major concursus fiat.

§. IV.

Quoad Novitios

DUBIUM 1. *An novitius poßit eligere sepulturam?* ℞. *affirmativè* Ratio est, quia *cap: fin: de sepult: in 6.* Solis religiosis interdicit. Novitius autem non est verè religiosus, maximè in odiosis. Tùm quia habet velle & nolle. Ita Sylvester verbo *sepultura quæst: 9.* Miranda & alij plures (a) Neque hoc in dubium revocari potest; Tùm quia novitij sunt sui juris, cùm nondum per professionem, quæ sola abdicat ab eis propria jura se tradiderint in potestatem religionis. Unde mirandum est quod Lavora (b) dixerit, novitium non posse sibi eligere sepulturam; cùm non possit assignari, unde nam habeat suam voluntatem alligatam ne possit eligere.

a. Miranda *tom: 2. Manual: quæst: 48. art:*

9. *concl:* 3. Rodriquez *in compen: quaest: regul: resolut:* 18. *num:* 5. Barbosa *de offic: parochi cap* 25. *num:* 46.

b. Lavor. *tom.* 2. *variar lucubrat: tit:* 2. *cap:* 11. *num:* 100.

DUBIUM 2. *Novitius si moriatur absque sepultura electione? ubi sit sepeliendus? & quid si esset in proposito redeundi in seculum?* R. ad primam partem dubij *affirmativè* Ita Sanchez cum pluribus alijs (a.) Ratio est; Quamvis enim novitius non sit incorporatus religioni, est tamen ipsi aggregatus in ordine ad experiendum & est religioni addictus in ordine ad sacramenta, etiam quæ à parocho ministrari debent ut viaticum, extrema unctio, communio paschalis, & censetur eodem jure quoad privilegium fori. Undè cùm non sit amplius subditus parochi, sed religionis subiectione voluntaria, quoad sepulturam quoque spectabit ad monasterium.

Si dicatur cum Sylvestro; novitius ille fuit in proposito redeundi ad seculum, quia cùm tunc elegisset in seculo mori, censetur quoque elegisse sepultutram. R. hanc Sylvestri limitationem non placere. Tum quia, dum ad seculum non redijt, adhuc mansit novitius: ergo debet gaudere privilegijs, & consvetudine introducta in novitiorum favorem; nam hoc propositum non extrahit novitium à statu novitiorū, sicut etiam voluntas mutandi parochiā non subtrahit à jure parachi, sed requiritur factum solvens illum contractum, quo novitius se tradidit experiendum religioni, & ipse acceptavit religionem experiendam; siquidem voluntas redeundi ad seculum non facit redire, sed requiritur factum. Vndè non sufficit in hoc velle nisi

nisi etiam sequatur exequutio, *l. liquidam eum filium § de hered: instit:* Imola. Bart: & cæteri Doctores.

a Sanchez *lib: 6. sum: cap: 14. num: 11.* *Gratian: decis: Marchia 35 num: 14.* Samuel *de sepult: tract 5. disp: 4. controvers: 1. num: 19.* Pasqualig: *in Controv: inter Episcopi & regul: quast 57. in addit.*

DUBIUM 3. *Quibus expensis sepeliendi sint novitij?* ℞. cum distinctione vel habent patrimonium, vel non habent, si non habent certum est sepeliendos expensis monasterij, quia magis pertinent ad ipsum, quàm populus ad parochũ unde si is tenetur gratis sepelire, qui non habent, unde subministrentur expensæ, multò magis tenebitur monasterium sepelire novitios. Verùm si habent patrimonium, adhuc subdistinguendum, vel enim ex pacto seu consvetudine tenetur novitius solvere expensas alimentorum, & tunc manebit obligatum ejus patrimonium, seu bona ipsius ad expensas sepulturæ. Quia expensæ pro sepultura sunt accessoriæ ad expensas alimentorũ, & qui alere tenetur, tenetur etiam curare sepulturam. Si verò non tenetur ad expensas alimentorum, tunc quia monasterium recipiens novitium se obligat ad alendum, manet etiam obligatum ad expensas sepulturæ. Ita docent Petrus de Vbaldis *de canon Episcopal: c. 13. num: 3.* Pasqualig: loc: cit: *quast: 38. in addit.*

DUBIUM 4. *An teneatur monasterium solvere expensas ab alio factas in funere novitij defuncti extra monasterium ubi ex superioris obedientia erat? Et quid si novitius ille patrimonio careat, ac parentes ejus superstites sint ac divi-*

divites? ℞ cum cum distinctione præcedentis quæstionis; Quod si novitius patrimonium non habeat nec parentes, tunc tenetur monasterium, ac si novitius in monasterio defunctus esset: Ratio est, quia sicut monasterium tenebatur, si in eo mortuus fuisset, ita quoque ubi de superiorum licentia novitius morabatur: Si verò novitius ille patrimonio careat, ac parentes ejus superstites sint, ac divites existimat Lauretus de Franchis in hoc servandam esse consvetudinem receptam in ea religione, & sequuta ea consvetudine petendi expensas ab herede novitij, sepeliendum esse expensis monasterij, quia in ejus obsequio, & sub ejus obedientia obijt, separatus omninò, licet revocabiliter à cura paterna Ita Sanchez & plures alij (a.)Verùm Peirinus [b] ait solvendas esse à monasterio, & deindè monasterium posse repetere, ab heredibus, si novitius relinquat post se aliqua bona. At hæc difficultas resolvenda est juxta dicta ad *præcedentem quæstionem* Ut nimirùm monasterium teneatur de suo subministrare expensas, etiamsi novitius relinquat bona post se, si tenebatur de proprio alimenta præbere: secus autem si non tenebatur.

Si dicatur Quid si novitius moriatur extra religionem, cum animo non redeundi quid agendum? ℞ cum Paspualig: loc cit: c. Quod si novitius maneret in domo suorum parentum aut aliorum, cum animo non redeundi ampliùs ad religionem, & aliquo pacto declarasset hunc animum, tunc nullo pacto monasterium teneretur ad expensas pro sepultura, sive ad quascunque alias. Nam tunc mora extra monasterium, stante dicto declarato animo, habe-

retur

retur pro recessu à religione: quia licet esset ex causa, quæ non solveret permanentiam in religione, conjuncta tamen cum tali animo solveret, quia ex ipso subesset novæ causæ.

a. Sanchez *in oper: moral: lib. 6. cap: 14. num: 13.* Layman *lib: 3. theol: moral: tract: 5. sect: 5. cap. 12. num: 6.* Mancinus *in Pract: visit: infir: tract: 5. dub: 12.*

b. Peirin *quæst. 3. de prælato relig: cap: 1. §. 4. num: 130.*

c. Pasqualig: loc. cit: *p. 2. quæst: 69 in addit.*

DUBIUM 31 *An Religiosus viator mortuus in hospitali, vel in aliqua domo privata, debeat sepeliendus deferri ad suum conventum, vel in parochialem Ecclesiam? Et quid de Clerico seculari, peregrino dicendum est?* ℞. cum distinctione: vel commodè possit deferri ad monasterium? vel non? si commodè possit deferri, sepeliendus est in monasterio, si non possit, ibi sepeliendus est, ubi sibi eligerit sepulturam. Nam quamvis religiosum decedentem extra religionem non posse sibi eligere sepulturam tradunt. Innocent: in cap: Franc: & alij plures (a) Ratio est: quia adhuc non habet proprium velle; tamen ponitur exceptio *in cap: fin: de sepult: in 6.* Nisi tam remotè à monasterijs moriatur, ut commodè ad ipsa deferri nequeat; qui casus cùm sit exceptus dat exceptio facultatem eligendi. non autem eligit ex interpretativa voluntate sui superioris, & ex ipsius ratihabitione, non autem in virtute propriæ voluntatis qua caret. Quod si sepulturam non eligat nec commodè ad monasterium deferri possit, tunc sepeliendus erit juxta jus com-

mune.

mune, quia cessat jus electionis, & jus proprium religionis, & proindè subintrat jus commune: undè erit sepeliendus tanquam si esset secularis advena. Ita Gloss Barbosa & alij (b)

DUBIUM 6. *An Regulares possint religiosum suum mortuum extra claustra levare inconsulto, parocho & ad suas Ecclesias deferre, etiamsi à parocho receperit sacramenta?* R. cum Pasqualigo & alijs (c) *affirmativè*, absque eo quod nullum eis impedimentum objiciatur, etiam inconsulto parocho. Et ita declaravit S Congregatio Episcop: & Regul. *in una Futeolana 22. Maij 1615.* & Sacra Congregatio Concilij *die 2. Iulij 1620.* ad instantiam Cardinalis Ludovisij Archiepiscopi Bononiensis. nam proposito dubio. *An cùm Fratres aliqui extra monasterium moriantur, & à curatis sacramenta receperint, possint ab eorum superioribus, ad suas Ecclesias deferri, parochis inconsultis.* Respondit. *Regulares extra claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam parochis inconsultis.* EX quibus patet, quod hoc habet locum etiamsi à parochis sacramenta receperint, quia non recipiunt de jure, cùm non spectet ad parochos ministrare, sed per accidens in defectum ministrorum legitimorum. Ratio autem est, quia religiosi, licet sint in parochia, nullo pacto pertinent ad locum parochorum, & stante omnimoda exemptione nullum jus competit parochis supra ipsos, & proinde nec etiam ad eorumdem cadavera.

a Innocent *in cap: nimis iniqua n. 2. de excessibus prelat:* Franc: *in cap: fin: num: 3. de sepult: in 6.*

b Gloss: in cap: *fin:* verbo *commodè de sepult in 6.* Rodriquez *quæst: regul: 60. arti: 2* Vers

adver:

advertendum tomo 3. Barbosa *de parochis cap.* 26. *n.* 3. Lezana *p.* 1. *quaest. regular. c.* 9. *n.* 16. Diana *part.* 5 *tractat* 3. *resolut* 110. Pasqualig. loco cit. Samuel. *de sepult. tom.* 1. *disp.* 4. *controvers.* 6. *num* 18.

c Peyrin, *de privileg. ad constitut.* 7 *Pij V. n.* 88. verbo *ad decimum* Barbosa *de parochis c.* 26. *num.* 68. & Pasqualig. *loc. cit. parti* 2. *in addit ad quaest.* LX. *pag.* 513. *n.* 5. & plures alij.

§. V.

Quoad obligationem sepulturae.

Supponas 1. Sepulturam prout est actus, & officium, quo tumulantur corpora eorum, quos non nisi imprudenter aliquis in statu disgratiae devixisse judicat, esse actum licitum, honestum & religiosum. Constat non solùm ex antiquo, & novo testamento; in antiquo enim laudatur Tobias, quod mortuos sepellierit; in novo Christus sepeliri voluit; sed etiam ex SS PP. & usu Ecclesiae ut videre est apud Doctores; & hinc ipsa natura officium sepeliendi defunctos indidit ipsis animalibus, ut advertit ex Plutarcho Moronus, nam formicae formicam mortuam aliquâ multitudine comitante, in loco separato sepeliunt.

Supponas 2. Sepulturam ut est actus, & officium tumulandi eos, qui verò similiter judicantur in gratiâ Dei decessisse, esse actum spiritualem dispositioni Ecclesiae Dei subiectum. Constat etiam ex praxi Ecclesiae, quae ut testatur Ivo Carnotensis *tract.* 289. Caemiteria olim consecravit, & à potestate laicorum exemit, ut refert Gregorius *Turanensis de gloria confessorum.* Sepulchra semper sacerdotali benedictione consecravit. Et ra-

tio

tio est, quia sicut anima honoratur ob inhabitantem Spiritum Sanctum; ita corpora honorantur propter animam illa inhabitantem; immò ipsa Ecclesia modum præscribit, quomodo corpora fidelium tumulari debeant.

DUBIUM 1. *An detur aliquod præceptum sepeliendi corpora?* ℞. dari præceptum Divinum naturale tumulandi corpora defunctorum. Ita communissime Doctores, juxta quos sepultura mortuorum est actus misericordiæ præceptus: sicut & quælibet nationes quantumvis barbaræ cognoscunt, quæ corpora non relinquunt insepulta; sed vel ea sepeliunt, vel concremant, aut feris devoranda obijciunt. Et in hoc fundantur declarationes sacræ Congregat: Cardinalium, quas in decursu recensebimus. Hinc quoad praxim.

Collige 1. Ob nulla debita in vita contracta & persolvenda; ob nullum jus sepulturæ, puta compositionis quartæ funeralis, vel decimarum, alicujus pecuniæ solvendæ, cadavera relinqui posse inhumata. Ita cap: *quæst: est 13. quæst: 2.* & declaravit sacra Congregatio *Anno 1617. 5. Maij* ut refert Moronus *n. 113.* & *Anno 1628.* ut refert Donatus *tract: 9. quæst: 31.*

Collige 2. Illos clericos peccare mortaliter, qui prætextu consvetudinis vel privilegij aliquid accipiunt de bonis defuncti, lectum, in quo defunctus obijt, pannum, qui feretro superponitur, aut alia quæcunque, nec reddere volunt, nisi prius satisfiat. Ita Naldus *verb: sepultura n. 11.*

Collige 3. Omnes illos parochos, superiores regulares & seculares vespillones, qui nolunt sepeliri defunctum, nisi ijs solvantur debita, quæ defunctus contraxit, peccare mortaliter.

Collige 4. Idem dicendum de ijs, qui aufe-runt media, expensas, illis: qui aliquem defun-ctum tumulare tenentur: ita Naldus *num: 11.*

Collige 5. Tumulandum esse corpus esto de-functus præcepisset, ut ejus reliquiæ proijceren-tur in mare; cadaver obijceretur feris. Ita multi apud Samuellium quos citat ac sequitur Murga *tract: 9. sect: 1. §. 5. num: 6.*

Collige 6. Non posse absque peccato morta-li, incarcerari, detineri, ob debita illos, qui pro defuncto solvere debent. Ita Naldus.

DUBIUM 2. *Quosnam obliget hoc præceptum tumulandi mortuos?* ℟. omnem hominem in de-fectu aliorum obligari ad tumulandum mortu-um. Ita communissimè Doctores. Et hanc obli-gationem mensurandam esse, juxta ordinem cha-ritatis; ita ut illi præ alijs teneantur, qui ex or-dine charitatis in vita defuncto præ alijs succur-rere debebant. Hinc quoad praxim

Collige 1. Omnes illos, qui defunctum tumu-lare debent obligari ad omnes expensas, & sum-ptus, qui si facultates permittant juxta cujuslibet statum, & conditionem, quoad ipsum actum tu-mulandi, ut est quædam actio sacra impendi so-lent. Ita communitèr DD. dixi, *qui juxta &c.* nam tales non obligantur ad sumptus, qui fiunt ad vivorum, & propinquorum solatia, puta ap-paratum funeris, constructionem sepulturæ pre-tiosam, exequiarum pompam, vestes lugubres, convivium &c.

Collige 2. Omnes illos obligari, ad adhiben-dos illos clericos religiosos, lumina, sacrificia, oblationes &c. quæ in tumulandis mortuis ejus-dem conditionis, & status adhiberi consveve-runt, esto defunctus mandasset, ut sepeliretur abs-que ullis cæremonijs & ritibus. *Collige*

Collige 3. Heredes obligari præ alijs ad expensas, & sumptus funerum. Ita communiter Doctores, Moronus *Responso 43.* Rodriquez *tomo 3. quæst. regul. quæst. 60. artic. 4.*

Collige 4. Parentem obligari, ad faciendas impensas & sumptus in funere prolium, sive legitimarum, sive illegitimarum; si non habeant bona, ex quibus sepeliri possint. Ita communiter DD. Angelus *Verbo sepultura n. 45.* Rosella *num. 11.* Ratio est, quia sumptus & expensæ funerum præstantur locò alimentorum, ad quæ parens obligatur.

Collige 5. Filios obligari ad faciendas impensas & sumptus in funere parentum, nisi parentes habeant propria bona vel heredes. Ita communiter DD.

Collige 6. Uxorem defunctam cum dote vel alijs bonis sepeliendam esse expensis dotis; ita, ut illi qui succedunt in dote, pro rata ad expensas funeris teneantur. Ita communiter Ventriglia, quem citat & sequitur Murga *§ 19. n. 7.*

Collige 7. Conjugem deviventem, sine dote, vel bonis, non esse sepeliendam expensis mariti, sed parentis, nisi parens esset pauper, & filiam suam sepelire non posset. Ita Murga *§. 19. n. 4.*

Collige 8. Omnes illos in solidum obligari in defectu aliorum ad comitandum corpus ad sepulturam, qui juxta consvetudinem loci invitantur. Ratio est, quia cùm sepultura sit actus charitatis, debet fieri sicut consvevit.

Quæres. Qui nam in particulari obligentur ad expensas & sumptus funerũ? ad hanc interrogationẽ.

Dico 1. Velut certum Papâ mortuo, ubi mors ejus intonuerit, exequias solemnes à clero, & populo in omnibus civitatibus, cæterisque locis

 signi-

signibus, celebrandas esse. Ita cap: *periculum de elect*: *in* 6. expensas autem pro tumulatione summi Pontificis faciendas esse ex Camera Apostolica. Ita Samuellius, quem videtur sequi Murga *sect*: *1.* §. *1. n.* 3. constat ex Bulla Pij IV. *63. tom*: 2. Bullarij, in qua id supponit.

Dico 2. Funeralia Cardinalis, legati sedis Apostolicæ, solvenda esse ex redditibus sui officij, aut bonis, vel deficientibus illis expensis prælatorum provinciæ suæ legationis. Ita cum Samuellio, & alijs Murga § 2. Ratio est, quia cùm ex bonis debeat sustentari in vita, etiam ex illis debet sepeliri in morte.

Dico 3. Cardinalem non legatum, si nulla habebat propria bona, tumulandum esse impensis Ecclesiæ, cujus titulo à summo Pontifice est decoratus. Ita Samuellius citans Ubaldum, Rubeum, Lavorium, Murga §. 3 Ratio est, quia illa Ecclesia est illius domicilium, & habitatio

Dico 4. Nuncium Apostolicum, si nulla habeat bona, ex quibus sepeliri possit tumulandum esse expensis provinciæ suæ Nunciaturæ. Videtur contra Murgam §. IV. quatenùs docet impensas, quæ fiunt pro exequijs, debere fieri à clero. Ratio est, quia expensæ funeralium, sunt loco alimentorum: ergò cùm ex illis se alere debuit, etiam ex ijs debet sepeliri.

Dico 5. Visitatorem Apostolicum, & Episcopalem, tumulandum esse impensis Pontificis vel Episcopi. Ratio est, quia eum debent alere & salarium dare.

Dico 6. Collectorem Apostolicum tumulandum esse vel ex salario illi deputato, vel impensis Pontificis. Ita cum Samuellio & alijs Murga §. 6

Dico 7. Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episco-

Episcopi, si propria bona Ecclesiastica habeant, tumulandi sunt ex bonis Cameræ Episcopalis, sin minus impensis Ecclesiarum suarum, si in Diæcesibus sepulturam elegerint. Prima pars constat, quia est eadem ratio, ac de Papa. Secunda etiam patet; quia Ecclesiæ tenentur eos alere ergò & sepelire.

Dico 8. Præpositos & Decanos Ecclesiarum Cathedralium Collegiatarum, si nullos habeant redditus speciales, titulo beneficij, tumulandos esse expensis suarum Ecclesiarum. Ratio est eadem.

Dico 9. Canonicos Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum tumulandos esse ex fructibus suarum præbendarum, vel si tales non habeant, impensis Ecclesiarum, quarum sunt Canonici. Hinc

Collige 1. Clericum capellanum adscriptum alicui Ecclesiæ tumulandum esse, expensis Ecclesiæ, si nullos redditus vel bona habeat.

Collige 2. Capellanos temporales, & amovibiles sepeliendos esse ex proprijs bonis, si habeant, vel impensis parochiæ. Ita Murga §. 3.

Dico 10. Rectores parochiarum, parochos proprietarios, vicarios perpetuos, si nullos redditus ex parochia percipiant, sepeliendos esse impensis suarum Ecclesiarum. Ratio est, quia illæ tenentur illos alere. Hinc.

Collige Si redditus ex parochiali munere percepti non sufficiant, parochum tumulandum esse; vel ex redditibus Ecclesiæ parochialis, vel impensis parochianorum. Ita Murga §. 13.

Dico 11. Commendatarij tumulandi sunt impensis commendarum. Ita Samuellius, quem citat & sequitur Murga §. 14.

Dico 12. Regulares & moniales professi ubi

cumque moriantur tumulari debent impensis monasterij, nisi habeant beneficium manuale. Ita uterque Rodriquez Emmanuel *Tom. 3. quæst: regul: quæst 60. artic: 3.* Hieronymus *Resolut: 128 num: 17* & alij multi. Ratio est, quia monasterium tenetur eos alere.

Dico 13. Vi juris communis, novitij & novitiæ sepeliendi sunt, vel ex bonis proprijs, aut bonis parentum si divites sint vel his deficientibus, expensis monasterij. Ita Emanuel Rodriquez *art. 4.* & alij multi, quos citat & sequitur Murga *§. 16.* Ratio est, quia cùm novitius non sit religiosus, religio nullam habebit obligationem illum sepeliendi suis sumptibus. Hinc.

Collige Monasterium quod obligatur ad restituenda bona novitij defuncti, posse defalcare impensas funeris, vel eas à parentibus, aut heredibus exigere. Ita Pellizarius *tom 2. p. 1. tract: 8. cap. 5. num 133.* Lezana verbo *novitij num: 41.* Rodriquez *art: ultimo.*

Dico 14. Stante consvetudine, novitium etsi bona propria habeat, sepeliendum esse impensis monasterij. Ita plures, quos citat & sequitur Murga *§. 16.* Ratio est, quia consvetudo habet eadem vim, quam habet lex.

Dico 15. Pauperes in parochia decedentes, tumulandi sunt impensis Ecclesiæ Parochialis. Ita cum Samuellio & alijs Murga *§. 20* Ratio est, quia parochus tenetur pauperi sacramenta administrare, ergò & impendere opus charitatis sepulturæ. Hinc.

Collige. Parochum obligari, ad illa munia spiritualia pauperi exhibenda, quæ similibus exhiberi consveverunt. Ita Toletus. in summa *lib. 1. cap: 5.*

Dico

Dico 16 Servi ſepeliendi ſunt expenſis dominorum. Ita Samuellius, quos citat & ſequitur Murga ſ. 21 Ratio eſt, quia dominus tenetur alere ſervum.

DUBIUM 3. *Quanto tempore cadaver poſt mortem inſepultum permanere debeat?* ℞. Cadavera defunctorum, non poſſe tàmdiu relinqui inſepulta, ut putreſcant, & aerem ſuo fætore inficiant. Ita communiſſimè Doctores, regulariter loquendo defunctum non eſſe ſepeliendum ante duodecim horas poſt mortem. Ita Gavantus in manuali Epiſcoporum *verbo exequiæ n.* 3. Donatus *quaſt*: 34. Dixi regulariter, quia ſtandum eſt conſvetudini locorum, & conſtitutioni Epiſcop: Ita Poſſeu *de officio curati cap.* 14. *num* 1. *cap.* 6. *verſ*: *ſed ſi vis* nam in alijs locis cadavera antequam ſepeliantur, viginti quatuor horarum ſpatio inſepulta ſuper terram remanere debent. Quod intelligitur de defunctis, qui ſubitanea morte, vel apoplexia è vita diſcedunt: quòad olios verò non niſi poſt duodecim horas ab obitu ſepeliri debent, ut ſupra diximus.

DUBIUM 4. *Qui nam debeant & poßint deferre corpora ad ſepulturam?* ℞. olim in primitiva Eccleſia quoſdam fuiſſe deſtinatos ad Chriſtianorum defunctorum corpora efferenda. Conſtat ex Durando *lib*: 1. *de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ* obſervante, eos fuiſſe vocatos juvenes copiatos ſeu liberatores veſpillones, ſandapilarios. &c. Videatur Peuplus *propoſit*: 13. ℞. 2. Nulli clerici poſſunt deferre ad ſepulturam corpus cujuſcunque laici, quacunque dignitate aut eminentia fulgeat. Conſtat expreſſè ex Rituali Pauli V. *Tit*: *de Exequijs*.

§. VI.

Quoad Ritus sepulturæ.

DUBIUM 1. *An & qui nam ritus in sepulturis sint adhibendi?* Respon. sub peccato mortali, si fieri omninò possit, quasdam sacras cæremonias, & ritus esse adhibendos in fidelium sepulturis constat ex rituali Romano Pauli V. & ritualibus variarum diœcesium & praxi Ecclesiæ, nam ut refert Nicephorus *lib: 2. cap. 22.* Corpus B. Virginis, cum cereis, ad sepulturam delatum fuit. Similiter S. Dionisius de Ecclesiastica Hierarchia C. VIII. Gregorius Nissenus Epist. ad Olimpium. S Clemens *lib: 6. Constit: Apost: cap: 29.* S. Chrisostomus *homil: 70. ad populum homil: 4. cap: 2. in Epist. ad habreos* testantur, quòd corpora fidelium sepulta fuerint cum psalmis & cantibus, Nicephorus *lib: 61. cap: 12.* testatur defunctum oratione funebri commendatum, & S. Dionysius supra sacerdotem finita Missa, ipsi mortuo sanctè præcatum, eumque salutasse. Hi autem ritus ac cæremoniæ in sepultura fidelium adhibendæ, desumi debent, vel ex rituali Romano vel ex rituali cujuscunque diœcesis. Ita communiter Doctores.

DUBIUM 2. *Ad quemnam spectet, determinatio cæremoniarum & rituum, qui in sepulturis adhiberi solent?* ℞. ad summum Pontificem spectat, pro tota Ecclesia determinare ritus ac cæremonias, quæ in sepulturis corporum adhibendæ sunt. Ita communissimè Theologi & patet. Ad Episcopum spectat pro tota sua diœcesi, determinare ritus ac cæremonias pro sepultu-

pulturis corporum, quæ in eius diœcesi tumulantur. Ita communissimè Theologi. Et patet. Ad heredes autem spectat vocare numerum religiosorum sibi benè visum qui comitentur funus. Constat ex praxi & declaratione sacræ Congregationis Cardinalium *die 21. Novembris Anno 1637* & ad favorem Ordinis Minorum *anno 1640, die 14. Iannuarij* Cujus decretum sub pæna infra specificanda servari mandavit Octavianus, Raggius Curiæ Romanæ judex ordinarius. Brognoli *tract: 4. cap: 14. num: 20.* Hinc.

Collige Episcopum, parochos non posse impedire nec prohibere quo minus regulares ab heredibus defunctorum vocati ad funus, illud cum parochis & clericis processionaliter comitentur in quibuscunque Ecclesijs sepeliatur. Ita expressè Vrbanus VIII. in constit: *Nuper pro parte* edita *Anno 1638. die 25. Iunij* quam per extensum refert Brognoli *cap: 15. num:* 1. Casu quo heredes, vel curam funeris habentes, nullos regulares, vel sacerdotes ad comitandum funus vocarent, jus convocandi competere parocho. Ita Rota in Alexandrina funerali coram Merlino *Anno 1630.* apud Brognoli *num. 9.* Et parochus in hoc casu non tenetur vocare sacerdotes *viciniores*, sed quos ipse voluerit. Jta declaratum est, in una Ferrariensi 7. Septēbris Anno *1613.* apud Brognoli.

DUBIUM 3. *A quo numerus officiorum ac missarum, & qualitatum earundem determinandus?* ℞. Determinandus ab heredibus ipsis. constat ex praxi. Hinc.

Collige Si defunctus sepeliatur in Ecclesijs regularium, Episcopum & parochum non posse cogere heredes, vel condere statutum, aut le-

gem;

gem, ut officia mortuorum, sacra novennalia, anniversalia, exequias curent legi in Ecclesia parochiali vel Cathedrali. Ita Urbanus VIII. supra, & sacra Congregatio ad favorem Ordinis Minorum *Anno* 1639. Cujus decretum à parochis servari mandavit Octavianus Raggius, auditor Cameræ Apostolicæ, sub pæna mille ducatorum aureorum Cameræ Apostolicæ solvendorum ut videre est in ejus decreto quòd incipit *universis* per extensum relato à Brognoli.

DUBIUM 4. *Stante consvetudine, quod in sepulturis tantùm deferatur crux una, illius nempè Ecclesiæ, ad quam corpus defertur, an deferenda crux parochialis?* ℞. *Negativè*. Ita S. Congregatio supra *Anno* 1631. 2. *Augusti*. Et anno 1633 11. *Februarij*.

DUBIUM 5. An defunctus qui se sepeliendum in Ecclesia regularium reliquit, debeat prius ad Ecclesiam parochialem deferri, ita ut super corpus defuncti, prius parochus officium faciat, quam super illud in Ecclesia regularium fiat, vel ob alium finem, prius ad Ecclesiam parochialem deferendus sit, an verò recto tramite ad Ecclesiam regularium, in qua sepulturam eligit, deferri debeat? ℞. recto tramite ad Ecclesiam regularium, & nullo modo prius ad parochiam deferri debere, non obstante quacunque consvetudine in contrarium; ex declaratione sacræ Congregationis rituum in una Urbinatensi sub die 25. Februarij *Anno* 1606. Et in una Polignanensi sub *die* 21. *Maij*, 1618. Modò tamen solvantur curato emolumenta solita defunctorum (exceptâ tamen quartâ) si Ecclesia regularium, in qua defunctus sepelitur, à quartæ solutione sit exempta ex eadem sacra

cea Congregat. Quod si cadaver bona fide, vel malitiose ad Ecclesiam parochialem transla-
tum inveniatur, nihil aliud præter prædicta pa-
rocho defuncti debetur, sed inde recto tramite
ad Ecclesiam regularium ducendum est ex de-
clarat: ejusdem sacræ Congreg. in una Placen-
tina sub *die 23. Martij 1619. Barbos. in Coll.
Bul. Verbo defunctus Vers. 2. & 3.* Et ita de-
cretum ad favorem nostri Ordinis, quod recto
tramite licitè deferri debent cadvera ex ædi-
bus defunctorum ad Ecclesias regularium. A.
D. 1639. die 14. Ianuarij, factum & publica-
tum ab Octaviano Raggio. sub pænis supra spe-
cificatis, & aliàs pluries & confirmatum ab Vr-
bano VIII. Alexandro VII. Clemente X. ut
infra videre licet.

DUBIUM 6. Cùm defenctus in Ecclesia re-
gularium sepeliendus est, an regulares teneantur
accedere ad domum defuncti, an verò expecta-
re in via possint, undè processio cum parocho
transire debet, & ibi illis processionaliter se
unire valeant, & defunctum in eorum Ecclesia
sepeliendum associare? R. eos teneri accedere
ad domum defuncti, vel ad Ecclesiam propè
dictam domum, vel aliam, in qua fortè inte-
rim defunctus collocatus fuerit, & non eis in vi-
js expectare fas esse, ex declaratione sacræ Con-
gregationis Episcoporum & regularium sub die
26. Augusti 1616. Gavant, in manu verbo, e-
xequiæ num. 11.

DUBIUM 7. *An cadavera possint sepeliri, &
deferri è domobus, non vocato, & expectato pa-
rocho? R. Negativè* Cadavera enim non posse
sepeliri nec deferri è domibus, nisi prius voca-
to, & expectato parocho, à quo in egressu æ-
dium

dium ultimum vale, & benedictionem recipiant, nisi aliud habeat consvetudo. Ita S. Congregat: absque ulla modificatione & ad instantiam Ordinis Minorum A. D. 1636. 19. Ianuarij Dixi *nisi aliud habeat consvetudo*, quia consvetudini defertur, ideoque ubi aliud habet consvetudo, sicut habet Aquisgrani, Moguntiæ parochus, nec vocari, nec expectari debet. Hinc.

Collige Parochum tamen nunquam posse excludi, ne comitetur funus, esto soli regulares ad comitandum funus invitati sunt. Ita sacra Congregatio in una montis Pilosi· A. D. 1581 apud Brognoli *num*. 6 Barbosa in Collect: DD. super Trident: *sess*. 25. *de reformat C*. 13. *n*. 15.

DUBIUM 8 *An cadavera regularium decedentium extra claustra, sicut etiam Tertiariorum & Tertiariarum habentium conditiones* requisitas, à Concilio Lateranensi possint ad sua monasteria deferri, & sepeliri, irrequisito & inconsulto parocho, in cujus parochia obierunt? ℞. *affirmative* Ita de regularibus S. Congregatio A. D. 1621. 20. Julij & A. D. 1622. 25. Maij, & de Tertiarijs Anno D. 1615. 11. Decembris ut per extensum refert Brognoli *cap*. 14. *num*: 19.

DUBIUM 9. *Ad quem spectat declarare viam, per quam defunctus deferri debeat?* ℞. Seclusa consuetudine, quâ in quibusdam locis heredes defuncti, ob eorum interesse determinant, viam per quam sit deferendum cadaver ; ad parochum defuncti spectat declarare per quam viam usque ad januam Ecclesiæ regularium corpus deferendum sit. Ita sacra Congregatio A. D. 1594. die 3. Ianuarij apud Lavorium & Peyrinum, ut refert Brognoli *cap*. 16. *n*. 10. &

apud

apud Barbos: de potest: parochi *c. 26. num: 74.* licet tamen cùm defunctus in Ecclesijs regularium sepeliendus asportatur, id ad regulares pertinere asserat Iulius Lavorius lib: variarum lucubrationum *tit: 2 c. 9. n. 116.* ex declarat ejusdem sacræ Congregationis Episep: ex regular: *28. April 1588. in una Bisuntina.*

DUBIUM *10. An seclusâ consvetudine contraria sacerdotes & regulares vocati ad funus, juxta consuetudinem loci, debent convenire ad Ecclesiam parochialem, vel aliam Ecclesiam, & ex eadem se conferre ad domum, è qua corpus est efferendum.* R. *affirmativé.* Ita S. Congregatio Anno D. 1617 9 Decembris & Anno D. 1613. 16. Februar: & Anno D. 1633. 12. Febr: prohibens, non obstante contraria consvetudine, ne expectent in plateis, vel ad domum defuncti, aut januam Ecclesiæ, sed ex hac cum clero, vel parocho egrediantur.

DUBIUM 11. *An Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, ad alienam parochiam pro defuncto ad ipsam Cathedralem ducendo accedere possit Capitulum & inde levare cadaver irrequisito parocho.* R. *Negativè* ex Deciss: sacr: Congreg: rituum in una Tehlesina, *sub die 18. Augusti 1629.* Aldanus *in comp: Casuum resolut lib. 4 tit: 17. n. 1.* & Barbosa *in Collect: DD. in Triden: sess: 25. de reform: cap. 13. n. 17.*

DUBIUM 12. *An clerici congregationis Samascha possint absque interventu parochi, dummodo eum prius certiorem faciant, scholares convictores, clericos in electâ sepulturâ sepelire?* R. *affirmativè.* Ita Alexander VII. *Constit: 175. dudum pro parte.*

DUBIUM 13. *An tam secularis quàm regularis*

gularis parochus possit intrare cum stola Ecclesiam quantumvis exemptam, in qua defunctus sepelitur: ℟ *affirmativè.* Ita S. Congregatio ultimâ Septembris. A. D. 1626. & 1629. 29. Januarij. Ita Brognoli *num:* 15. scitè observans, quod si seculares parochi prætendant parochos, regulares, non posse stolam deferre in suis parochijs; idem etiam prætendere posse regulares, nè eam in Ecclesijs regularium, etiam seculares deferant.

DUBIUM 14. *Ad quosnam spectet peragere officium in sepulturis?* ℟. officia mortuorum, & reliqua omnia puta psalmos, responsoria aliasque preces, & orationes, quæ in sepulturis & exequiis mortuorum solent fieri, & peragi, non esse peragenda à clericis, vel Canonicis, sed ab ipsis regularibus, in quorum Ecclesia sepeliuntur. Ita S. Congreg. A. D. 1612. 12. Martij in una Eugubina & A. D. 1614. 6. Julij Item A. D. 1617. 24. Novembris & A. D. 1619. 21. Martij. Rursumque A. D. 1639. 3. Decembris, cujus decretum speciali mandato supra memoratus Octavianus Raggius Gegeralis Auditor causarum, Cameræ Apostolicæ Curiæ Romanæ Judex ordinarius, nec non literarum Apostolicarum universalis, & merus executor. A. D. 1640. 6. mensis Iunij strictè præcepit, executioni mandari, & speciali Bullâ in favorem PP. Augustinianorum Discalceatorum edita A. D. 1641. 24. Julij incipit. *Decet Romanam.* Jtem S. Congregatio A. D. 1659. 29. Augusti & A. D. 1660. 12. Martij. in favorem Fratrum Ordinis strictæ observantiæ Minorum conventus Calaratenensis in Sardinia provinciæ S. Saturnini contra Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Calaratenensis, quas

sicut

sicut & alias confirmavit Alexander VII speciali Bullâ incipit. *Alias pro parte, & est 95. tomo 5. magni Bullarij.* Item eadem sacra Congregatio Anno 1661. 26. Decembris in favorem monachorum monasterij S. Sixti Congregationis, Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quam declarationem eadem S. Congregatio A. D. 1671. 26. Novembris extendit ad Ordinem Minorum, eandemque declarationem & extensionem, sicut & alias in favorem etiam Ordinis Minorum confirmavit Clemens X. constit: 57. *nuper pro parte ejusdem tomi 5.* Hinc

Collige, in locis, in quibus defuncti solent concione funebri humari illam concionem habendam esse à regularibus, & non à parocho. Ratio est; quia ut supra visum, cum olim, & ad hæc hodie in quibusdam locis defuncti soleant humari concione funebri, contio comprehenditur nomine functionum, quod à Fratribus in quorum Ecclesijs defuncti sepeliuntur, & non à clericis, vel parochis, contra decreta S. Congregationis relata.

DUBIUM 15. *Quinam teneantur comitari funera mortuorum?* ℞. 1. parochum obligari, nisi aliter consvetudo obtineat ad deducenda, & comitanda funera, suorum parochianorum, esto etiam in Ecclesijs regularibus sepeliantur. Ita S. Congreg: A. D. 1591. 28. Iunij *folio 8 R gest: apud Lantuscam & exequia n. 8.* ℞. 2 Regulares non tenentur processionaliter comitari funera defunctorum. Ratio est, quia nulla lex potest circa hoc ostendi. ℞. 3. Fratres Minores strictioris observantiæ provinciarum Italiæ nequeunt comitari funera, quæ in eorum Ecclesijs non sepeliuntur. Ita Urbanus VIII. in Bulla *militan-*

tis Ecclesiæ. Edita A. D. 1640. 1. Octobris. & refert Torano *verbo processio;* & est 295. *tom: 5. Bullarij.*

DUBIUM 16. *An regulares possint processionaliter per civitatem deferre cadavera religiosorum decedentium intra claustra?* ℞. *negativè.* Non conceditur regularibus cadavera religiosorum intra claustra decedentium processionaliter deferre, per vicos & plateas, quin priùs obtinuerint à parocho licentiam (nisi eis aliàs privilegium assistat) ut notavit Doctissimus Donatus *praxi regul: tom: 1. part: 2. quæst: 81.* nequeant processiones extra claustra conventûs facere Episcopo irrequisito, vel parocho, ex ratione, quod extra claustra crucem erigere, & sub ea processiones facere in pompa Ecclesiæ, actum contineat jurisdictionis ita proprio adhærentem territorio, ut in alieno exerceri non possit, nisi consentiat loci patronus, ad quòd facit *cap: ut animarum de constit: in 6. lib: 1. tit: 2.* Et sub expressis terminis firmavit S. Congreg: Concil: sub die 2. Iulij 1620. apud Peijrinum *cit: constit: 7. Pij V. sub §. 10.*

DUBIUM 17. *An in associatione cadaverum, ad Ecclesiam regularium cum parocho, sint vocandi cæteri de Capitulo?* ℞. *negativè,* ex recenti responso S. Congregt: rituum in una Vaden: ad dubia eidem proposita ut sequitur prætendētibus parochis, seu mansionarijs Ecclesiæ Cathedralis civitat. Vaden: in associatione defunctorum, qui sepulturam sibi eligunt, sive alio quovis modo in Ecclesia Regularium sunt tumulandi, ab eorundem heredibus, una cùm proprio parocho defuncti, omnes esse invitandos; Ecclesias regularium ingredi cum stola & cruce; ibique functio-

nes,

nes, & officium circa cadaver peragere; ac insuper pingviorem eleemosynam pro associandis, seu tumulandis forentium seu exterorum cadaveribus, in Ecclesijs prædictis regularium, quàm à civibus posse exigere, si in ipsis parochialibus sepelirentur Deductâ coram Reverendissimo Episcopo Vaden controversiâ, & ab eo, postquam plurimas comparationes, pro declaratione ad sacram rituum Congregationem remissa; exinde Eminentissimo, & Reverendissimo Domino felic: memor: Cardinali de novis commissa, & ab eodem propositis infra scriptis dubijs, videlicet.

Primò An in associatione cadaverum, ad Ecclesias regulares sint vocandi, omnes mansionarij præter parochum?

Secundò. An parochus ingredi possit Ecclesias regularium cum stola & cruce, ibique officium & functiones peragere?

Tertiò An liceat parocho exigere majorem eleemosynam ab exteris tumulandis in Ecclesijs regularium, quàm à civibus? sacra eadem rituum Congregatio, utraque parte tam in voce, quàm in scriptis prius audita. *Negativè*, in omnibus respondit & ita declaravit, & servari mandavit Die 1. Augusti 1698 Et parochos in associatione seu occasione associationis cadaverum non licere ingredi Ecclesias regularium, sed dimittere eadem cadavera, ad januam Ecclesiarum, ibique solùm posse benedicere, & dicere ultimum vale, & officia, & alia munia à regularibus, & non à parochis, peragi debere, firmavit S. Congregatio Episcop & Regul. die 27. Novembris, 1671. cujus dispositio sub die 18. Januarij 1672. Confirmatur a Clemente X. constit: *nuper pro parte*, & sub eadem die & anno *constit: & alias* ap-

 probat

probat ejusdem Congregationis decretum, quo injungitur parochis alijsque de clero, ne majorem eleemosynam exigant, ab heredibus defunctorum, qui in Ecclesijs regularium sepeliuntur, quàm exigere possent in parochiali, vel in alia cleri Ecclesia sepelirentur. Bulla Cherub *tom: 1. pag: 566.* Non conceditur regularibus cadavera religiosorum intra claustra decedentium processionalitèr deferre, per vicos & plateas, quin prius obtinuerint à parocho licentiam ; (nisi eis aliàs privilegium assistat) *cùm* ut notavit Donatus *prax: regul: tom: 1 p. 2. quaest 81.* nequeant processiones extra claustra conventus facere, Episcopo irrequisito, vel parocho, ut diximus supra *dub: 16.*

DUBIUM 18. *An liceat parochis majus emolumentum exigere à repentina morte decedentibus?* R. *negativè* Ita sacra Congreg: die 24. Augusti 1669 censuit non licere parochis pro associandis cadaveribus eorum, qui repentinâ, vel violentâ morte decedunt exigere majus emolumentum eo, quòd exigi, seu praestari solet ab eo, qui testamentum condidit *lib: 26. dec: fol 283* omnes tamen sciant ex cap: *Abolenda de sepulturis lib: 3. tit: 28.* nullo modo esse licitum, sed contra christianae pietatis officium, & per ordinarios castigandum, quod propter exactionem pecuniarum, seu mortuaria non soluta, defunctorum cadavera inhumata relinquantur.

§. VII.

Quoad eos, qui Ecclesiasticâ sepulturâ privari debent.

DUBIUM 1. *Qui nam sint, qui Ecclesiasticâ sepultu-*

sepulturâ privari debent? R. excommunicati, notorij, & denunciati, seu vitandi. *C. sacris de sepult. c. à nobis 38. de sent: excomm: & element: 1. de sepulturis.* nisi fortè in articulo mortis pænitentiæ signa dederint, ut declarat S Congr: Episc. & Regul: in una Nolana 16. Iulij 1629 in persona N. qui cùm interfectus fuisset, dixit; *confessione Madonna Santissima ajuta me.* Ex quo S. Congregatio illum in loco sacro sepeliri jussit. Quod tamen intelligitur, dummodò cadaver prius absolvatur. Ut declaravit sacra Congregatio apud Bellarm: in observationibus super Trident: *sess. 24. cap. 7. vers: excommunicatus,* qui (quod intelligi puto,) ut absolvatur ab eo, cui excommunicatio reservata erat, qui tamen hujus declarationis virtute, cadaveri absolutionem denegare non posset, quod si excommunicatio Papalis sit, censetur delegata facultas Episcopo (cui sacra Congregatio jubet excommunicatos cum signis contritionis morientes, in Ecclesia sepeliri facere) & cadaver ab excommunicatione Papali absolvere, illudque postea in Ecclesia tumulari faciat, qui enim concedit principale, puta ut excommunicatus in Ecclesia sepeliatur, concedit etiam & accessorium, id est id sine quo principale executioni mandari non potest, idest quod prius quàm cadaver excommunicati cum signis contritionis mortui in Ecclesia sepeliatur, ab excommunicatione absolvatur, cùm de jure cadaver excommunicati in Ecclesia sepeliri nequeat, nisi prius ab excommunicatione, absolutione præmissâ, liberetur, quandoquidem per excommunicationem corpus excommunicati Ecclesiasticâ sepulturâ privatur. Certum enim est, corpus excommunicati, non posse sepeliri in loco sacro seu

destinato sepulturæ fidelium, ubi expresse habetur in cap: *sacris* de sepulturis, ubi dicitur: *quibus non communicavimus vivis, nec debemus communicare defunctis*: qua ratione etiam præcipitur, ut ossa excommunicatorum sepulta in cæmiterio Ecclesiastico, si possint discerni ab alijs ossibus non excommunicatorum, exhumentur, amoveantur & in alio loco non sacro proijciantur: secus autem si amplius discerni non possint. Cæterum qui temere & scienter præsumunt excommunicatum sepelire in loco sacro, incurrunt excommunicationem ipso facto ut habetur Clement: *1. de sepultur*: siquidem peccant letaliter, violando legem in re gravi. Quod si aliquis decesserit excommunicatus, dederit tamen ante mortem signum contritionis, potest tunc iste post obitum absolvi indirectè, deindè in loco sacro sepeliri, ut colligitur ex cap: *à nobis 1.* de sent: excommunicationis, quod si ante absolutionem fuerit sepultus, exhumandus non est, sed absolvendus petita prius ejus absolutione ab heredibus ut docet Glossa in cap: *sacris*, & alibi in cap: *si civitas* verbo *sepelire* de sentent: excommunicat: in 6. Dixi *potest post obitum absolvi indirectè excommunicatus*. Ratio est, quia præcitata jura non sunt intelligenda de absolutione, quæ directè impendatur mortuis, quia per mortem solvuntur ab excommunicatione, quâ erant ligati; sed intelliguntur de absolutione eisdem indirectè collata; seu de facultate quæ datur vivis, ut pro mortuis illis orent, & eorundem corporibus concedant sepulturam Ecclesiasticam: quod est indirectè tantùm absolvere, in ordine ad aliquos effectus, permittendo scilicet vivis, ut pro talibus defunctis orent, & sacrificia offerant: quia tametsi ex-

commu-

communicatio per mortem supponatur sublata, quantum ad personam excommunicati; non tamen supponitur ablata in foro Ecclesiæ, quoad prædictos actus, quibus possunt viventes in statu viæ cum mortuis illis communicare.

Hinc quando Ecclesia excommunicat eos, qui se ipsos occidunt illa excommunicatio non fertur directè in ipsos delinquentes, quia in ipso instanti separationis animæ a corpore, non sunt amplius sub jurisdictione Ecclesiæ, cum cessent esse viatores, ac vivere super terram, sed tantùm fertur in alios fideles, propter ipsos delinquentes, quatenùs eisdem prohibet ne orent pro illis, qui se ipsos occidunt; idque ad publicum terrorem, & ut cæteri viventes avertantur à tali delicto.

Quares An hujusmodi effectus defacto post Concilium Constantiense locum habeat, in solis excommunicatis vitandis, an verò generaliter in omnibus? siquidem in excommunicatis non vitandis videtur cessare ratio allegata, ex jure Canonico scilicet: *Quibus non communicavimus vivis, non debemus communicare defunctis*: Siquidem excommunicatis non vitandis defacto communicamus in vita: ergò possumus etiam communicare ijsdem defunctis in sepulchro. Pro solutione dubij juvat observare, publicè excommunicatum, & mortuum omninò impænitentem non esse in loco sacro sepeliendum; quia cùm excommunicatio major supponat peccatum mortale, cujus est pæna, ideò qui decedit ita excommunicatus, & nullum dat pænitentiæ signum, censetur notariè mori, in statu peccati mortalis, proindè est indignus sepulturâ Ecclesiasticâ; hinc hæretici in sua decedentes hæresi non sepeliuntur in loco sacro, tametsi viventes non fuerint,

 vitandi

vitandi juxta consuetudinem in pluribus Germaniæ urbibus inolitam. ℞. igitur ad dubium excommunicatum non vitandum, si ante obitum signum dedecit pænitentiæ, ut superius diximus esse prius absolvendum saltem post mortem verberato juxta ritum præscriptum in rituali Romano, ejus corpore, priusquam sepeliatur in loco sacro; hæc enim absolutio eò tantùm tendit, ut talis defunctus communioni restituatur fidelium quoad publica Ecclesiæ suffragia, & ipsam sepulturam Ecclesiasticam. Ratio est, quia Bulla Martini V. in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit: *ad evitanda*, in fine expressè ait, quòd per hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari: quapropter publicè excommunicati, sicut olim cap: *A nobis* de sentent: excommunic: ita & nunc privati existunt sepulturâ Ecclesiasticâ, donec absolvantur, tamensi supponantur decessisse contriti, secùs si excommunicatio fuerit occulta, & non nisi uni vel alteri cognita, tunc non est ipsi deneganda sepultura Ecclesiastica; siquidem privatio sepulturæ, cùm sit publica, exigit etiam publicam causam, ne alioquin publicè infametur qui publicè bonus habebatur.

Quæres Quot testes ad probandum aliquem excommunicatum cum signis contritionis decessisse sufficiant: ℞. Sanè unum solummodo testem fide dignum sufficere, asserit Toletus, siquidem in hoc facto de nullius præjudicio agi, in quo casu unus ad probandum testis sufficit, ipse fatetur.

Indigni sepulturâ Ecclesiastica censentur, qui non sunt in Ecclesia, ut sunt judæi, infideles, pagani

pagani: & hæretici etiamsi post mortem de hæresi constet *c. excommunicamus § de hæreticis*, nisi forte infideles, in ipsomet itinere cùm ad baptismum accedunt, moriantur, vel pro fide Christi mortem subeant, quia in martyrio necessariò quis contritionem habet, idest dilectionem Dei super omnia, in qua consistit, ut patet ex illo *Ioannis 15. Vers 13* ibi. Majorem (hanc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis) ac proinde gratiam baptismalem baptismi sanguinis recipit, fitque per hoc verum Ecclesiæ membrum, ac Ecclesiasticæ sepulturæ capax, & quamvis in baptismo flaminis, idest cùm quis pro vero baptismo recipiendo accedit, certum non sit, se contritionem habere, cùm possit esse, quod ille dolor, quem habet suorum peccatorum, sit attritio, nullamque proinde gratiam recipiat, ex quo Ecclesiasticæ sepulturæ capax reddi queat, tamen hujusmodi dolor in talibus hominibus, sic à Deo illustratis ut perfectus semper supponi debet, præsertim quia in dubio pro actus sufficentia, perfectione, seu validitate judicandum, *l. quoties ff. de rebus dubijs* idque expressè tenet Rodr: *1. p. summa c. 15. num: 6. in medio*; Ex qua ratione patet, quid dicendum quoque sit de cathecumenis, ac de ijs quorum baptismus dubitatur an sit validus? licet tamen, ad scrupulosos tollendos, in hoc locorum praxis inspici debeat. Laymanus enim tradit cathecumenum esse privandum Ecclesiasticâ sepulturâ; verùm cum cathecumenis concedat Ecclesia posse missarum suffragia offerri ut liquet ex responsione Innocentij III. cap: *Apostolicam de presbyt: non baptizat: lib: 3. tit: 43.* Facta Episcopo Ferrariensi

xariensi prout sequitur: *Et in Ecclesia tua ju-*
ges preces hostiasque Deo offerri jubeas, pro pre-
sbytero memorato (scilicet non baptisato] sequi-
tur, ut notat Gobar. *Experient: Theol: tracti 2.*
baptismi casu 18. sect: 2: num: 640 non esse ei
sacrum tumulum denegandum, ex eo: quòd, con-
cesso principali & majore, soleat concedi acces-
sorium, minusque principale. Jtem hæretico-
rum fautores, receptatores, defensores Ecclesia-
sticâ sepulturâ privantur cap. *quicunque de hæ-*
ret: in 6: lib: 5: tit: 2.

Manifesti raptores nisi forte restituerint, vel
alius pro ipsis restituere velit cap *super eos de*
raptoribus

Monachi religiosi utriusque sexûs proprieta-
rij, si moniti à superiore, absque emendatione,
& pænitentia decesserint cap: *Monachi de statu*
monachorum. Quod si absque tali monitione
mortui cum bursa pecuniarum inveniantur, ad-
huc Ecclesiasticâ sepulturâ privari non debent,
nisi evidentissimè constet, tales nummos pro-
prios fuisse; ratione mox insequenti casu assi-
gnanda, ac præterea modo nummi in notabili
quantitate ad furtum constituendum sufficien-
ter consistant; cùm præceptum paupertatis, seu
obedientiæ sit humanum, & consequenter ma-
teriæ parvitatem non excludit

Qui sibi mortem ex iracundia, & desperatè
inferunt, & ex industria seipsos occidunt cap:
placuit 23. quæst: 5. dummodo id clarissimè, &
evidentissimè fortissimisque conjecturis constet,
alioquin semper supponendum ab alijs fuisse vi-
tâ privatos, vel casualiter sine ipsorum culpa
id evenisse, vel eos id ex furore, vel mentis a-
lienatione egisse, cùm in dubijs favendum esse

reo

reo, & unusquisque semper supponatur bonus, usque dum non probetur malus; unde non esse negandam sepulturam illi, qui reperitur mortuus in puteo, vel suspensus; ex Genuensi tradit Gobar *tom: 2. operum moral: tract: 5. ubi se pelsendus cap: 50. pag: mihi 416. num: 13.* cùm potuerit per vim, aut insidias in puteum proijci aut suspendi, vel ex furore, & mentis alienatione id facere. Et ex Zerola *n.15.* extenditur etiã ad repertum in camera etiam clausa suspensum, si prius dederit aliqua signa melancholiæ; cùm non certo constet de suspensione ipsi suspenso peccaminosa, & in dubio debet præsumi aliquem potius bene quàm malè mortuum. Excipitur etiam is, qui ad aliquod malum, quod sibi imminet vitandum, se in flumen proijcit, vel per fenestras se præcipitem dat, quia semper in illo periculo, actum doloris suorum peccatorum elicuisse supponitur

Non restituentes Ecclesiæ decimas privantur Ecclesiasticâ sepulturâ. *C. prohibemus de decimis*, quod intelligitur, non de non solventibus decimas, sed de ijs, qui vel furto, vel alia ratione iniqua apud se habent decimas, quæ Ecclesiæ debentur, illasque Ecclesiæ non restituunt, ut ex eodem capitulo liquidò constat.

Qui in paschate à proprio sacerdote communionem non receperunt, nisi ante mortem pænituerint, & de omissione notoriè constet *cap. omnis de pænit: & remiss: lib: 5. tit: 38:* & qui semel in anno peccata sacerdoti non sunt confessi *ibidem.* Omnes in notorio peccato mortali decedentes, ut meretrices concubinarij interempti in ipso crimine furti, vel adulterijs, & alij nullo dato contritionis signo ex Gloss: *in*

cap:

cap: Quia de usuris lib. 5 tit: 19. Extremo supplicio pro patratis sceleribus affecti *c. placuit 23. qu. 5.* nisi forte signa contritionis dederint, ut patet ex Gloss: ibi 11. vel nisi pro bono publico ad aliorum exemplum magistri Justitiæ eos sic suspensos, & insepultos, vel membratim divisos permanere judicaverint. De hac materia vide Hieron: Rodriq: *resol: 128 a. n. 19. & sequ:* Barbos. *de potest: parœch: cap: 26. num: 40.*

Jn ebrietate morientes, tumulo sacro sunt privandi, dummodo hæc duo constent; alterum illorũ bibisse usq; ad ebrietatẽ prævisam, sic, ut, præviderit manifestum periculum mortis, si se inebriaret, quia tunc certè erit verùm eum sibi mortem violentam inferre, & nè dùm in ebrietate, sed etiam ex ebrietate decedere; Et alterum occubuisse, priusquam rediret ad rationem quia tunc erit notorium in statu peccati mortalis decessisse. Jta Gobat. *l. cit: num: 6.*

Deum publicè blasphemantes, si pænitentiam injunctam non egerint, *cap: 2. de maled:*

Jtem suspensi ab ingressu Ecclesiæ, si impænitentes decedant *Cap: 15. cui de sentent: excommunic: in 6. lib 5. tit: 11.*

Publici, & manifesti usurarij, nisi alienum restituerint, vel idoneam dederint; de restituendo cautionem cap. *quanquam de usur in 6. lib: 5. tit: 5.*

Jtem qui in torneamentis cum probabili vitæ periculo, vel non, vel recreationis causâ vel ad honestum armorum exercitium institutis, occumbunt cap: *Felicis de torneamentis lib: 5. tit: 13.* Jtem morientes in duello, secundùm Conc: Trident: *sessi 25. de reform: C. 19.* & hoc etiam si

amisi signa contritionis dederint, ut patet ex rituali Romano Pauli V. rubrica de exequijs modo tamen duellans in conflictu moriatur, ut loquitur Trident: ubi ly *in ipsomet conflictu*, debet accipi moraliter, & non physice, idest si parvo tempore, post vulnus intercepto percussus moriatur, etiamsi forte mors extra locum pugnæ sequatur; nam judicio prudentis, is adhuc in ipso conflictu mori diceretur, alioqui si ly *in ipso conflictu* physicè intelligi deberet, præfata Tridentini dispositio nunquam locum habere posset, nam cùm mors sequatur ad pugnam, vel communiter post receptum vulnus accidat, nunquam qui in ipso conflictu seu pugna, vel digladiatione mori diceretur, sed tantùm post pugnam, vel digladationem, & sic hujusmodi dispositio Trident. esset omninò frustratoria, quod dici non debet, cùm nunquam legislator, suam legem inutilem, & frustratoriam condidisse supponatur, ut bene Jason in lege ait prætor *num*: 21. *§. de jure jur*: Ex quo patet, quod si vulneratus extra tempus supra assignatum, etsi in ipso loco pugnæ moriatur, illum Ecclesiasticâ sepulturâ non fore privandum fateri debeat, quia in ipsomet conflictu, ut loquitur Trident: ex doctrina supra tradita mori minime diceretur, præsertim quia Trident. non privat Ecclesiasticâ sepulturâ illum, qui ex vulnere in duello recepto, vel eum qui absolutè in loco duelli decedit, sed qui in ipso conflictu, seu in actu pugnæ ex hac vita decedit seu discedit, quod in hoc casu cùm scilicet aliquod notabile tempus prudentis arbitrio inter vulnus & mortem intercipitur, verificari non potest, ut jam satis abunde dictum est. Quæ tamen

omnia

omnia procedunt modò duellum non reducatur ad rixam, ſed fiat ex condicto, ſtatuto loco, & tempore, etſi non ſit ſolemne, ideſt cum patrinis, procuratoriæ literæ ſeu cartulæ non præcedant, cum ordinario tamen mortis periculo, cùm hujusmodi actio ſit verè duellum, & patet etiam ex declaratione ſacræ Congregationis apud Barboſam in Tridentinum *loc cit num*: 1. quamvis quoad duellum non ſolemne, nonnulli aſſerant id non eſſe ubique receptum; verùm ex vi verborum Tridentini, hoc etiam duellum comprehenditur, cùm textus indiſtinctè & ſine exceptione de omni vero duello loquatur; & Bulla Gregorij XIII. ad tollendum: Bulla Cherub: *tom: 2. pag: 460. & Clement: VIII. illius tom:* 3. *pag: 13.* Cùm verò aliquis letale vulnus in duello recipit, & extra illud cùm ſacramentis Eccleſiæ, vel ad minus exhibitis pænitentiæ ſignis, occumbit; videtur non debere ſepulturâ in loco ſacro privari, quia id ex conſtit: non colligitur; & Concil: dumtaxat loquitur de morientibus in conflictu: *Engel. colleg: jur, Canon. lib: 5. tit: 18. num: 11.* Termini enim pænales ſunt ſtrictè intelligendi. Et propterea pænæ duellantium non extenduntur ad eos, qui in opinato ex iracundia dimicant, & non ex condicto, ſtatuto tempore, & loco electo; quia dimicatio eſt potiùs aggreſſio, & defenſio, quàm duellum. Cùm tamen comprehendunt, qui ab altero ad pugnandum in duello, convitijs, & contumelijs laceſſitus, pugnam, vel ne principis favorem amittat, aut nè inermis notam incurrat, vel ut à moleſto provocante ſit liber, amplectens, in duello occumbit quia Chriſtiano aptius medium ad proprium tu-

endum

endum honoren, esset provocanti respondere; *paratus eßem, & libenti animo certamen suscipere; si id per Ecclesiam mihi liceret, & per Pontifices non prohiberetur.* Engel: *cit: n. 88.*

Si horum aliquis contra sacros Canones fuerit in loco sacro sepultus, ex humari debet; *ex cap: sacris de sepult: lib 5. tit: 26.*

DUBIUM 2. An cùm dubitetur, num mortuus in letali, signa contritionis dederit, an pænitentiam egerit &c. ei sepultura deneganda sit? utpote quia clamare auditus fuerit, & audienti visum sit verba devotionis dixisse, vel inveniatur cum manu propè coronam extra fæmoralium crumenam prolapsam, vel quid simile? ℞. *negativè,* cum in dubijs favendum sit reo, & hoc etiamsi pars adversa à sententia quod sepeliatur appellet, cùm in hoc casu appellationi locus dari non debeat, ex eo, quia cadaver dilationem nequaquàm admittit, ob sui facilem corruptionem; nec appellatio admittenda est, quoties res tempore perit. Nec obstat, quod in dubio possessio stat pro præcepto, atque adeò in hoc casu, cùm dubitatur, an infirmus sine signis contritionis mortuus sit, possessio stare videtur pro præcepto, & prohibitione Ecclesiæ, nimirùm ut decedentes in mortali notorio non datis signis contritionis, Ecclesiasticâ sepulturâ priventur, & consequenter, quòd stante hoc dubio dùm possessio stat pro Ecclesiæ prohibitione, ejusmodi defunctus in Ecclesia sepeliri non debet. Nam ℞. illud assertum, quod scilicet in dubio possessio stat pro præcepto, intelligi, cùm præceptum absque alterius gravi damno, & infamia servari queat, cùm humana præcepta non ad homines infamandos seu damnificandos, sed ad perficiendes

endes

endos data sint, at si sine infamia alterius præceptum servari non possit in dubio favendum est reo, & præceptum non servandum, etsi cùm in casu nostro, si ejusmodi infirmus jam mortuus non sepeliretur in Ecclesia in magnam ejus infamiam cederet, ut patet ex communi omnium existimatione, ideò dùm pro ipso concurrit aliqua probabilitas, quòd scilicet cum signis contritionis mortuus sit, ipsi favendum, & in Ecclesia tumulandus, nec per hoc si realiter, quoad Deum talis mortuus signa pœnitentiæ non dedisset, ulla Ecclesiæ, ipsiusque prohibitioni afferetur injuria, sepeliendo scilicet aliquem in Ecclesia, qui in ea sepeliri prohibitus erat, nam sufficit, quòd in ea sepultus fuerit, qui pro se aliquod favorabile signum, licet non totaliter certum habeat, ob quod ex illo principio, quod in dubio favendum est reo, in Ecclesia sepeliri potuit, & alioqui Ecclesiæ præceptum sine mortuo non omninò certè Ecclesiasticæ sepulturæ incapacis ignominia servari non poterat. Molf: *in sum*: *tit*: 2. *tract*: 13. *cap*: 8. *num*: 71. & sequ: Bonac: *de contr*: *d*. 8. *quæst*: 21. *puncto* 2. *num*: 6.

DUB 3. *An subita morte extincto deneganda sit sepultura?* Quid de meretrice in domo amasij occisa; quoad primum casum cum Homobono *tract*: 13. *quæst*: 19. *pag*: 68: *col*: 2. R. *negativè*, quamvis ex hac vita sic decesserit, quatenus amasiam in eadem domo foverit, nec de ejus confessione annua constiterit nec de vera pœnitentia, ac proindè in malo statu extremum clausisse diem videatur, censendum tamen non est, quòd in statu peccati mortalis mortuus fuerit, quia saltem sanctissimo JESU nomine invoca-

ro, obijsse præsumendum est; liberum enim arbitrium ex malo habitu etiam acquisito cogi non potest, nec gratiæ Dei terminus præfigi, per quam in extremo quoque vitæ pænitentiæ motus, quandoque inspirantur. Et sic superioribus diebus cùm nonnulli exules subito essent occisi, hac ratione Ecclesiasticam sepulturam non esse denegandam ab Archiepiscopali curia consulturis Homobonus respondit: Ita & Sylvester v. sepultura quæst: 10 Navar: consili 6 & sequ. tit: de sepult: & Graffius consilio 1 eo tit: ubi secundum casum sic resolvunt, meretricem in domo amasij occisam, quæ tamen in paschate confessa est & communionem sumpsit, in dubio non præsumi mortuam in actu peccati, sed contritam. ut in loco sacro sepeliri debeat. Et in dubio tradunt confessum in paschate quemlibet præsumendum esse nisi alter constet: item repertum in puteo, vel suspensum, sepulturâ non esse privandum, non enim præsumitur se occidisse. &c,

§. VIII.

Quoad Quartam Funeralem.

DUBIUM 1. *Quid sit quarta Funeralis? & quotuplex*; Quantum ad primum R. cum Iacobo Mancino *in addit: brevis tractatu de quarta funerali.* Quartam esse partem obventionum, quam consequitur illa Ecclesia ex tumulatione defuncti, ex relictis causa mortis, & ex oblatis causa funeris, cùm defunctus extra suam parochiam in aliena Ecclesia sepelitur, quæ tamen potest variari, quod si minor, vel mojor quarta parte obventionum hujusmodi secundùm oppido-

rum diœcesium, in quibus defunctus tumulatur consvetudine, quod si hæc consuetudo sit diversa in parochia defuncti, & in Ecclesia in qua defunctus sepelitur ait Lavorius *tom: 1. suorum operum tit. 2. cap: 17. num: 4.* servandam esse consvetudinem Ecclesiæ parochialis quod si nec in Ecclesia parochiali adsit, servandam esse consvetudinem aliarum Ecclesiarum illius diœcesis, si uniformis sit, si verò sit varia, servanda est consvetudo Cathedralis illius diœcesis, & si nec in illa hæc consvetudo inveniatur; debet soli quarta pars obventionum, prout supra strictè sumpta, quia hæc est conformis dispositioni juris vel. R. 2do. Quartam funeralem esse portionem canonicam quandam partem quæ de jure canonico, debetur quibusdam rectoribus Ecclesiarum, Episcopis seu quibusdam Ecclesijs. Ita Sylvester, Miranda, quos citat & sequitur Bragnoli *tract: 4. cap. 18. n. 1.* Hæc ergo quarta, quæ funeralis dicitur est per doctores quædam portio à canonibus inducta & approbata, & ideo *Canonica* appellatur, *parocho propter sacramentorum administrationem debita, ex ijs, quæ regularibus obveniunt, ex quo in ipsorum Ecclesijs, eligat quis sepulturam, & apud eos sepeliatur.* Quoad secundum. R. prædictam portionem canonicam esse duplicem, Episcopalem, & parochialem Ita communiter DD. portionem Episcopalem esse quandam partem persolvendam ab Ecclesijs immediatè subjectis Episcopo, ex omnibus legatis relictis donatis oblatis ijsdem Episcopis persolvendis. Constat ex cap. *de his x. q. 1.* Portionem parochialem canonicam, esse quandam portionem debitam Ecclesiæ parochiali: de omnibus quæ reliquit parochianus, vel quæ obveniunt *illi loco,*

in quo

in quo quis relictâ parochiâ elegit sepulturam. Ita communiter DD. & constat ex Clement: *dudum de sepulturis cap. officij 14. cap. requisiti 15. de testam*: Hinc.

Collige 1. Non esse solvendam portionem funeralem ex ijs quæ obveniunt Ecclesiæ ex sepulturâ peregrini vel cujuscunque alterius, qui non est parochianus. Ita Bordonus *Resol*: 51. *n.* 206. Brognoli *n.* 13. referens sic declarasse sacram Congregationem A. D. 1628. 22. *Ianuarij*. Ratio est, quia portio solùm debetur ratione parochianorum.

Collige 2. Ob eandem rationem dicendum de ijs, quæ obveniunt Ecclesiæ ratione funeris novicij, monialis, tertiarij, vel tertiariæ exemptæ, commensalis, &c. Ita Brognoli n. 10. & duobus sequentibus.

DUBIUM 2. *Quanta sit portio Canonica quæ persolvenda est Episcopis & parochis, & quando non est persolvenda?* R. jure communi, ex terris, vineis, mancipijs, prædijs, quæ à fidelibus Ecclesijs & quibusvis locis authoritate Episcopi ad publicum cultum destinatis, Episcopo subjectis offeruntur & donantur, tertiam partem esse Episcopo fideliter deferendam, & hoc sive testator legans sepeliatur in illis locis, sive non. Ita Donatus Tract. XI de quarta funerali *quæst*: 2. & *quæst*: 14. & constat ex cap *de his* x. *quæst* 1. Hinc.

Collige 1. Canonicam portionem Episcopalem debitam non esse persolvendam ex bonis donatis, vel legatis oratorijs privatis. Ita Donatus *quæst*: 14

Collige 2. Canonicam portionem Episcopalem non esse solvendam ex bonis legatis religiosis, confratribus, parochis, alumnis. Ita Dona-

tus citans Megalam peregrinum, Riccium; Ratio est, quia de jure hæc portio solvenda est ex bonis relictis locis pijs. non autem personis.

Collige 3. Portionem canonicam Episcopalem non esse persolvendam ex his quæ relinqvuntur ad perpetuum cultum Ecclesiæ Ita Donatus *quæst*: 2. *n*. 106. citans Valascum Unde.

Collige 4. Hanc portionem non esse solvendam Episcopo ex censu, qui relinquitur pro oleo, candelis, vino, musica, & similibus pro sacrificio missæ, vel cultu Divino.

Collige 5. Portionem funeralem, non esse solvendam, quando parochiani nequeunt sepeliri in Ecclesia parochiali subjecta interdicto ob culpam parochi, vel parochianorum. Ita Portel, Azorius, quos citat ac sequitur Brognoli *tract*: 4. *cap*. 18. Donatus *quæst*: 20.

Collige 6. Quartam non esse solvendam, quando parochus monitus, requisitus, & expectatus à regularibus, ut funus efferatur è domo, & deferatur ad Ecclesiam regularium, non venit, nec venire voluit. Ita Brognoli *n*. 25. citans Bordonum. Ratio est, quia nec actu, nec habitu sustinuit onera, ob quæ solvitur quarta.

Collige 7. Non esse solvendam portionem funeralem, quando defunctus parochiæ aliquid legavit pro quarta, secùs si absolutè & absque ulla restrictione illud legatum factum est. Ita Portel: quem citat ac sequitur Donatus *quæst* 22.

Collige 8. Non esse solvendam portionem funeralem, quando aliquis ad tempus, vel per modum depositi sepelitur in aliqua Ecclesia, vel quando in ea sepelitur invitis regularibus, & contra eorum voluntatem. Ita Lezana, Cespedes & alij quos citat ac sequitur Donatus *quæst* 20.

DUBI-

DUBIUM 3. *Quænam sint illa ex quibus solvenda est quarta funeralis.* R. velut certum; Ex ijs solùm solvendam esse quartam funeralem, quæ cum ipso funere deferuntur ad Ecclesiam Ita Donatus *quæst.* 3. *n.* 4. & constat ex constit: Benedicti XI. *Inter cunctas solicitudines*, in qua de funeralibus sic loquitur: *Funeralia verò intelliguntur hoc casu, quæ cum funere deferuntur.* Et ex constit: Pij V. *Etsi mendicantium* editâ Anno 1568. & habetur Tom: 2. Bullarij Romani constit: 41, inter Bullas ejusdem Pontificis, expressè dicentis, quartam solvendam ex cera, & alijs, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, quando defunctorum corpora ad sepeliendum deferuntur, non autem de missis, legatis, vel aliàs quomodolibet legatis solvi debent: Idem sancitum A. D. 1618. 19. Febr: ad instantiam Reverendissimi Patris Iosephi Bergaigne Commissarij Generalis Nationis Germano Bergicæ, postea Archiepiscopi Cameracensis, demandata Curiæ Cameræ Apostolicæ, ac præpositi S. Servatij Traiectensis, ac S Petri Lovanij Constit: Vrbani VIII. quam refert Peuplus proposit: 24, & constit: Clementis X. *alias pro parte*, in qua allegatis varijs declarationibus, sacræ Congregationis Cardinalium idem ad favorem ordinis Minorum decernitur A. D. 1672. 18. Ianuarij & est 58. tomi 5. Bullarij inter Bullas hujus Pontificis, Hinc.

Collige 1 velut certum: Hodiè secundùm declarationem summorum Pontificum, & non secundùm jus canonicum, non omnia illa dici funeralia, quæ ratione funeris, obveniunt Ecclesiæ, sed solùm ea, quæ cum funere deferuntur.

Collige 2. Candelas quæ circa cadaver accen-

duntur in castro doloris, & in altaribus tempore exequiarum non venire nomine funeralium. Ita Donatus *quæst. 8.* Pasqualigus *in addit.: controvers. Lauretii de Franchis,* quem citat & sequitur Lantusca V. *Funeralia.* Ratio est, quia illa non sunt delata cum funere.

Collige 3. Candelas, intorticia, quæ à clericis & regularibus comitantibus funus ad Ecclesiam gestantur, non venire nomine funeralium. Ita Barbosa, Lezana, quē sequitur Donatus *quæst: 7.* Ratio est, quia illæ candelæ, & faces quæ portantur à quibusdam ante vel circa ipsum funus, aut post crucem quæque postea in Ecclesia accendi solent circa funus non tàm censentur data Ecclesijs, quàm personis.

Collige 4. Equos, libros, arma, pallia, & alia ornamenta, quibus pompose solent cadavera defunctorum ornari, vestes, atras quibus induti nonnulli in Belgio & Polonia immediatè sequuntur funus, pallium confraternitatum, quo tumba tegitur, non venire nomine funeralium. Ita Bordon: *Resolut: 51. num. 11.* Donatus *qu: 9.* Ratio est, quia illa sunt accidentia funeris, & potiùs spectant ad secularem pompam vivorum, honorem familiæ, quàm ad utilitatem animæ.

Collige 5. Candelas, intorticia, quæ gestantur à quibusdam confraternitatibus non venire nomine funeralium. Ita Mancinus, Barbosa, quos citat, ac sequitur Donatus *quæst: 13.* & constat ulterius ex declaratione S. Congregationis Cardinalium *in una Firmana,* Anno Domini 1615. 5. Martij.

Collige 6. Nomine funeralium venire candelas, intorticia & omnia illa, quæ cadavere pridiè, vel ante aliquot dies, septimanas, ex quacunque

cunque causa absque ulla pompa sepulto, deferuntur ad Ecclesiam in processione funerali pro habendis exequijs. Item pannus quo tegi solet tumba, quique postea Ecclesiæ relinquitur. Ita Barbosa quem citat & sequitur Donatus *qu: XI.* Constat ex declaratione S. Congregationis Cardinalium edita Anno D. 1621. 3. Augusti, per extensum relata à Barbosa *p.* 3. *cap:* 25. *num:* 38.

Collig: 7. Parochos non posse majorem portionem funeralem exigere ob sepulturas, quæ fiunt in Ecclesijs regularium, quàm ob eas quæ fiunt in parochia vel in alijs clericorum secularium Ecclesijs. Ita expresse Vrbanus VIII. Anno D. 1638, 11. Martij Bullâ quæ incipit: *Cùm sicut dilectus.* sed de his infra.

Collige 8. Portionem funeralem nullatenus esse solvendam ex ornamentis, pannis, legatis pijs, quæ relinquuntur à defunctis, vel eorum heredibus Ecclesijs vel religiosis. Constat manifestè ex Bulla Pij V. citata, & sententia lata in favorē conventûs S. Francisci ordinis Minorū de observantia trans Tyberim, ab Illustrissimo Domino Baranzoni A, D 1664. in Decembri contra R. D. Joannem Bernardinū durantem parochum S. Angeli in foro piscium, in qua, quam per extensum refert Lantusca verbo *Canonica portio*, partibus pluries, in contradictorio auditis, pronunciatum fuit, præfatum parochum nullum jus habuisse in quartam solvendam ex legato 1014. scutorum relictorum occasione exequiarum ad reparationem illius Ecclesiæ.

DUBIUM 4. *Quænam Ecclesiæ debeant solvere portionem canonicam?* R. Omnes & solæ illæ Ecclesiæ obligantur ad solvendam canonicam

nicam portionem, quæ non obstante, quod habuerint privilegium Apostolicum illam portionem, non solvendi, eam ante annum 1523. 4. Decembris solvere consveverunt. Ita communissimè, doctores Brognoli *tract. 4. cap: 18. num. 5.* ex Trident: *sess: 23.* cap: 13 *de Reformat:* in quo revocatis expressè omnibus concessionibus, gratijs privilegijs, statuit illas Ecclesias solùm obligari ad canonicam portionem solvendam, quæ ante quadraginta annos illam solvere consveverant; cùm autem prædictum decretum promulgatum fuerit, in Concil: 4. Decembr: ut constat ex dicta *sess. 23.* Sequitur ipsa loca solum obligari ad solutionem portionis canonicæ, quæ ante 4. Decemb: A. 1523. illam solvere consveverunt. Hinc.

Collige 1. velut certum: Monasteria & loca fundata post annum 1523. non obliaari ad persolutionem portionis canonicæ. Constat *ex constit. 41. B. Pij 5. Tom: 11. Bullarij communis Etsi mendicantium Ordines; & alijs declarationibus videndis: apud DD. passim Brognoli num: 8.*

Collige 2. Monasteria Conventus Ecclesias ædificatas tàm ante dictum annum 1523. quàm post, obligari ad solutionem canonicæ portionis si non habeant speciale privilegium non persolvendi eandem, vel non communicent in privilegijs religionum habentium exemptionem à persolutione dictæ portionis. Ita communiter doctores, & supponit Rota in favorem clericorum regularium Theathinorum fundatorū post dictum annum, ut videre est apud Quartum. Et Carmelitæ Discalceati post contradictorium judicium ventilatâ causâ à solutione quartæ funera-

funeralis liberati fuêre à Clemente VIII. Bulla 8. ut testatur Cruz *lib: 1 cap:* 9. *dub.* 5. *conclus. 1.* Nec obstat decretum Tridentini *sess.* 25. *cap:* 23. ubi præcipitur mendicantibus, ut solvant quartam funeralem, ubi solitum erat ante annos 40. hoc est per 40. annos ante Tridentinum ut sacra Congregatio declaravit Pij V. Bulla, sua quam refert Lezana *tom: 5. in mari magno Eremit: S. Augustini num:* 116. Nàm ex hoc decreto solùm colligitur, quòd conventus qui solvere solebant quartam funeralem per 40. annos ante Tridentinum, ad eam solvendam in perpetuũ tenere, non tamen illi conventus, qui ante Tridentinum plusquã 100 annos illam non solvebant, nec alij conventus post Tridentinum fundati, qui nunquam illam solvebant, ut docet Lezana *tom:* 5. *in mari magno Carmelitarum num: 346.* ut decidit sacra Rota in quadam decisione, quam refert Lezana *in mari magno Eremit: S. August: num:* 116. atqui multi ex conventibus Carmelit' discalceatorum centum ferè & viginti ante Tridentinum quartam funeralem, non solvebant ex privilegio Nicolai V. Clementis VI, & Benedicti II. & qui postea fundati sunt, non includuntur in dicto decreto Tridentini, ut decidit sacra Rota *l. cit:* ergo non tenentur solvere quartam funeralem. Et quamvis regulares contra sua privilegia decretum Tridentini & Bullas Pontificum, & Cardinalium, declarationes, aliquando quartam funeralem solverint, non ex eo perdunt jus ad illam non solvendam, quia renuntiatio privilegij non valet, nisi ab habente facultatem, ad id faciendum, quales non sunt personæ privatæ religiosorum *juxta juris vulgatum persona*

&c. in 6. Ita Abbas Felinus uterque Rodriq: apud Lezan: *tom: 5. in mari magno Carmel: num: 351* & casu quo id facere possint, non nisi fierent per spatium 40 annorum juxtà dispositionem juris *in c. accedentibus c. si terra de privilegijs.* Item etiamsi per spatium 40 annorum, solverent adhuc præscriptio non tenet, quia contra bona & jura regularium non nisi centenaria currit præscriptio. Jta Eugen: IV. *Bulla* 17. quam refert Lezana *tom: 5. in mari magno Carmelit: num:* 351. & tenent Portel, Diana, Cruz, Rodriquez, & alij quos refert, & sequitur Pellizar *tom. 1. tract: 8. cap: 1. § sectioni 5. num: 114.* Barbosa, quem refert & sequitur Lezana *l. cit: supra.*

Collige 3: Minores privilegium exemptivum à quarta funeralium receperunt ab Alexandro VI. *Constit: sacra religionis 5. Febr: A. D. 1501.* apud Roderic: *collect: privileg: Apostol: tom: 1. Bulla:* 7 prout sequitur sacra &c. *Vobis ut de catero omnibus & singulis gratijs, privilegijs, libertatibus, immunitatibus, & indultis spiritualibus, & temporalibus, tàm Fratrum Prædicatorum quàm Eremitarum S. Augustini. & B. Mariæ de monte Carmeli, omnibusque alijs mendicantibus per sedem Apostolicam, vel per legatos ejusdem etiam per literas Apostolicas, mare magnum nuncupatas: etiam quoad exemptionem à solutione quartæ locorum ordinarijs, & parochiarum Ecclesiarum rectoribus debita, à qua vos potiori pro cautela eximimus (quibus directè ijsdem exemptivum privilegium conceditur) hactenùs concessis, quorùm tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, haberi volumus pro sufficienter expressis uti, potiri, gaudere, liberè & licitè possitis &*

debeatis

debeatis in omnibus & per omnia, perindè, ac si vobis specificè concessa fuissent, constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, nec non omnibus illis, quæ in literis prædictis concessa sunt non obstare, cæterisque contrarijs nequaquam obstantibus, authoritate Apostolica, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ indulgemus. Dat: Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 5. Februarij 1501. Idem concessit Leo X. sub die 16. Februarij 1514. *Constit: incip: Affectu benevolentiæ* aut eundem Roder: cit: *Constit: 22. pag: mihi 253 Et sub die* 30 Maij 1525. *Constit: dum fructus uberes* confirmatur à Clemente 7. Quibus Iulius 2. 6. *novembris* ut tenuit Rota *in Licyen:* & *idem* Mirand: & Casarub: notant, itidem privilegia alijs mendicantibus concessa communicavit, & illa de novo concessit, & expresse eos exemit à solutione quartæ, ut constat ex narrativis constitutionis Leonis. Et sub anno 1555. 1. Iulij Bulla Cherub: *tom: 1. pag: 806. Paulus IV. Const: 1: ex Clementi:* eorundem Minorum privilegia confirmavit, indultumque exemptivum à quarta impertitus est. Et §. 15. apponit clausulas non obstantibus præmissis à constitutionibus super cathedram Bonifacij, & dudùm Conc: Vien: ac Clementinæ Religiosi de privil: & dudùm sepulturs, ac etiam ex frequentibus de sententia excommunicat: Et extravagante ad conditorem Joannis XXII. cum alijs constitutionibus eandem materiam prædictæ extravagantis tangentibus, seu concernentibus ac regularis cancellariæ Apostolicæ jam editis, & in futurum edendis, ac piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, de una, & in Concili generali de duabus dietis, editis &c. Nec

Nec dicendum præfatas Pauli literas utpotè emnatas, ut supra, sed intra quadraginta annos antè publicationem concilij fuisse ab eodem concilio abrogatas; non obstare inquam id, quoniam Concilium *sess: & cap: cit.* abrogat solum, quoad hoc privilegia exemptiva, intra quadraginta annos emanata, respectu conventuum & monasteriorum erectorum supra quadraginta annos ante ejusdem publicationem, & quæ per annos quadraginta consveverint quartam Ecclesiæ parochiali præstare, mandans, revocatis ad hunc effectum privilegijs, solutionem esse continuandam; ut ex ejusdem liquet lectura, & tenuit Rota *in senogalien: quartæ funeralis coram Rondanino 11. Ianuarij* 1686. & colligi potest ex Antonello *loc: cit:* non verò antè hujusmodi tempus concessa; & postea à S. Sede confirmata.

Nec moniales nisi adsit in contrarium consvetudo legitima ad quartam solvendam teneantur, ut pluries S. CC. declarasse, & præsertim in una *Albiganen 16. Martij 1652. ad c. 13 sess: 22. de reform.* refert Pignatell: *tom: 1. consult 381.*

Quares an parocho quarta debeatur, si funus transferatur? R. si postquam corpus fuerit sub sacra reconditum gleba, contingat ad diem sequentem funus transferri, majori pompa celebrandum debetur parocho quarta, de intorticijs, & cereis, quæ occasione illius accenduntur. Et super hoc referri à Barbosa *de offic: & potestate parochi c. 25. n. 38.* decret: *S Congreg: Episc: & Reg: sub 3. Augusti Anno D 1621* tradit Donatus *tract: 11 quæst: 11. num 8. Ratio est,* quia præsumitur quòd pompa fuerit in fraudem parochi translata in sequentem diem. Extende etiam ad casum, quo ob fætorem cadaveris celebrari exe-

vi exequiæ eadem die non possent. Præsertim etiam, quia pompa exequiarum serò, & manè facta per Remigium Scrofa in examine ejusdem decreti apud Donat. *cit:* una censetur.

Quares. Quæ privilegia obtinuerint, Cælestini, Carmelitæ, Minimi & Prædicatores, in materia quartæ funeralis non solvendæ? R. Eugenium IV. sub anno 1404. const: incipit *ad decorem* exemisse Cælestinos: Nicolaum V. qui Ecclesiæ præfuit circa annum 1447. constit: incipit. *inter cætera*, Carmelitas, Iulium II. quinto Kal: August: 1506 constit: incipit, *& licet juxta* Minimos Leonem X. constit: *exponi nobis* 25. Iunij 1518. & Paulum IV. constit: ex Apostolicæ 9. Martij 1556. Prædicatores.

Quares. Quis ille parochus debeat esse, cui quarta pars funeralis debeat persolvi? R. debet ille esse, in cujus Ecclesia defunctus solebat sacramenta recipere, & audire divina. Ex cap: *cum quis de sepult in 6. lib: 3. tit 12. ubi notat glossa,* quod habens duo domicilia, in duabus parochijs, ad quæ se æqualitèr transferat, adeò, ut sex mensibus in uno, & totidem in altero habitet, si in tertia Ecclesia sepulturam eligat, solvenda portio, est inter præfatarum parochos dividenda. Sicut per medium tradit esse solvendam eisdem, dum habens domum quæ æqualiter ad binas spectet parochias, in tertia sepeliatur. Et si quis dimissis, Ecclesia parochiali, & Ecclesia, in qua sepulti sunt sui majores, & in qua fuisset ipse sepultus, si non elegisset in alia sepulturam, istam in alia Ecclesia eligat, portio canonica solvi debet parochiali, & non ei in qua est sepultura suorum majorum, quippè ex observatione Glossa *l. cit §. nota* 1. sepulchrum majorum non præfertur Ecclesiæ parochiali;

ali; & portio solvitur in recompensationem laborum, quos sustinuit rector Ecclesiæ parochialis in celebrando divina, & administrando sacramenta ipsi defuncto.

Quæres Juxta qualem consvetudinem solvenda sit quarta funeralis? Ratio dubitandi est, nam liquet, & notavit Antonellus *de Regimine Eccle: lib: 1. cap: 13. n. 7.* Canones in quota non concordare; & in quibusdam partibus, apud Mirand: Manual: prælat: *tomo 2. quæst: 48. conclus: 2,* est medietas; in alijs tertia vel quarta pars, secundùm varia jura & consvetudines; quibus in hac materia esse standum nemo dubitat & firmat Piasecius, *Prax: Episcop: parte 2. cap: 5 articulo ultimo sub: num: 45. verbo quarta. confect: sum: privileg: mendic: tit: 19. cap: 1. de sepulturis* & expressè habetur *cap: certificari de sepulturis lib: 3. tit: 28.* ubi expressè Pontifex illud *salva justitia* &c. & ait: *illa justitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem pro locorum diversitatibus attendatur*: undè Romæ datur medietas cereorum intortitiorum, & candelarum, quæ accenduntur, cùm cadavera deferuntur ad Ecclesias, in quibus sibi elegerunt sepulturam; & æquali portione inter parochum & alios etiam regulares, apud quos tumulantur, dividuntur, ea item, quæ pro celebrandis divinis officijs, præsente corpore, & priusquam terræ tradatur, ac circa castrum doloris, & in altaribus accenduntur: sicut etiam arma, lectum, ornamenta, culcitra, seu pannus sericus, tabulæ, & similia. Et id propter specialem, & antiquam consvetudinem, quæ vim etiam obtinuit ex decreto S. Congreg. *visit: Apost: die 5. Octobris 1620 ab Vrbano VIII.* approbato ut refert Pasqualigus ad Lauretum *de Franchis pri-*

ma part: sub numero Quæ tamen consvetudo, utpote localis non extenditur ad alia loca extra urbem, ut in terminis tradit Donat: singularissimum lumen, splendor & ornamentum Ord: Prædicatorum, *in praxi regul: tom: 3 tract: 11 quæst: 32. num: 2.* & facit quod habet Pignatell: *tom: 1. consult: 52. num: 5.* consvetudinem non transire de loco ad locum Ad dubium ergò nostrum sic ? ℞. cum distinctione ; velut certum : si una tantùm sit consvetudo omnium Ecclesiarum loci, in quo parochianus sepelitur, tunc quarta funeralis solvenda est, juxta consvetudinem legitimè præscriptam, ita ut si juxta eam minùs solvi consuevit, minùs solvendum est, si plus, plus quoque solvendum sit. Ita communissimè doctores ; & constat ex cap: *Antiquas X. quæst: 1. cap: certificari de sepulturis.* Si autem sint diversæ consvetudines Ecclesiæ : ejusdem loci, tunc neutri esse standum, sed portionem canonicam esse solvendam juxta jus canonicum, velut probabile cum alijs puto. Ita Moronus *Responso 52. n. 6.* Ratio est, quia consvetudo debet esse unius Ecclesiæ, nec de una ad alteram extendi.

Quæres. An parochis incumbit probare regulares teneri ad solutionem quartæ funeralis? ℞. *affirmativè,* in casu quo regulares ad quartam præstandam non teneri sustineant, parochis probare incumbit quadragenariam consvetudinem, eosque quadraginta annis supra publicationem Concilij eam solvere consvevisse ut in terminis respondit sacra Congreg: Concil: *in causa Minorum de observantia Provincia Polonia 30. Novembris 1682. lib: 32. decret: folio 476.* ubi ad quæsitum, an ad parochos, vel potiùs ad superiores regulares conventuum spectet onus probandi quartam

à con-

à controversis conventibus solvi consuevisse, vel non, per quadraginta annos ante Concilium? sacra Congregat: respondit, spectare ad parochum.

DUBIUM 5. *An ab hæredibus defuncti confratris sepulti in oratorio suæ sodalitatis aliquid solvi debeat proprio ejus parocho jure sepulturæ, quod in dicta civitate solvi solet?* R. cum Pignatellio *tom: 7. consult. 36. n. 10. affirmativè* per textum expressum in cap. *ad Apostolicam de simon.* Ubi Innocentius III. hanc piam & laudabilem consvetudinem pia devotione fidelium introductam præcipit observari, & declaravit sacra Congregat: super Episcopis in Sabinensi 27. Junij 1659. apud Nicol: *lucubrat: p. 1. lib. 4. tit: 15. n. 21.* & in Anconitana 19. Decemb: 1688. apud eundem *in flosc: V. confraternitas,* ubi concessum ex gratia ut confraternitas sepelire possit in sua Ecclesia omnes suos confratres ante infirmitatem, de qua discesserint in ea confraternitate descriptos de consensu heredum, & sine præjudicio quartæ funeralis, aliorumque emolumentorum, quæ spectarent ad capitulum vel parochum.

DUBIUM 6. *An ab eisdem heredibus defuncti, id ipsum solvi debeat, quando defunctus sepelitur in propria sepultura, vel eam sibi elegit in alijs Ecclesijs etiam regularium?* R. cum Pignatell: *l. cit: num: 12.* quoad utramque partem *affirmativè.* Quoad primam enim extat declaratio ejusdem sacræ Congregationis super Episcopis in d. Sabinensi apud eundem Nicolium *loco cit:* per hæc verba: *si adsit laudabilis consvetudo solvendi jus sepulturæ etiam pro ijs qui sepeliuntur in proprijs sepulchris servanda est,* & in Miletensi 25. Iulij 1606. apud eundem in hunc modum: *pro*

sepul-

sepultū in Ecclesia nova confraternitatis curatus idem recipere debet, ac si sepelirentur in sua parochiali. Et quoad regulares certum est, quod hoc jus sepulturæ non est quarta funeralis sive portio canonica, quæ debetur parocho, ad quam solvendam regulares non teneri ex suis privilegijs fortassè nunc asserunt. Sed est jus omninò distinctum à quarta, de qua solùm constitutio B. Pij V loquitur *in §. 11. & 12.* Ubi distingvit, primò conventus regularium qui solvere debent quartam, interpretando Concilium Tridentinum, ac deindè loquitur, de jure sepulturæ absque ulla distinctione. Si autem jus sepulturæ, non esset diversum. à quarta funerali superflua esset dispositio constitutionis super jure sepulturæ, dum vult quod quarta tantùm solvatur in certis casibus & jus sepulturæ indistinctè ac indeterminatè, quando fit consvetum. Quarta solvitur à regularibus ex ijs, quæ in funere deferuntur, jus verò sepulturæ solvitur ab heredibus defunctorum. Ne solvatur quarta, est ex privilegio ad commodum regularium, ut verò solvatur jus sepulturæ est in damnum heredum, ex laudabili consvetudine. Et quidèm quatenùs etiam hoc jus sepulturæ sit quarta, eam solvere tenentur regulares non habentes privilegium cum specifica derogatione *d. clem: dudum de sepult:* ut per *dec: 83.* post Tamburinum *de jur: Abbat:* & *dec: 49.* Millini *num: 1* etiam stante dispositione S Concil: Tridentini *cap: 13 sess: 25. de ref.* Nam aut eorum monasteria ædificata sunt citra 40. annos à publicatione dicti Concilij, & privilegia fuerunt abrogata; aut sunt ante 40. annos & cùm parochi sint quasi in possessione exigendi hoc jus trium juliorum, sive loco quar-

tæ,

ræ, sive jure sepulturæ, dicendum est, illos esse in possessione exigendi quartam, & Concilium non suffragari, ut discurrit Mill: *d. n. 1.* & declarat Barbosa de paroch *lib: 3. cap: 25. n. 13. & sequ.* juxta decisionem 84 coram Coccinio post Tambur *loc: alleg:* atque adeò debetur parochis id, quod à regularibus, & à defunctorum heredibus denegatur pro jure sepulturæ, quòd percepturi essent in suis Ecclesijs, non obstantibus constitutionibus Apostolicis, & SS. Congregationum decretis, cùm in dicta constitutione Pij V. præservetur hoc jus sepulturæ, quod sive sit diversum à quarta, ut probat Gabriel. *cons: 190. à num: 1. lib: 2.* potuit consvetudine introduci, ac taxari dictis iulijs tribus, ut prosequitur idem Gabriel, & Gration *discept: 210 num: 10. cum seqq: & dec: March: 20. n. 14.* Sive quartam etiam implicet, illa est debita juxta textum *in d. cap: 1. de sepult: & in d. Clem: dudum eodem tit*

DUBIUM 7. An parocho dari debeat duplex stipendium, quod dari soleat alijs secerdotibus, pro associatione funeris, quando ad dictam associationem invitantur regulares, vel societates, vel capitulum, sive cadavera tumulentur in Ecclesia parochiali, sive in Ecclesijs regularium, sive in oratorijs societatum? ℟. cum Pignatellio *l: cit: n. 15.* etiam *affirmativè*, Ex declaratione sacræ Congregationis super Episcopis in Lassanensi 5. Maij 1607. apud Nicolium *d. p. 1. lib: 4. tit: 15. n. 22. ampl: 3.* tenoris sequentis; *regulariter Archipresbytero sive curato solvenda est duplex merces, quàm sit ea, qua solvitur singulis alijs, presbyteris ordinarijs* Quod etiam servatur Romæ ex statuto cleri Romani cap: 6. §. 13. quia parochi comitantur funus cum stola.

DUBI-

DUBIUM 8. *An parochi præter solitam eleemosynam, cogere possint heredes eorum, qui sepeliri volunt in Ecclesia regularium ad solvendum aliquid aliud?* ℞ *negativè.* Ita Pignatellius *tom: 4. consult: 208.* & ejus compediator *tit: de sepult: elect: pag: 393.* Ratio est: quia cùm regulares tam inspecto jure communi, quàm etiam attentis privilegijs Apostolicis, habeant jus sepeliendi cadavera in suis Ecclesijs. Ut Fagnan: in cap: *fraternitatem n. 6. de sepul:* quod à parochis impediri non potest *Ricc: in prax q. 4. resol: 193. num: 22.* Indè fit quòd parochi, cogere non possunt heredes ad solvendum aliquid plus præter solitam eleemosynam, dùm hoc modo illis præjudicaretur, sicut etiam fraudarentur laici habentes liberam facultatem eligendi sepulturam, quod proinde admittendum non est. Passar. *de hom: stat: q. 187. art: 4. n. 187. tom: 2.* Ubi ex mente sacræ Congregationis Episcop: & regul: probat, quòd non possit parochus prætendere plus ex eo, quòd extra suam parochialem Ecclesiam fuerit electa sepultura, sive in Ecclesia seculari, sive regulari. Quodque faciliùs negandum est, ponderando, quòd Paulus V. in sua constitutione edita sub die 25. Iun: 1608. ad favorem Fratrum Minorum de Observantia *in Bulla tom: 3. in ord: 47.* tollendo hujusmodi abusus, prohibuit rectoribus Ecclesiarum parochialium Jndiarum occidentalium & orientalium, ne aliquid exigerent ultra præscriptum à sacra Congreg: Concilij Tridentini *sess 25. cap: 13.* & à constitutione B. Pij V. edita anno 1567. Quæ Pauli constit: fuit confirmata ab Urbano VIII. anno 1624. ut in eodem Bullario necnon 1527. de qua mentionem fecit Consil: 201. ac denique à Clemente X. 18. Ianu-

 arij

arij 1672. & *in eodem Bullar:* qui approbavit & confirmavit supra dictum decretum sacræ Congreg: Episcoporum & regul. Hujusmodi autem constitutiones favent etiam cæteris regularibus, dum emanarunt ex causa universali ad tollendos scilicet abusus introductos contra formam S. Concilij Tridentini & constitutionis Pianæ. Et quòd præfata decreta & constitutiones suffragentur omnibus religiosis firmant Lezan. *in sum* §. *sepultura n 5* & alij quos refert & sequitur Passar. *ubi supra n. 167.* idque ex mente disponentium, & ex identitate rationis, ut ex Peyrin *tom: 1. privil: 3. c. 4. n. 8.* Pelliz. *tract: 8. d. 9. sepultura in addit n. 2.* Et generalitèr, quòd dispositio principis in favorem certæ personæ, & in casu particulari facta & edita, habeat vim legis, ita, ut omnibus suffragetur, tradit Socin: *cons: 36. lib: 4 & cons; 39. n. 2. lib: 2.* Hinc cessat prætextus, quod parochi sint soliti plus aliquid exigere ultra solitam eleemosynam. Tum quia hujusmodi exactio, uti abusiva fuit declarata in præfatis constitutionibus, atque adeò non potest in ea fieri fundamentum. Tum quia per actus extensivos non potest induci aliqua consvetudo, cùm ad talem effectum requirantur continuæ solutiones voluntariè factæ, non autem ad tollendas vexationes, ut tradit in terminis. Gratian. *discept: 210. n. 23. & sequ.*

DUBIUM 9. *An ijdem heredes poßint cogi ad solvendam Clericis secularibus, cùm intersint funeri occasione cadaveris sepeliendi in Ecclesia regularium. duplicatam Eleemosynam?* R. pariter *Negativè* Ita Pignatelli: ex ijsdem rationibus, cùm id aliaque hujusmodi non solùm redoleant cupiditatem & avaritiam Abb: in *cap: abolen-*

abolenda col: fin: num 9. *de sepult*: Bellarm: *Const*: 32. *col*: 4. *in fin*: cum alijs. Verum etiam repugnent libertati electionis sepulturæ. Et declaravit sæpius sacra Congreg: Episcop: & regul: referente Nicolio in floscul: V. *sepultura num*: 25 per hæc verba. *sacra &c. Inhærens declarationibus aliàs desuper editis, non licere parochialium Ecclesiarum rectoribus majorem eleemosynam pro defunctis in Ecclesijs regularium sepeliendis exigere, quàm eis solveretur, si in proprijs vel alijs secularium Ecclesijs sepeliri deberent & contrafacientes ab ordinario panis & censuris sibi benè visis, severiùs esse puniendos* 27. *Februarij* 1593. & 22. *Augusti* 1642. *Quod approbavit d. Clemens X. d suo brevi in Bullarium relato.*

Neque obstat consvetudo contraria. Nàm etiamsi legitime probaretur, non relevaret. Tùm quia decretum irritans constitutionum Apostolicarum pro omnimoda libertate sepulturæ ad favorem regularium impedit quamcunque præscriptionem & consvetudinem in contrarium ex vulgatis. Tùm quia hujusmodi consvetudo tanquàm irrationabilis, & scandalosa non est toleranda, sed radicitùs evellenda ut decidit textus *in d. cap*: *abolenda de sepult*: Et cùm tollat jus tàm regularibus, quàm etiam laicis non valet, ut tradit D. Fagnan: in cap: *Quæ in Ecclesiarum num*: 115. *de constit*: Præterquam quod, hoc prorsùs inhibetur ab Innocent: XI. in fori Ecclesiastici taxatione, in materijs spiritualibus. Vide Theatrum regularium Lantuscæ, in fine, sub hoc titulo, Italico *Tassa Innocentina*.

DUBIUM 10. *Quidam parochus exegit plus pecuniæ ab heredibus defuncti cupientibus cada-*

ver sepeliri apud regulares eo fine, ut illos retraheret à sepultura regulari, & eosdem induceret ad sepeliendum defunctum in sua Ecclesia parochiali; an iste parochus peccaverit, & in aliquam pœnam inciderit? R. peccavit mortaliter vitio simoniæ ut colligitur cap: *Audivimus* 41 *de simonia* ubi magis ad rem hanc cap: *non sunt* cap: *cum in Ecclesiâ* 9 eodem *cap: quæsti* 12. 1, 3. q. 2. cap: *præcipiendum* 15 *ead:* Confirmatur id, quia adest excommunicatio contra parochos Indiarum in re hac, ex Bulla Clement: VIII apud Rodriq: Bullar. fol: 1205. referente Portello V. *sepultura in addit: num* 2. extendente eandem pœnam ad alios parochos extra Indias. Tum quia est favor totius religionis; Tum quia est declaratio juris communis, imò naturalis, quo curati non possunt petere aliquid ultra jus parochiale, & id de justitia; cui assentitur Peyrin *tom:* 3. *privileg: cap:* 4. *num:* 8. Sed allatæ rationes probant solum peccatum simoniæ & iniquitatem curati sic agentis, nulla tenùs eam pœnam extendi ad quoscunque parochos; pœnæ siquidem extendendæ non sunt sed restringendæ ex vulgatis juribus, simile nostræ responsioni est, quod censuit sacra Congregatio non posse curatos plus recipere pro tumulandis cadaveribus forensium, quàm civium sub die 27. Maij 1617. apud Lavorium *tom:* 2. *cap:* 10. *num.* 7. Hæc ex Bordono *Resol: L.* 12 *Quæres* 61.

§. IX.

Quoad jus sepulturæ.

DUBIUM 1. *Quid & quotuplex sit jus in sepulturam?* R. Sepulturam sumptam pro jure

nil aliud esse, quàm jus, quod aliquis habet in locum sepulturæ, seu locum in quo tumulantur, defunctorum cadavera. *Quoad secundam partem.* R. jus in sepulturam seu locum sepulchri esse duplex, activum, & passivum. Ius activum, nil aliud est, quâm facultas competens alicui Ecclesiæ ad sepelienda cadavera defunctorum in suo cæmiterio; vel sepulturæ loco. Ita communissimè Doctores. Ad hoc jus activum pertinet jus ad se revocandi cadavera per violentiam, vel fraudem, in alia Ecclesia sepulta: & omnes oblationes, & beneficia occasione sepulturæ acquisita, Jta Passerinus *num:* 2 52 constat ex cap: *Cùm liberum*. Hinc.

Collige 1. Necdum cadaver recenter sepultum, sed & illud quod multo tempore in sepulchro delituit, cujusque ossa tantùm supersunt, restitui debet Ecclesiæ, in qua tumulari debebat, dùmmodò ossa illius corporis ab alijs discerni possint, nam ex hoc casu non debet quidem exhumari, sed eum, qui contra jus cadaver sepelivit publicare, nullum jus alterius Ecclesiæ violatum esse. Jta sacra Congregatio 1. Martij 1641.

Jus passivum, consistit in eo, quòd aliquis possit, ac debeat in aliquo sepulchro sepeliri; nec aliquis alius in eo tumulari; ita ut sine injuria ille ab illo excludi non possit, nec alius in eo tumulari, nisi hoc cederet in notabile Ecclesiæ, & divini cultus præjudicium; & id esset majoris boni impeditivum. Ita communiter DD. Hinc.

Collige 2. Patronus aut alius quicunque habens jus in aliquod sepulchrum potest agere pro exhumatione cadaveris, quòd ipso invito

in ejus tumulo reconditum est. Ita Passerinus num: 375. afferens varias declarationes Cardinalium.

DUBIUM 2. *Quibusnam competat jus activum concedendi sepulturam?* ℞ *imo* Hoc jus activum competit Ecclesijs, vel ex jure communi, vel ex consvetudine, vel ex privilegio. Ita cum S. Antonino, Tabiena, Sylvestro, Passerinus *tom: 2. de statibus quæst: 177.* ℞ *2do* Nulli Ecclesiæ competit jus privativè, ne defuncti in aliqua alia Ecclesia sepeliri possint, sed in loco ad se pertinente sepeliantur. Ita Passerinus *n.* 133. Ratio est, quia nulla lex potest ostendi, quæ hoc jus alicui Ecclesiæ dederit. ℞ 3. Jus admittendi cadavera in hoc, vel illo loco, de jure competit soli summo Pontifici pro tota Ecclesia: Episcopis pro sua Diœcesi. Ita Passerinus *num.* 132. Hinc.

Collige 1. Ecclesijs parochialibus non competere jus concedendi defunctis sepulturam, nisi Episcopus ijs deputârit cæmiterium. Ita Fagnanus cap; *Fraternitate de sepultura num.* 4. *Passerinus.*

Collige 2. Ecclesijs Cathedralibus hoc jus sine consensu Episcopi non competere. Ita cum Lavorio Passerinus.

Collige 3. Hoc jus habere originem à gratia & privilegio hoc sensu, quòd quævis Ecclesia hoc habeat à Pontifice vel Episcopo.

Collige 4. Defactò jure communi omnis Ecclesia etiam regularium, & omne cæmiterium ab Episcopo vel Papa pro cæmiterio deputatum, habet facultatem sepeliendi mortuos, cum hac tamen differentia, quòd Ecclesiæ non habentes populum, habeant tantùm jus sepeliendi illos, qui

qui in eis sepulturam elegerint. Constat ex cap: *Fraternitatem de sepulturis.* cap. *Cùm liberum* cap. *de uxore* Dixi etiam regularium, uti constat ex cap: *Fraternitatem,* in quo dicitur eorum Ecclesias hoc jus habuisse ab antiquo cap. *Agapitus* 12. 16. *quæst:* 1. cap: *ubicunque* 6. 13. q. 2. & docet Fagnanus; Passerinus. Unde hoc jus non competere regularium Ecclesijs, ex privilegio, quatenus privilegium dicit privatam legem contra jus commune. Jta Fagnanus; Passerinus.

Collige 5. Nullus habens jus activum, tenetur sepulturam concedere illis: qui eam in sua Ecclesia elegerunt, nisi essent particularia membra illius Ecclesiæ. Jta contra Lavorium Passerinus *num* 371. Ratio est, quia libertas eligendi sepulturam involvit hanc conditionem, dùm modo rector Ecclesiæ consentiat, & electionem admittat.

Collige 6. Facultas concedendi actualem sepulturam in loco jam pro sepultura deputato, puta cæmiterio, sepulchro jam extructo, competit cuivis rectori Ecclesiæ. Jta Passerinus *n.* 366. & constat ex praxi.

Collige 7. Spectato jure communi facultas concedendi titulum sepulturæ, seu cum nova fractione pavimenti cum jure, ut nullus alius possit in eo sepeliri, competit soli summo Pontifici. Jta cum communi Passerinus *n.* 368. Ratio est, quia cùm per concessionem illus tituli imponatur quoddam onus Ecclesiæ, est aliqua species alienationis, quæ juxta extravagantem *Ambitiosæ. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, competit soli summo Pontifici. Dixi *Jure communi*: Quia spectata consvetudine, quæ

hodie per orbem viget hæc facultas competit Episcopis respectu Ecclesiarum ijs subjectarum & meritò, quia illa concessio cedit in evidentem utilitatem Ecclesiarum.

Collige 8. Nisi obstet lex specialis in contrarium, quilibet rector Ecclesiæ habens jus in illam, potest concedere absque alterius licentia titulum in novam sepulturam, adeoque pavimentum frangere pro tumulandis cadaveribus. Ita communiter DD. Rota apud Passerinum *num* 370 Constat ex praxi communi, quæ ob utilitatem Ecclesiæ non servat constitutionem de rebus Ecclesiæ non alienandis. Dixi *habens jus in illam*; nam ex hujus juris defectu FF. Minores nullum jus alicui in sepulturam, capellas concedere possunt; sed solùm Syndicus nomine Papæ, (loquor de Minoribus de Observantia) dùmmodo Fratres capitulariter congregati id utilitati conventûs convenire prius judicârint. Ita constitut: Barchinonenses *Cap: III. IV. num: VIII. & IX.*

Collige 9. Jus in sepulchrum, ut aliquis in aliquo loco sepeliatur non est dominium fundi. Ita communissimè Doctores. Ratio est; quia fundus remanet Ecclesiæ, nec alienatur sine consensu Papæ.

DUBIUM 3. *Quomodo acquiratur jus in sepulchrum?* ℟. Hoc jus acquiritur quadrupliciter. Concessione ac ædificatione sepulchri, esto construens sepulchrum hoc non exprimat, quia tacitè sibi jus in illud reservat. Ita Passerinus *num:* 386. Hæc enim est mens construentis 2. acquiritur hereditate constat *ex cap: de sepultura* 3. per donationem, legatum, dotem, præscriptionem, emphyteusin, feudum, privile-

vile-

vilegium, confiscationem, ita ut fiscus acquirat jus sepulchri in casu, in quo fit publicatio omnium bonorum. Ita Passerinus *quæst:* 180. *inspectione* 4. *cap.* 7. 4. Emptione. Ita communissimè Doctores.

DUBIUM 4. *In quibus casibus amittatur jus sepultura?* R. breviter in sequentibus 1. per simoniam, occisionem rectoris factam à domino sepulchri; per tumulationem alicujus vivi, vel aliud delictum in sepultura à domino commissum: per hæresim, favorem hæresi exhibitum, crimen læsæ majestatis. 2. amittitur destructâ Ecclesiâ, cessione, fundi venditione; nisi sit exceptum, vel habeat aditum, ex publico per usum contrarium, non autem per non usum. Jta cum commumi Passerinus. Jn casibus, quo jus sepulturæ amittitur, non possunt auferri insignia fundatoris, sed illa semper in memariam illius debent remanere, nec à novo herede, vel ab Ecclesia, ad quam devolvitur, à sepultura auferri. Ita Peyrinus *ad constit:* 26. *Leonis X.* & *tom:* 3. *cap:* 2. *num:* 47. Lezana verbo sepultura *num:* 16. Bordonus *Resol.* 511 *num:* 73. Undè inscriptiones delendæ non sunt, si sint pro memoria insculptæ dicuntur monumenta ad perpetuam memoriam facta causa honoris *l.* 2. *§. monumentum §. de Relig:* & *sumpt: fun:*

DUBIUM 5. *An regulares alteri poßint concedere sepulturam ejus, cujus amplius heredes non sunt?* R. *affirmativè*, quia extingvitur illud jus, & tendit liberè ad Ecclesiam, quæ ideò illud alijs liberè concedere potest ut docet Petrus de Ubald: *de port: canon: cap:* 10. *n.* 6. Sylvestr: V. *sepult: quæst:* 3. quos pro se citat Lauor *tit:* 2. *cap:* 9. *n.* 21 quibus adde Tabien: *n.* 21. Rodr: *cum suo compent*

resol:

resol: 128. n. 12. Portel *p. 2. casu 20.* limitando in casu, quo elector sepulturæ antiquus dederit aliquid perpetuum, quia per id Ecclesia pactum fecisse videtur, ut ibidem nullus extraneus sepeliatur. Sed id non urget; quia illud censetur reliquisse in suffragium animæ suæ, & non perpetuò conservaret illud jus, cujus perpetuitas frustratoria est, cùm ad nihil deserviat Confirmatur, quia in hoc jus sepulturæ, cùm sit potiùs usus, æquiparatur usuifructui, qui cum usufructuario extinguitur, & redit ad proprietarium nisi expressè transferatur in extraneum.

DUBIUM 6. *An sepultura vendi possit?* Ratio dubitandi nam prohibetur aliquid exigi pro sepultura cap: *præcipiendum 15 13. quæst: 2* cap: *Abolendæ 13. de sepult.* imò sunt simoniaci exigentes, seu vendentes sepulturam, ubi prohibetur ne religiosi aliquid accipiant pro illis, qui eligunt sepulturam apud regulares. Ratio est, quia spirituale, neque spirituali adnexum, cujusmodi est sepultura vendi potest. R. cum Bordono *resol: 51. n. 75.* Sepultura tribus modis spectari potest. *Primò*, ut est in fieri, sed nondùm facta ut est purus locus nondum deputatus ad id pro sepeliendis mortuis, & in hoc sensu vendi potest, quia est locus purus & materialis nullam habens annexam religiositatem, aut spiritualitatem consecrationis aut benedictionis, consequenter venalis, nulla lege prohibitus, & in hoc nullus dubitat, quin vendi possit, Glossa *cap: Abolenda eodem*, quia nemò de suo compellitur beneficium facere alteri ex D. Thoma, Sotus *lib. 9. de just: quæst: 7. artic: 1. §. Primi capitalis.* Bonac: *quæst: 4. de simon: p. 6. Lanor tit: 2. cap: 10. n. 25.* *Secundo*, prout est jam facta & deputata consecratione vel benedictione,

& sic

& sic cùm sit locus religiosus habens spiritualita-
tem annexam, vendi non potest ex citatis in dubio
juribus, ut docent omnes communiter. *Tertio*, pro
materiali prout dicit constructionem & expensas
factas, vel faciendas præscindendo à spiritualita-
te & jure sepeliendi, & in hoc sensu vendi potest
sepultura, seu potius peti possunt expensæ in ea
factæ, quia nihil in his spiritualitatis spectatur,
ratione cujus prohibeatur vendi. Tum quia ca-
lix quatenùs dicit materiam hujus vasis, præscin-
dendo à spiritualitate vendi potest ut omnes do-
cent, ergò à fortiori sepultura, quæ minorem ha-
bet spiritualitatem. Tum quia religiosi, neque
alij tenentur proprijs expensis construere sepultu-
ras pro secularibus ergò respectivè ad expensas
possunt illas vendere. Tum quia ementes sic se-
pulturam, addunt pactum, ut plurimum ne quis in
ea sepeliatur contra eorum voluntatem, quod pa-
ctum de justitia observandū est, ex quo usus sepul-
turæ fit proprius, & id est quòd dicit Glossa V, *in*
sumptum cap. *judices* 23 I. *quæst.* *I* aliqui dicunt
vendi posse sepulturam respectivè ad quasdam
circumstantias, quæ non sunt necessariæ ad sepul-
turam v. g. ut quis sepeliatur in meliori, com-
modiori, honoratiori, & ibi alius extraneus non
sepeliatur, alijs citatis docet Genuens: in praxi
Neapol: *tit*: 2. *de funer*: *cap* 10 *n*. 15. Itaque,
ratione expensarum, loci honoratioris, commo-
dioris, melioris, proprietatis usus & similium ali-
quid exigi potest, sine vitio simoniæ In confir-
mationem dictorum observa duplex jus sepultu-
ræ (ut suprà diximus) unum activum, alterum
passivum. Ius activum spectat ad Ecclesiam &
illius superiores, & hoc spirituale est, residens in
solis Ecclesiasticis, quo mediante gratis conce-
ditur

dunt alijs usum sepulturæ, & id jus cùm sit merè spirituale nequaquam vendi potest, juxta superiùs jura allegata. Alterum passivum, quo quis usum habet concessum sepeliendi suos mortuos in determinato loco, à quo alij excludi possunt, si velit, habens jus passivum, & id pariter spirituale.

Observa 1. Ex nostro Bonavent: de Iano *tract: 7. de 1. Decalog: præcept: lib: 7. dub: 8. num: 16.* Et si à jure canonico prohibeatur exactio pro sepultura ut pretium, non autem si sponte aliquid offeratur; & etiam permittitur; si diuturna consvetudo introducta sit, ut aliquid detur absque turpi exactione specie avaritiæ; talis consvetudo servari debet glos: *fin: in cap: Abolendæ cit: licet clerici exigere non possent, laici tamèn compelli possunt pias & laudabiles consvetudines observare, si quæ super hoc fuerunt; multa enim inhonestè petuntur, quæ honestè recipi possunt.* De hac consvetudine loquitur etiam Innocent III. De simonia cap. *ad Apostolicam quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consvetudines præcipimus observari.* Abb: in cap: *Abolendæ n. 7.* & in cap: *suam n. 5 de Simon.*

Observa 2. quod si quis certum locum Ecclesiæ, vel cæmiterij sibi suæque familiæ tanquam proprium vendicare velit, non videtur prohibitum pro tali jure, aliquid exigere præsertim ubi consvetudo viget; quia talis obligatio incumbens clericis, quòd alium in eo loco sepelire non possunt, videtur esse pretio æstimabilis, sicut notavit Suarez cit: *cap: 14. n. 22* Binsfeld super cap: *audivimus* De Simon. q. 1 conclus: 4.

DUBIUM 7. An Ecclesiastici possint concedere sepulturam cum pacto expresso acceptato per

per illos accipiente sepulturam, ut nullus nisi de familia sua in eadem sepeliatur, sine ejus licentia? ℞. *affirmativè*, & hoc pactum servandum est ab Ecclesiasticis; primum patet ex communi usu totius orbis fundati in ratione, nam quilibet in domo sua potest facere, quod sibi libet, & suæ rei quilibet est arbiter, & moderator, ex vulgatis juribus; sed sepultura dicitur habitio, domûs, & requies mortuorum. Glos *in cap: nu 15. 13. q. 2.* secundum etiam patet, quòd hoc pactum sit servandum, Ratio est, quia est licitum, *arg: cap: 1. & 3. de pactis in 6.* in quibus locis à Bonifac: VIII. approbantur pacta inita inter curatos & regulares circa sepeliendos mortuos.[Nau. *cons: 1. de sepult:* Abbas cap. *pen: eod: n. 5. Roman singul: 691.* ubi excipiunt casum necessitatis, quo posset rector permittere sepulturam propriam etiam alijs

DUBIUM 8 *An in capella cujus aliquis est patronus, sine ejus licentia, concedi poßit sepultura extraneo?* ℞. *negativè*, requiritur enim licentia patroni, quia sicut in fundo in quo quis habet usum, dominus non potest habitare contra voluntatem usuarij *l. si habitatio §. fin: ff. de usu & habit.* ita neque Ecclesia, quæ est domina directa Ecclesiarum & capellarum potest habitare per se vel per alium constructione sepulturæ. Ita Petrus ubald: *de canon: part cap: 12. num: 5.* Neque obstat c. 1. de sepult: posse quemlibet alienam sepulturam eligere, quam etiam Christus elegit; quia hoc intelligitur respectu Ecclesiæ, & sepulturæ communis, non autem proprietariæ & familiaris, respectu cujus requiritur licentia patroni.

DUBIUM 9. *An patronus poßit agere de ex-*

terra-

terratione cadaveris extranei illati in proprium sepulchrum sine licentia? ℞ *affirmativè, argum cap: fraternitatem* 3. *cap: ex parte* 5. cap: *cum liberum* 6. *de sepult: cap:* 1. *eode in* 6. ubi mandantur exterrari corpora, & restitui proprijs sepulturis, ergò & in casu nostro in quo recondita cadavera non dicuntur requiescere in proprijs sepulchris, sed in alienis. Quarè inferens mortuum in alienum sepulchrum, tenetur pæna violati sepulchri de qua violat. Lauor *tit:* 2. *cap:* 9.

DUB: 10. *Ad quosnā superiores regulares spectet construere novam sepulturam & eam illis concedere?* ℞. cum Bordono *l. cit: n.* 84. sufficit superior localis cum sui conventus consensu: Ratio est, quia ipse cum suo conventu est immediatus dominus suæ Ecclesiæ, & sepulchrorum in ea, seu cæmiterio, ergò ad ipsum spectat, non ad majores, cùm jus commune nihil de hoc disponat. Firmatur ratio, quia is non est actus alienationis, ad quem requiratur licentia majorum superiorum, cùm non sit translatio dominij, neque proprietatis alicujus rei; sed simplex concessio usûs, & actûs sepeliendi defunctos. Bonac: *tracti var: de elienat p.* 2. *n.* 12. cum Quarant v. *alienatio n.* 29. Riccio *decis:* 42. *n.* 6. videtur inhærere Portel: *p.* 2. *casu* 20. contra plures alios, requirentes eam solemnitatem, quæ exigitur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quos refert Lauor *tit:* 2. *cap:* 8. *n.* 8. ubi requirit licentiam Provincialis, eo quòd hunc vocat actum alienationis *cap.* 9. *n.* 113. cùm Navar *consil:* 1. *de sepult:* requirente licentiam Episcopi respectu clericorum Genuens: *cap:* 32. *n.* 17. Ecclesia Parmensis habet hoc statutum, ne quis possit sepulturam de novò construendam concedere, nisi de licentia Episcopi, vel

vel vicarij, & donatum ea occasione applicandum est Ecclesiæ, quæ concessit sepulturam, Synodus sub Jllustrissimo Cornazano *tit: 40.*

DUBIUM 1. *An cadavera defunctorum possunt transferri de uno ad aliud sepulchrum, seu ab una ad aliam Ecclesiam, & cum qua licentia?* ℞. cum Bordono *loc: cit: n. 89.* Corpora perpetuæ sepulturæ tradita etiam in Ecclesijs regularibus non possunt transferri de loco ad locum sine licentia Episcopi *cap: corpora 36. de consecrat: d. 1.* & licet textus ibi loquatur de corporibus sanctorum, tamen ex Glos: applicatur etiam cadaveribus non sanctorum. Et ita expressius statuit Paulus V, in suo rituali illis verbis: *Nullum porro cadaver perpetua sepultura traditum ex nulla cujusvis ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Episcopi* Licentia ergò requiritur, quando cadaver habet perpetuam sepulturam, unde si fuit depositum ad tempus, eo finito poterit cadaver transportari ad aliam Ecclesiam sine licentia ordinarij, quæcunque sit ea Ecclesia, ad quam fit asportatio, etiam extra diœcesim, cùm in locis civitatis nulla sit distinctio Ecclesiarum ejusdem, vel diuersorum ordinariorum, sed tantùm exprimatur, quòd petenda est licentia Episcopi, à quo fit transportatio Respectu verò ejusdem Ecclesiæ de jure communi nulla requiritur licentia, licet corpora sint tradita perpetuæ sepulturæ. Glos *in cit: cap: corpora compend: resol: 128. num: 25.* Diana *resol: 120 de regul: citantes Villad.* & asserentes, Leonem X. concessisse privilegium Minoribus de Observantia transferendi cadavera ab una ad aliam sepulturam ejusdem Ecclesiæ de licentia tamen illorum quorum interest, scilicet patronorum sepulchrorum, *compend: cit,* cum Rodr: *tom:*

3. quæst: 62. artic: 1. Portel in addit §. sepulturâ. Loquendo autem de cadaveribus ipsorum religiosorum, possunt transferri de sola licentia Provincialis ab uno conventu ad alium, quia quoad hoc non subijciuntur Episcopo cui neque subdebantur dùm viverent argu: c. sacris de sepult.

Parmensis Synodus tit: 40 de sepult: sub Episcopo Cornazano interdicit, ne quis cadaver sub quovis prætextu in aliud sepulchum transferendi extrahat è sepulchro sine licentia Episcopi, vel Vicarij sub pœna excommunicationis ipso facto; quod procedit simpliciter respectu corporis perpetuò traditi, non autem depositi ad tempus; sive extractio fiat, ut recondatur in sepulchro alio ejusdem Ecclesiæ, sive alterius, seu ut evacuentur sepulturæ. Ea autem pœna afficit omnes, qui sunt causa extractionis, cùm statutum non exprimat personas, sed tantùm actionem. Regulares nequaquam comprehendit, notaria siquidem est eorum exemptio.

§. X.

Quoad probationem sepulturæ.

DUBIUM I. *Qualitèr electio sepulturæ probetur?* ℞. Electionem sepulturæ in aliqua Ecclesia sufficientèr, & irrefragabiliter probari, quotiescunque per quamcunque viam & modum innotescit defunctum sepulturam in aliqua Ecclesia elegisse, ut de eà prudentèr dubitari non possit. Jta in re communitèr Doctores. Samuellius, quem citat ac sequitur Murga *n.* 3 & alij plures. Ratio est, quia ex nullo jure constat, quòd aliquæ aliæ solennitates ad hoc exigantur. Hinc sacra Congregatio 1615. 11. Decembris in favorem Ordinis Minorum resolvit, ad validam electionem sepul-

ſepulturæ, non exigi ſcripturam, ſed ſufficere teſtes. Hinc

Collige 1. Electionem ſepulturæ certò & irrefragabiliter probari per teſtamentum, in quo aliquis teſtatur ſe in tali Eccleſia velle ſepeliri. Ratio eſt, quia ſepultura eſt pars ultimæ voluntatis, quæ clariſſimè declaratur per teſtamentum.

Collige 2. Sepulturæ electionem ſufficientèr pro utroque foro probari per codicillum validum. Ita communiter DD.

Collige 3. Per codicillum invalidum ſufficientèr probari ſepulturam. Ita præter multos, quos citat ac ſequitur Murga ſupra. Donatus *quæſt*: 21.

Collige 4. Electionem ſepulturæ ſufficientèr probari per teſtes ſingulares, hoc eſt eos, qui teſtantur quidem ſe audiviſſe, quòd defunctus voluerit ſepeliri in tali Eccleſia, ſed unus dicit ſe audiviſſe tali die, vel in tali loco, alius in altero. Ita præter plurimos quos citat ac ſequitur Murga *n.* 6. Donatus *n.* 4. Brognoli. Ratio eſt, quia omnes teſtantur de electione, ſed ſolùm diſſentiunt de loco & tempore.

Collige 5. Libros in archivis, ſcripturas privatas continentes rationes debitorum ſolutionum, cenſus, redditus, proventus, eſto nullus ijs authenticè ſubſcripſerit, ſufficienter probare electionem ſepulturæ. Ita plures quos citat ac ſequitur Murga *n.* 10. conſtat *ex cap: Pervenit* III *quæſt*: 1. *c. cum cauſam* 13 *de probat* cap. *ad audientiam de praſcript.* In quibus adhibetur fides libris antiquis repertis in archivis. Hinc

Collige 6. Religioſos & clericos poſſe eſſe idoneos teſtes de electione ſepulturæ in propria Eccleſia. Ita Brognoli *tract*: 4. *cap*: 14. *n.* 31.

Collige 7. Electio sepulturæ nec in foro conscientiæ, nec in foro externo probatur per unicum testem. Ita cum multis Murga *conclus*: 5. *n*. 3. Donatus *quæst*: 21. *Ratio est*, quia ubi agitur de præjudicio alterius, & dispositione, quoad pias causas, sicut agitur in proposito, nam agitur de præjudicio Ecclesiæ, in qua defunctus sepeliendus est, unicus testis non probat; sed exiguntur plures ut constat ex *cap*: *cum esses de testament*. Hinc

Collige 8. Velut probabiliùs, Electionem sepulturæ non probari sufficienter per dictum confessarij. Ita Donatus *quæst*: 21. contra Brognolum, Bordonum & multos alios. Ratio est eadem, quia cùm electio sepulturæ manifestata confessario sit pia dispositio, ad quam exiguntur plures testes, dictum confessarij nil probabit.

Collige 9. Dum testes inter se non conveniunt, sed unus testatur defunctum elegisse sepulturam in hac Ecclesia, alter in alia, tunc coniecturis standum est, quibus verisimilius moveri potuerit, ad eligendam sepulturam, potiùs in hac quàm in illa Ecclesia. Ita Brognoli *n*. 28. Donatus *tract*: 10. *quæst* 7. *Hinc*.

Collige 1. Stante diversa depositione testium, quoad electionem sepulturæ, in Ecclesia parochiali, in qua majores sepulti sunt, quam ordinariè frequentavit, & alia non parochiali, defunctum sepeliendum esse in Ecclesia parochiali &c.

Collige 2. Decedentem ab intestato, si capellam sibi fabricavit cum sepulturâ, cum armis, inscriptionibus, sepeliendum esse in sepulchro à se fabricato. Ita Auctores citati. Ratio est, quia talem sepulturam censetur elegisse

Collige 3. In mero dubio, an defunctus, in

hac

ic, vel in illa Ecclesia sepulturam elegerit, eum
peliendum in sepulchro, in quo de jure sepeliri
buit. Ratio est, quia in hoc casu non censetur
pulturam elegisse.

§. XI.

Quoad sepulturam tempore interdicti.

DUBIUM I. *An interdictum privet fideles ecclesiasticâ sepulturâ?* R. *affirmativè*, tertius enim interdicti effectus sive localis, sive personalis tam generaliter, quàm specialiter lati simpliciter & absolutè absque ulla limitatione seu modificatione, est privare fideles, ne tempore interdicti in loco interdicto possint habere post mortem Ecclesiasticam sepulturam, nisi esset aliqua persona excepta in jure, vel habeat aliquod particulare privilegium à Sede Apostolica circa hoc concessum; idque colligitur ex cap: *quod inter ... tanit: & remiss:* & Clem. *1. de sepulturis* & libi. Ratio hujus privationis est; sic enim à jure bus statutum est ob majorem rigorem disciplinæ Ecclesiasticæ, & ut fideles satagant liberari ab interdicti gravamine tollendo causam interdicti per resipiscentiam, & ablationem contumatiæ, ut fideles videntes ignominiam, quòd ipsorum corpora post mortem non possint habere Ecclesiasticam sepulturam, durante interdicto majori cum diligentia procurent tollere delictum, quod sit causa talis interdicti. Ita Sayrus *de cens: ... 18. cap: 4. n. 90.* Suarez *d. 3c. sect: 1.* Bonac: *tom: 1. d. 5. p. 5. n. 1.* Firmatur ratio; quia interdictum, sive locale, sive personale absolutè & simpliciter latum generaliter & simpliciter

est intelligendum, quoad omnes effectus talis ce-
suræ: sicut è contra interdictum limitatum i-
telligitur tantummodo de sola illa actione e-
pressa in sententia, sed interdictum tale absolu-
& simpliciter latum inter cæteros effectus incl-
dit privationem Ecclesiasticæ sepulturæ: ergo i-
terdicti tempore in loco interdicto non possu-
licitè sepeliri corpora in Ecclesiastica sepultur-
Quando autem etiam personæ ipsæ essent inte-
dictæ, tunc ullo modo, neque in loco interdict-
neque alibi in loco sacro possunt sepeliri, qui-
tunc censura interdicti sequitur personam pers-
naliter interdictam ubicunque se invenerit: I-
communiter omnes Canonistæ *in Clement. 1. d*
sepulturis. Dixi (*nisi aliqua persona esset exe-
pta in jure*) &c. Nam in jure canonico excip-
untur ab hac privatione post mortem Ecclesiast-
cæ sepulturæ clerici omnes, quibus permittitu-
Ecclesiastica sepultura tempore interdicti local-
sive generalis sive specialis, dummodo tales no-
essent personaliter interdicti, nec dedissent ca-
sam culpabilem interdicto: & sub nomine cle-
corum non solùm intelliguntur sacris Ordinib-
ordinati, sed etiam si tantùm essent initiati p-
mâ tonsurâ, atque etiam omnes regulares utri-
que sexus, sive sint clerici, sive laici, sive novi-
prout dicunt DD. statim citandi. Quarè i-
clerici sive regulares tempore localis interdi-
morientes, secundùm jus antiquum sepelien-
erant in eorum Ecclesijs, sed absque ull-
pompa funerali, & sine officio, vel son-
campanarum, sed cum silentio & simpl-
prout dicebatur in cap. *quod in te de pænit.*
remiss. sed hodiè secundùm jus novum post co-
stitutionem Bonifacij VIII. in cap. *Alma* &
con-

nsvetudine potest dici Officium Defunctorum
im Missa, antequam sepeliantur, servatis tamen
nditionibus *in d. cap: Alma* præscriptis: hoc
janius clausis Ecclesiæ, & sine sonitu campanæ
c. Quando autem cæmiterium esset extra Ec-
esiam: in loco aperto, tunc possunt officia &
issæ celebrari in Ecclesia clausis januis, & postea
eferatur cadaver ad sepulturam cæmiterij cum
entio. Ita Navar: *cap: 27. n. 176.* Ugolinus
cens: tab: 5. cap: 9. §. 2. Sylvester *V. interdi-
um V. q. 8* Suarez *d. 35. sect: 1. n. 3.* Bonac.
. 5. p. 5. n. 13.

Notandum tamen quod clerici conjugati, vel
on ferentes habitum & tonsuram non gaudent
oc privilegio sepulturæ Ecclesiasticæ tempore
iterdicti, nisi essent servitio alicujus Ecclesiæ
anquam sacristæ deputati, & actualiter illi Ec-
lesiæ, tanquam clerici deservirent, vel habe-
ent aliquod privilegium particulare concessum
summo Pontifice, vel à judice, qui censuram
ulit, vel ubi esset aliqua consvetudo introdu-
ta, & præscripta prout dicunt Avilla *p. D.
i. sect: 3. conclus: 4.* Henriquez *d. lib: 13. cap:
14. num: 4.* cum alijs supra citatis. Dixi (*Vel
abeant aliquod speciale privilegium*) ad insinu-
ndum esse multos habentes privilegia specialia
it tempore interdicti possint licitè sepeliri in
oco sacro, quemadmodum clerici & regulares,
deoque tales laici privilegiati licitè possunt ad-
nitti ad Ecclesiasticam sepulturam post mor-
m. juxta formam eorum privilegiorum: sed
hujusmodi privilegia debent esse concessa ab
Apostolica sede, quia talis dispensatio esset con-
ra jus commune: prout concessum est templa-
ijs, & illis qui eorum fraternitati sunt adscri-

pti ut patet *ex cap. privilegia, de privilegijs.* Similiter etiam conceditur à summo Pontifice illis, qui habent Bullam cruciatæ in illis regionibus, ubi talis Bulla conceditur, qui non solùm possunt assistere divinis officijs tempore interdicti localis, sed etiam post mortem possunt in loco sacro sepeliri, sicut clerici & regulares servatis tamen conditionibus in cap: *Alma Mater* præscriptis; hoc est sine pompa funerali, januis Ecclesiæ clausis, & sine sonitu campanæ. Ita Avilla *d. p 5. D: 4. sect: 3. d. 4. 5. sed major* Covarruvias *in cap: Alma p. 1. §. 2. num: 8.* Navarrus *c. 27. num: 181.* & Filliuc: *d. tract: 18. c 4. num: 93*

DUBIUM 2. *An laici habentes privilegium simpliciter concessum? ut licitè interdicti tempore assistere possint divinis officijs possint etiam hujusmodi virtute talis privilegij sepeliri in loco sacro?* ℞ *negativè.* Ratio est, nam privilegium simpliciter concessum assistendi divinis officijs, non est extendendum ad sepulturam, cùm sint inter se diversa, & unum non includit aliud, à diversis enim non fit illatio: tria enim sunt, quæ prohibentur, per interdicti sententiam absolutè latam: videlicet sacramentorum participatio, divinorum officiorum assistentia; & sepultura Ecclesiastica, qui sunt effectus distincti, & unus non includitur sub alio, ergò non est, quòd privilegium quantumvis favorabile extendatur de uno effectu ad alium, nam etiam amplissima beneficij interpretatio sub proprietate verborum contineri debet. Quare falsum est sepulturam contineri sub officio, cùm sint inter se diversa; ergo licet aliquis, mediante tali privilegio admitti possit ad divina

officia

officia audienda, non propterea ei conceditur Ecclesiastica sepultura; nihil enim est aliud sepultura Ecclesiastica, quàm participatio loci sacri post mortem: officium autem divinum consistit in aliqua publica oratione vel sacrificio, quæ fiunt in Ecclesia ad Deum colendum. Firmatur ratio à contrario sensu: Nam si quis esset interdictus à divinis officijs, & in sententia interdicti non esset, facta alia expessio aliorum effectum non esset adeò talis privandus Ecclesiasticâ sepulturâ, eò quòd à diversis non est facienda illatio: Ita è contra, quando sententia lata generaliter, & simpliciter comprehendit omnes effectus, uti supra dictum est, & explicatum; si postea facta esset concessio unius effectus, non intelligitur de alijs nisi de illis facta sit mentio; cùm ergo in tali privilegio nulla facta sit mentio sepulturæ (ut supponitur) non est extendendum ad illam. Quarè *in c. Cùm & plantare de privileg: §. Quod si.* permittinur divinum officium in Ecclesia interdicta, & negatur in ea Ecclesiastica sepultura: ex quo patet sepulturã non tantùm propter divinum officium, sed per se esse negatam. Ita Glossa in Clement: *1. de sepult:* cum alijs Canonistis, Et Covarr: *in c. Alma Mater §. 2. n. 6.* & plures alij, quæ sententia doctissimo Giełualdo videtur probabilior.

DUBIUM 3. *An saltem in illis festivitatibus, in quibus in cap: Alma Mater conceditur posse omnes etiam laicos licitè admtti ad divina officia publicè celebrata, liceat etiam tunc, absque alio speciali privilegio sepelire laicos in loco sacro? R. negativè.* Non posse licitè in eisdem solemnitatibus laicis, non habentibus speciale privilegium concedi Ecclesiasticam sepul-

turam tempore interdicti: Et ratio istorum est, quia relaxatio unius partis censuræ non supponit reliquas, nisi eas, quæ expressè conceduntur. At *in c. Alma Mater.* Solùmmodò conceditur, posse in Ecclesijs celebrari divina officia publicè pro celebrandis festivitatibus illorum dierum non autem fit aliqua mentio de sepultura, cùm non sit eadem ratio: nam divinorum officiorum celebratio conceditur pro solemnitate celebranda: sepultura autem non pertinet ad celebrationem festivitatum: ideo &c. Ita tenent ferè omnes Canonistæ in Clementina *1. de sepulturis* ut Zabarella *S. à jure q: 9.* Cornejo *in 3. p. tract: 5. de Interd: D. 3. S. 4. q. 1.* Gordonus *tom: 2. lib: 7 q. 16. cap. 4. num, 44.* Villalobos *in summ. tom 1. tr: 19. diffic: 8. num 4.* cum alijs.

DUBIUM 4. *An laicus tempore interdicti sepultus extra Ecclesiam in loco non sacro, sublato interdicto, possit exhumari & sepeliri de novo in loco sacro?* R. *affirmativè*, nam sublatâ censurâ interdicti, cessat etiam talis effectus, modò talis laicus pænitens decessisset ex hac vita, saltem cum signis contritionis & pænitentiæ: Ideoque diligenter est attendendum, ut tempore interdicti defunctorum, corpora eorum, qui cum signis pænitentiæ mortui sunt sepeliantur in loco separato ab illis, qui sine signo pænitentiæ decesserunt eo, quia illi tantùm sunt postea transferendi ad loca sacra non verò alij. Ita Innocentius *in c. Tanta de excessibus Pralat.* Hostiensis ubi Henriquez *lib: 18. cap: 44. n 5.*

DUBIUM 5. *An infantes & amantes tempore interdicti sepeliri possint in loco sacro?* R. cum distinctione: vel loquimur de interdicto lo-

cali

cali, vel personali, si primum, responsio est ne-
gativa: Nam interdictum locale, sive speciale,
sive generale reddit locum ipsum interdictum
incapacem sepulturæ Ecclesiasticæ cujuscun-
que cadaveris sive adulti, sive infantis: Si ve-
rò interdictum sit personale generale, tunc eti-
am, neque tales in loco sacro possunt licitè se-
peliri: quia etiam infantes, & amentes, in ca-
su videntur aliqua ratione esse pars illius com-
munitatis interdictæ. Quare effectus interdicti
quoad sepulturam non respicit usum rationis,
sed cadavera illius communitatis interdicti si-
ve sint adultorum, sive infantium ideòque se-
quitur, neque tales posse licitè habere Ecclesia-
sticam sepulturam durante tali interdicto: prout
dicunt Navarr: *c. 27. num:* 168. Sanchez *de
matrim: lib:* 3. *d.* 18. Suares *d.* 35. *sect.* 2.
num: 2. Henriquez *lib:* 13. *cap.* 49. *num.* 2.
Filliuc: *d. tr.* 18: *cap.* 4. *num.* 90: Si verò
loquimur de interdicto personali speciali, tunc
dicimus: infantes & amentes posse licitè sepe-
liri in loco sacro, dummodo talis locus non
sit interdictus: & ratio hujus est quia tempore
interdicti personalis specialis infantes & amen-
tes non comprehenduntur, sub tali censura, quæ
tantùm fertur contra delinquentes, qui autem
carent usu rationis culpabiles esse non possunt,
neque locus in casu est interdictus, ut suppo-
nitur ideò &c. Ita communiter omnes Docto-
res supra citati num: præcedenti cum Bonacina.
d. 5. *p.* 5. *num:* 9.

DUBIUM 6. *Interdicti tempore in quo loco
corpora defunctorum sepeliri possunt?* R. si cæmi-
terium ab Episopo adhuc non esset benedictum,
possent tunc licitè in illo, tempore interdicti
sepe-

sepeliri mortuorum corpora; vel quando non adesset tale cæmiterium non benedictum: tunc sepelienda sunt mortuorum corpora in campis, sive aliquo honesto loco; prout dicit Glossa in *Clementina prima de sepulturis verba cæmiterijs* Ita Sayrus de censuris *lib: 5. cap: 8. num: 19.* & Filliuc: *d. tract. 18. cap: 4. num: 91.*

DUBIUM 7. *Interdicti corpus sepultum in loco sacro quando abstrahendum?* R. Ex Gesualdo *p. 2. Theol: moral: tract. 19. cap: 2. pag: 28 num: 1.* Quoniam interdicti censura est multorum bonorum spiritualium pœna privativa, ideòque perpetua esse non debet, quia tunc potius in ruinam, quàm in remedium fidelium animarum resultaret; quarè nullum interdictum ab Ecclesia sancta Dei imponitur, quod relaxari & tolli non posset mediante absolutione data legitimè: & ratio hujus est, quia vel tale interdictum latum est contra aliquorum contumaciam & tunc tali contumacia recedente tollendum est: vel fiat in pœnam delicti commissi, & tunc si tempus est in censura determinatum, tempore elapso illo, cessat etiam & pœna interdicti, vel latum fuit absolutè sine temporis præscriptione: & tunc etiam peractâ pænitentiâ talis pœna est relaxanda: Ecclesia enim non intendit peccatoris perditionē; sed ut magis convertatur & vivat. Ita omnes communiter & nulla est controversia: prout doctissimè varijs rationibus probat Suarez *d. 38. sect: 1.*

DUBIUM 8. *An si quis interdictus specialiter & personaliter, si moriatur patiens cum signis contritionis, posset licitè sepeliri in loco sacro ante absolutionem obtentam?* Ratio militat pro affirmativa sententia, quia eo ipso quòd ta-

lis persona decessit è vita cum pænitentia re-
mansit absoluta à jure. Nam *in cap.* 15. *cui de
sentent: ex communicati in 6.* dicitur hujusmodi
interdictum non posse sepeliri in loco sacro
nisi pæniteat; ergò à contrario sensu si pæni-
teat, poterit licitè recipere Ecclesiasticam se-
pulturam; quia adimpletâ conditione, subla-
tum manet interdictum, quoad hunc effectum,
nè tantâ ignominiâ afficiatur post mortem. Mi-
litat etiam ratio pro negativa sententia, quæ
asserit, quòd persona interdicta in hora mor-
tis quamvis dedisset signa pænitentiæ, non po-
test tamen licitè sepeliri in loco sacro, nisi
prius sit absoluta à vinculo censuræ, quæ pote-
rit dari à suo confessario ante mortem, vel sal-
tem poterit indirectè absolvi post mortem à
prælato, declarando talem personam non esse
ampliùs interdictam propter pænitentiam osten-
sam ante mortem, & ita concedere, quòd ta-
le cadaver possit licitè in loco sacro sepeliri:
Nam censura non tollitur per simplicem pæni-
tentiam, sed per absolutionem: & ita si in vi-
ta pænitentiam egisset, non propterea talis per-
sona esset omninò libera ab interdicto, ergo ne-
que in morte: Quare intelligentia illis cano-
nis supra citati, in favorem affirmativæ senten-
tiæ est, quod si moriatur pænitens possit sepeli-
ri in Ecclesia servato debito ordine, hoc est fa-
cta relaxatione censuræ, vel ante, vel saltem
post mortem. Ita Suarez *d. 38 sect:* 1. *num:*
21. Ugolinus *tab: 5. cap, 16. §. 4.* Bonac:
d. 5. p. 5. num: 11. Jo Andreas Ancharan &
Philippus Francus *in d. cap: 15 cui de sent:
excommunic:* & Covarr: *ibi §. 1. vers: Hic au-
tem.*

DUBI-

DUBIUM 9. *Quodnam peccatum sit violare interdictum in materia Ecclesiastica sepultura:* R. cum Gelualdo *loc: cit: num: 29. cap: 1. de pecc: ac pæn: contra viol: cens interd:* Peccatum esse mortale eò, quòd sit contra censuram interdicti in materia gravi; patet hoc à pæna excommunicationis majoris imposita ipso jure: *in Clem: 1. de sepulturis* contra eos, qui in loco interdicto aliquod cadaver sepeliunt in Ecclesiastica sepultura: & si hujusmodi sepelientes sint clerici, & in actu sepulturæ exercent aliquem proprium actum pertinentem ad ordinem præter excommunicationem, fiunt irregulares propter exercitium ordinis contra censuram interdicti. Ita Suarez *de cens. d. 35. sect: 1. num: 190* & Filliuc: *tract: 18. cap: 4. num: 107.*

Advertendum tamen est, quòd hæc pæna solùm refertur ad vivos, quia in eis tantùm est culpa: nàm mortuus, qui sepelitur non est particeps ejus: ideòque non est dignus participatione pænæ: unde sequitur, quòd si defacto cadaver alicujus fidelis non interdicti specialiter, in loco sacro interdicto fuisset sepultum, sive bona, sive mala fide, non esset postea exhumandum, sed ibi relinquendum: nisi esset specialiter personaliter interdictum nominatim, quia tunc si ante mortem talis fidelis non fuisset à tali vinculo censuræ absolutus, tunc esset exhumandus prout dicunt Angelus *v. interdictum 6. num: 33.* Suarez *num: 20.* & Filliucius *loc. cit. num: 107.*

DUBIUM 10. *An & in quas pænas incurrant qui tempore interdicti, aut aliàs excommunicatos, vel interdictos vel usurarios manifestos in*

loco

loco sacro sepeliunt? ℞. cum Pignatellio *tom:* 2. *Consult:* 59. *in Clem:* I. *de sepult:* ipso facto eos excommunicatos esse, qui propriæ temeritatis ausu defunctorum corpora, non sine contemptu clavium, in cæmiterijs interdicti tempore in casibus non concessis à jure vel excommunicatos publicos, aut nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, scienter sepelire præsumant, à qua excommunicatione nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbituium diæcesani Episcopi, eis, quibus fuerit præmissa irrogata injuria, satisfactionem exhibuerint competenter. Ex quibus.

Collige 1. quòd absolutio data contra hanc formam sit nulla, propter particulam *nullatenùs* quæ importat nullitatem actûs ipso jure, Glos *in authen: si qua mulier* V. *nullatenùs* & in terminis tradit Tolet: *lib:* 1. *instr: cap:* 39. *col:* 1. Suarez *de censur: disp:* 12. *sect:* 4. *num:* 8. & Cardinal: *in d. Clem:* 97.

Collige 2. quòd à fortiori procedat contra sepelientes in Ecclesia, ut Suarez *num:* 9. cum Navarro.

Collige 3. quòd tempus interdicti intelligatur de locali generali vel speciali vel de personali generali. Suarez *loc: cit: disp:* 36. *sect:* 1.

Collige 4. quòd contineantur hic non tantùm proprijs manibus sepelientes, quod voluit Cajetan: *in sum.* V. *excommunicatio cap.* 46. Navarr. sed etiam mandantes, ut Suarez *l. cit: num:* 10 & Cardinal: *in d. Clement: num:* 28. atque authorizantes, ut parochus seu alij clerici, qui funeri præsunt, ut Lessius *de just: lib:* 2. *cap:* 20. *num:* 158. & generaliter omnes sine quibus talis Ecclesiastica sepultura non perficere-

ficeretur, ut sunt portantes feretrum, fodientes, clerici cantantes, & officium persolventes, cum cruce praeeuntes, & non impedientes, cùm impedire ex officio teneantur ut Sayr *de censur: lib: 3. cap. 35. num: 13.* cum Ugolino Alter. *lib: 1. disp: 4. cap: 3.* & plures alij. Itaque continentur omnes & soli, qui talem sepulturam procurrant vel admittunt ad illam, ut Bonifac: *in eodem Clem: n. 33. in fin: non tamen* putat Pignatell: contineri associantes honoris causâ. Less: Suarez Ugol: locis allegatis estque communis sententia, quamvis etiam associantes contineri teneat Goff. Steph: & Ancar: *in d. Clement:* Reginald· *lib 31. n. 19. & alij.*

Limitatur autem id primò, quòd post dictam satisfactionem ista excommunicatio non est amplius reservata Bonif: *ibidem num: 4.* & Cardinal: *num: 30.* Secundò, quod hodiè propter *Extravagi ad evitanda* non procedit hæc Clementina nisi interdictum, cujus tempore sepelitur, sit nominatim, denunciatum; nam aliàs non est obligatio denegandi sepulturam, Suarez *disp: 37. sect: 2. num: 5.* Et intelligitur similiter de excommunicato, vel interdicto defuncto, nominatim denunciato, vel notorio clerici percursore. Sayr *lib. 2. cap: 31. num: 9.* Navar: *cap: 27. num: 137.* Item secundùm multos doctores, similter non procedunt pœnæ contra sepelientes usurarios manifestos, nisi sint declarati, ut Suarez *disp: 31. num. 20.* Lessius *cap: 20. num: 188.* Layman: *lib, 3. tract: de contract: c. 16. num. ult:* Bonac: *eod: tract: disp. 3. q. 3. punct: ult: num: 1.* & latè probat Ugol: *de usur cap: 24. §. 8. num 3* etsi alij dicant non requiri declaratoriam, de qua in

dicta

dicta extravaganti, idest denunciationem publicam, sed sententiam specialem, seu declaratoriam in judicio de notorietate hujus criminis usurarum exercitij, & ante hanc sententiam, non esse locum pœnis prædictis ut Menoch *de arb: Cas: 335. num: 12.* & *13.* & inclinat Suarez & Filliuc l. cit: Et quòd non possit dici delictum notorium, nec pro eo procedi ad pœnas, nisi fuerit per sententiam declaratum; aut communem sententiam *Clari S. fin: q: 9. in fin:* ubi ait, sic in praxi receptum. Sed hæc doctrina Clari & aliorum quos Menochius refert, debet intelligi vera, quando agitur ad pœnas inferendas, quæ de sui natura requirunt declaratoriam, vel executoriam, id est, quæ requirunt factum hominis positivum, secùs autem in purè privativis de quibus hic agimus. Igitur alij dicunt, pœnas usurariorum procedere & ligare ante omnem declarationem, seu denuntiationem: quia extravagans. Ad evitanda loquitur de ijs, qui vitandi essent ratione sententiæ seu censuræ, non autem de vitandis ratione criminis notorij. Ita tenent Sylvester v. usura *q. 44.* Nauar: *capt 17. num: 281.* Molina *tom: 2. disp. 334.* & plures alij apud Pignatell: *loc: cit. num: 3.* circa finem & hæc est communior sententia. Solùm autē requirit Pignatell: declaratoriā judicis, vel setentiam, quando ratio notorij posset esse dubia, ut latè distiguit & Conciliat Mascard: v, notorium *conclus: 1106. n. 11.* ubi ait notorium facti permanentis facilè posse excludere omne dubium, secùs in notorio juris.

DUBIUM 11. *An Clerici seculares, ac regulares, quicunque admittentes ad sepulturam interdictos, vel excommunicatos, vel quoscunque*

in loco

in loco interdicto, incurrant interdictum ab ingressu Ecclesiæ? R. cum Pignatellio *loc cit: n.* 4. *affirmativè*, qui fundatur in cap: *Episcoporum de privil: in 6.* ubi cautum est, nè seculares aut regulares quantumcunque exempti, vel privilegiati scienter celebrent, aut celebrari faciant divina in locis interdictis ab ordinarijs, vel delegatis, vel à jure, nisi quatenùs à jure conceditur, & ne interdictos ad divina officia, & Ecclesiastica sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui verò contra præsumpserint, præter alias pænas à jure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ordinarij, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter. Hæc autem constitutio est contra omnes Ecclesiasticas personas tàm seculares, quàm regulares exemptas tantùm, non autem contra alias non exemptas ut de communi testatur. Navar: *cap:* 77. *num:* 157. Suarez *de censur: disp:* 37. *sect.* 4. *num. ult.* Jo. Andr: contra Glos: ibi ac Barbosam *eo loco num.* 3. ac Sayr *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 11. & 34 qui dicunt illam particulam *quantumcunque privilegij vel exemptionis &c.* esse ampliativam, non restrictivam ad illos solos. Ex quo apparet, quòd ratione hujus transgressionis exempti fiunt, de foro Episcopi. Jo. Monach: *n.* 3. & Jo. Andr: *num. item* 3. atque sic poterit Episcopus illos punire pro arbitrio. Non poterit tamen eos excommunicare si habent privilegium ut non possint excommunicari nisi à Papa. Jo Monach *d. num* 3. Et hæc quæ concernunt nostram materiam sufficiant.

§. XII.

Quoad sepulturam corporum servorum Dei.

DUBIUM I. *An corpora eorum, qui cum opinione sanctitatis decedunt sepeliri possint sub altari, aut ejus scabello suppedaneo?* ℟. Negativè, constat ex Concilio Vasensi relato in Can: *præcipiendum 13. q. 2.* ibi: *Intra Ecclesiam verò & prope altare ubi Corpus & Sanguis Domini conficitur, nullatenùs sepeliantur.* Quod extat in Concilio Naunatensi *Can: 6. alias 11.* ex quo citatur à Burchardo, & Ivone. Quoniam hic honor est ex illis, qui secundùm consvetudinem Ecclesiæ tribui solet Sanctis, quibus jam Ecclesia concessit venerationem: Decedentibus autem cum fama sanctitatis non solùm non concedit venerationem, sed etiam prohibet omnia illa, quæ sunt signa venerationis, ut patet ex decretis Urbani VIII. *de beatif: & canoniz: servor: Dei.* Quod si aliqui ante dicta decreta reperiantur tumulati sub altari, vel ejus peduli sunt extrahendi Quia decreta prohibent continuari signa exteriora venerationis Undè in alio loco debent collocari. Hinc autem est, quòd altare erectum supra aliquod sepulchrum non potest consecrari. Quod procedit etiamsi in eo nemo sit sepultus Si autem quispiam sepultus sit, extrahendum est ejus cadaver, sive ossa, & cineres, & replendus locus, sicut etiam debet repleri, etiamsi nemo ibi fuerit tumulatus. Ita statuitur in Can: *non oportet de consecr: d. 1.* & tradunt communiter Glos. *ibidem* D. Antoninus *3. p. tit: 12 cap: 6. §. 9.* Piasec *in praxi p. 1. cap: 5. n. 1.* Gauant *in Manual Episcop: V. altare num: 9.* Et ita pluries

declaravit S. Congregatio super Episcopos nominatim verò in Interamnen *die 13. septembris 1503.* nempè *altaria sub quorum pradellis cadavera sunt sepulta, licet propterea consecrationem non amittant, debent tamen interdici, donec dicta cadavera, vel altaria ipsa in alium deferantur locum.* Ratio autem est, quia tumulari sub altari est quædam declaratio sanctitatis, nam est honor, qui non tribuitur nisi sanctis ab Ecclesia canonisatis. In primitiva enim Ecclesia ad sepulchra sanctorum, præcipuè martyrum & super ossa eorum veneranda, erigebantur altaria, ut scilicet sacrificium, quòd offertur Deo, redundaret etiam ad ipsorum gloriam. Nam & Apocal: *cap: 6.* D. Joannes scribit se vidisse animas occisorum sub ara. Quem locum D. Augustinus *serm: 11. de sanctis:* interpretatur de visibili ara, dicens: *videte autem quem locum martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altari meruerunt.* Eademque ratio est, quoad pedule, quia cùm hujusmodi scabellum sit altaris, est particeps honoris altaris. Undè etiam qui sepeliuntur sub scabello trahuntur ad participandum honorem altaris. Et ideò si quis sepeliretur sub altari vel ejus peduli, tribueretur ei honor, qui tribui non potest absque judicio Sedis Apostolicæ *ut ex cap: audivimus de reliq: & vener: Sanct.* Itaque sepulchri ostium tribus cubitis distare debet ab altaris peduli adeò, ut ipsum sepulchrum pedulè non attingat.

DUBIUM 2. *An in sepulchris servorum Dei apponi possit aliquod signum insolitum, ad dignoscendum quod ibi sint sepulti?* R. *affirmativè,* cum Pignatell: *tom: 4. consult: 48. n. 3.* Ratio est, nam cùm via regia virtutis & veritatis in medio posita sit adeò, ut sicut ad dexteram, ita ad sinistram declinare nefas sit, ideò licet corpora

servo-

servorum Dei, qui cum fama sanctitatis obierunt, publicè venerari non possumus, quia id prohibent decreta sedis Apostolicæ, quibus crimen est non obtemperare, ipsa tamen deterioris conditionis, quàm corpora eorum, qui sine ulla sanctitatis fama obierunt, nunquam esse debent. Hoc enim esset contra pietatem ac venerandam antiquitatem, qua ex Apostolica traditione in Ecclesia Catholica semper observatum, & custoditum est, ut inter horum atque illorum corpora sit aliquod discrimen.

Quarè Dionysius Areopagita *de Eccles: Hierarch p. 1. cap: 7.* loquens de utroque genere defunctorum: *non est*, inquit, *sacris profanisque commune, verum & utrorumque vita est species varia, ita ubi in morte cessat.* Rationemque diversitatis adducens, ait: *Casta sunt virorum sanctorum corpora. cum quibus una & vita mortalis iter egerunt, simulque certarunt pro sacris sudoribus suis, ut Christi effecta membra beatam recipiant quietem.* Quod si hoc modo non discernerentur, injuria ipsis sanctis irrogaretur. Unde paulò post infert: *injurijs ut reor, quantum in se est, afficientes, corpora, qua cum sanctis animabus laborarunt, sacrisque retributionibus parū honestè privantes qua ad finem Sanctissimi cursus pervenerunt.*

Dionisium omnes seqvuti sunt Patres ac usus semper discernendi hos ab illis in Ecclesia inolevit, nec unquam privatus cultus fuit prohibitus. Unde Bellarm: *in libello* contra Anonymum qui hunc cultum improbat, *capit inquit*, hæc consvetudo Apostolorum tempore. Deferebantur enim semicintia & sudaria à corpore Pauli super ægros, ut scribit Sanctus Lucas Lucæ *cap: 19.* & inde per universalem Ecclesiam, hoc pietatis genus propagatum est, neque Cōcilium Lateranense pro-

hibuit privatum reliquiarum cultum, sed publicum tantùm, ut ipsa verba per se fidem faciunt. Et paulò infra increpando Anonymum ait; *certè neque pium neque tutum est cum Sanctis Viris, quamvis nondùm Canozatis bellum gerere.*

Dices, Ex judiciali accessu ad sepulchrum alicujus servi Dei non solùm constare debet de Observantia Constitutionis B. Pij V. jubentis *§. 6.* ut capsulæ omnes, & deposita &c, super terram existentia, omninò amoveantur, &c. & defunctorum corpora in tumbis profundis, infra terram collocentur, quam hodie servandam esse docent Lauor *lucubr: orat: tit: 2. cap: 8. n. 2* & propterea depositum capsæ servi Dei non est locandum in cavitate proxima pavimento, sed in tumolo profundo; verùm quod amplius est, neque more insveto, relictâ scilicet fenestella cum crate ferrea, & tabula desuper mobili, ad hoc ut inspici, ac venerantium oculis subijci possit. Sicut observatur in reconditorijs sanctorum, quamvis Concil: Triburiense celebratum sub Formoso anno *895. cap: 17. tom: 7.* Concil: Binij *p. 1. pag: 151.* jusserat, corpora in Ecclesia sepulta condi sub pavimento, nullo tumulorum vestigio apparente, cujus decreti meminit Beli. *in repet: Can: nullus mortuus n. 1. q. 2.* ac ideò novissimè sancitum sit Concilo Mediolanensi 1. *tit: de sepult* quod locus sepulturæ humi tantùm detur, & sepulchrum, in quo cadaver condetur, opere fornicato cum reliquo Ecclesiæ pavimento æquatum sit. Ex hujusmodi ergò signis insolitis aut vestigijs, non solùm diversitas manifestè indicat ibi esse monumentum cujusdam servi Dei, sed etiam ut semotâ tabulâ, facillimè illius corpus intueri possent satagentes ei cultum, ac venerationem exhibere, ac proinde committitur contra in decreta Urbani VIII. prohiben-

hibentia, ne aliquid venerationem & cultum præseferens, & indicans apponatur in sepulchro defuncti cum fama sanctitatis *libel decret pag.* 3. & 8. Eò vel maximè, quia paria sunt peccare in verba legis, vel obliquè niti contra ejus mentem *l. non dubium* 5. Abhorret enim à forma sepulchri quævis detectio, cùm esse debeat undique occlusum, ita ut corpus defuncti nulla ex parte inspici possit. Unde in cap: *abolenda* 13. *de sepult.* dicitur effodi sepultura, ut in ea cadaver occultetur sub imo terræ. Nec immeritò, quia terræ & cadaveris contubernium non debet esse divisum, cùm naturæ sit consentaneum, ut simillima conjungantur. Quapropter reddenda est terra terræ, ut homo qui terra est, revertatur in terram, Can: *in Ecclesiastico* 13. q 2 ac proinde humillimè sunt funerandi ij, qui non sunt relati solemnitèr in sanctorum numerum.

Sed ex his, facilis est objectionis solutio petitæ ex aliquo signo insolito, seu fenestella in pavimento terræ relicta ad probandam existentiam corporis alicujus servi Dei tumolo seclusi, ex qua possunt excitari fideles ad petendam tabulæ apertionem, & sepulchrum inspiciendum.

Primò, quòd ex hoc possibili non probato, nihil potest inferri ad condemnandum de transgressione decretorum postulatores. Quoniam ad condemnationem non sufficiunt probabilia, verisimiliavè, sed probanda est formalis transgressio, & quidem concludentissimè, quia ad probandum delictum, quale est contumacia in literas Apostolicas, requiruntur probationes, sole clariores.

Secundò, demus etiam, quòd aliquis devotus Dei servi inspiceret privatim ejus sepulchrum, quodnam malum esset, dum cultus privatus, ut sæpe diximus, non est prohibitus? concedamus

enim apud aliquem virum pium, esse reliquiam cujuspiam servi Dei, privatim asservatam, & aliquis devotus illam peteret videre, osculari, imò privatim venerari, ad infirmum deferre, illique preces effundere, seque illi commendans, est ne hoc illicitum prohibitumve? sane ex his, quæ gesta sunt adhuc viventibus Apostolis erga sudaria Pauli, non videtur prohibitum; quæ igitur major ratio de privata sepulchri inspectione?

Tertiò, si non posset apponi signum aliquod ad dignoscendum sepulchrum servorum Dei ex possibili, ut fideles excitarentur ad venerationem, sequeretur quòd aliorum corpora essent melioris conditionis. Quia hoc idem argumentum valet de quocunque signo. Ponamus enim non adesse tabulam in sepulchro alicujus servi Dei, sed lapidem cum inscriptione simplici. Ex hac possent excitari fideles ad devotionẽ servi Dei. Quod igitur non denegatur ijs, qui sine fama sanctitatis obierunt, denegaretur servis Dei, eorumque corpora in loco ignoto deberent sepeliri, atque occultari.

Quartò, si tolleretur omnis cultus privatus, actum quidem esset de canonizatione Sanctorum. Quia totum pene illius fundamentum consistit in fama sanctitatis, & miraculorum, quæ per inquisitionem in genere probatur, & sine qua non potest procedi ad inquisitionem in specie. Quomodo enim probabitur fama sanctitatis & miraculorum, si nullus actus externus venerationis erga servos Dei potest exhiberi, cùm sciamus, quòd de internis & occultis Ecclesia non judicet: quomodo probabitur frequentia sepulchri, devotio, invocatio? & quomodo ex decretis Urbani VIII. committetur inquisitio super prædictis ad probandam famam sanctitatis, si postea, illis probatis, obstarent canonizationi, & ex ijs inferreretur argumentum prohibens ad ulteriora procedi?

Quintò, nos agimus de servis Dei, qui obierunt cum fama sanctitatis & miraculorum ideòque statim post eorum mortem licita est privata devotio. Unde Joannes Baptista signiùs inhærendo Dyonisio Areopagitæ, & communi Sanctorum Patrum sensui, quorum longum recenset catalogum *c. 6. de reliq. & venerat: sanct:* concludit in hæc verba: *hæc autem de illis dicta sunt, quorum merita in vita claruerunt. Horum enim corpora statim post mortem venerationem meruerunt.* Et licet ibi promiscuè de cultu publico & privato loquatur, & scripserit ante decreta Urbani, nihilominùs rectè infertur, quod etsi publica sublata sit veneratio, privata tamen mansit & manet.

Sextò, Ecclesia militans debet concordare cum triumphante juxta illud Exodi 25. & docent communitèr Doctores in hac materia, speciatim Malumet *dub. 1. n. 2.* Castellan *q. 1.* Cassan *in catolog: glor: mundi p. 3. consid. 46.* In triumphante autem Deus honorat animas sanctorum & operatur etiam multa miracula, ad eorum corpora & reliquias. Ergò etiam in militante, saltem privatim eorundem corpora venerari & colere debemus. Est argumentum Thomæ Uualdensis *de sacram: tom: 3. tit: 4. cap: 124.* Neque Urbanus huic divinæ dispositioni officit, immò id pro fundamento suorum decretorum ponit sub initio suæ constitutionis, *cælestis Hierusalem*, & ideò se declarat subdens: *nos, qui tantummodo volumus occurrendo abusibus, qui irrepere videbantur, certiorem parare viam, ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divina clementiæ placuerit, admirandis operibus illustrare.* Ecce quod summus Pontifex vult tollere tantùm abusus, qui irresperant, ex publico cultu, non autem præcludere viam ad probandam eorum sanctitatem; quæ sanè præcluderetur, si omninò cultus privatus obstaret.

Neque obijci potest, quod hic cultus sit publicus, ideòque prohibitus secundùm illorum opinionem, qui publicitatem à loco vel à personis desumunt. Quia præterquam quòd communis Doctorum sententia est, quòd cultus publicus sit ille, qui exhibetur à persona publica, vel nomine Ecclesiæ. R. quòd hæc opinio, quatenùs etiam admitteretur, habet suam latitudinem & restrictionem. Non enim potest convenire omnibus communiter, aliàs esset sublatus omnis cultus pravatus, quia non posset exhiberi cultus ullus privatus servis Dei coram aliquo, seu aliquibus, & sic non posset fieri aliquis actus externus, qui per testes probari posset, ac cessarent probationes factæ. Igitur cultus privatus alicui servo Dei exhibitus, stante illius sanctitatis fama, & informatione juridicè ac legitimè sumpta, non potest moram illius causæ inferre, neque proindè illius memoria debet aboleri, sed potius pro instructione, Ecclesiæ ac fidelium promoveri debet.

Ex eisdem fundamentis respondetur, ad obiectiones de pictura, antiphonis & orationibus. Quia hæc omnia tendunt ad privatam venerationem, cùm ex ijs non probetur aliquis cultus publicè exhibitus, sed privata devotio privatarum personarum. Ad convincendum enim de contumacia postulatores, opporteret probari ipsos in suis Ecclesijs, vel in alijs locis publicis sibi subiectis, hujusmodi picturas, elogia Beati vel Sancti, & orationes atque antiphonas pro veneratione tenere ac respectivè recitare. Et quatenus etiam hæc atque id genus alia veneratione redoleant juris esse arbitror ipsas privatas personas punire, non verò causis servorum Dei cunctationem moratoriam nectere.

DUBIUM 3 *An sanctorum corpora & reliquiæ sint*

sint cultûs gratiâ servãda, & solemni cultu sepultura tradenda, & adoranda? ℞. *affirmativè*, & est de fide, nàm colligitur ex scripturis ubi Genes: 50. & Exodi 30. ossa Patriarcharum Iacob & Ioseph leguntur fuisse solemni cultu sepulturæ tradita & speciali veneratione conservata *Deuter ult.* & ex antiqua tradttione refert Epiphanius *Haresi* 9. Angeli creduntur sepelivisse corpus Moysis. & *Act: 8.* legimus â viris timoratis fuisse Stephanum sepulturæ traditum non sine honore & planctu. *Probatur assertio*, quia motis fuit semper in Ecclesia, ut corpora, & ossa eorum virorum, qui vel sanctitate fuerunt insignes, vel martirij palmâ celebres in honore & veneratione haberentur, à cæteris fidelibus: Hinc Cornelius Papa ut liquet *ex Epist: 1.* singulari cultu ac veneratione à cathacumbis transtulit corpora SS. Apostolorum Petri & Pauli ad ea loca in quibus martyrium fuerunt passi; & refert eorum reliquias ab eo tempore quo fuerunt passi, magna semper fuisse cum veneratione servatas, qua ratione S. Hieronymus contra Vigilantium hujus meminit cultus & ait, summos Pontifices consvevisse super reliquias SS. Apostolorum Deo sacrificium offerre, & die noctuque coram eis jugiter splenduisse accensa luminaria. Viguit itidem mos iste in Ecclesia Constantinopolitana; ad quam singulari veneratione & cultu fuisse translatas tempore Constantini magni reliquias S. Andreæ, Lucæ, & Timothei, testatur Hieronymus contra Vigilantium. In Antiochena Ecclesia corpus S. Ignacij martyris in magna fuisse habitum veneratione â primis Ecclesiæ fidelibus refert Evagrius *lib: 1. cap. 16.* hoc idem de sancto Meletio narrat Sosomenus *lib: 10. cap. 12.* Jtem caput S. Joannis

Baptistæ in Alexandrina Ecclesia summo cum honore ac veneratione diu fuisse servatum, refert Ruffinus *lib. 2. cap. 28.* In Hispania etiamnum reliquias servari magno cultu & veneratione S. Iacobi Apostoli, & religionis causa Campostellam confluere ex dissitis Europæ partibus fideles, ut reliquias venerentur Apostoli, quotidiano comprobatur experimento. Reliquiæ itidem SS. Dionisij, Martini, & Hilarij singulari cultu, & veneratione conservantur, & adorantur in Gallia: ergò ex universalis Ecclesiæ traditione, & consensu constat SS. reliquias semper habitas fuisse in veneratione & honore. SS. Patres unanimi consensu etiam censuerunt hunc cultum sacris esse reliquijs exhibendum. Quia verò nimis prolixum foret singulas SS. Patrum hîc attexere sententias ab illis abstineo, posset etiam nostra assertio firmari ex signis & miraculis, quæ per sanctorum reliquias veluti per divina organa Dei omnipotentia effecit, ut earundem adoratio comprobaretur, etenim 4. *Regū cap. 10.* Ossa Elisæi mortuum ad vitam revocarunt, *Act: 19.* Sudaria Pauli pristinæ sanitati gravi morbo detentos restituebant, & spiritus nequam ex obsessis corporibus expellebant. Quinimo etiam Petri umbra infirmis sanitatem dedit, & reliquia S. Stephani visum cæcis restituit. ut ait Aug: *lib. 22. de Civit: Dei cap. 8.* Alia similia miracula per sanctorum reliquias perpetrata leguntur passim in Ecclesiasticis historijs.

Ratio hoc nobis etiam svadet, quia corpora sanctorum, in martyribus tormenta, vulnera, ignes, & alia id genus fuerunt pro Christo passa; in sanctis Confessoribus, dolores, mortificationes, infirmitates, macerationes, virium destitu-

ſtitutiones, defectiones, flagellationes, cilicia, lacerationes, & alia ſimilia ſubierunt. Tùm quia fuerunt templa animarum ſanctarum, & futura ſunt conſortia æternæ beatitudinis, in qua in honore erunt, nunquam perituro: ergò ob habitudinem, quam ſanctorum reliquiæ dicunt ad ſanctos ſpiritus dignæ ſunt cultu & veneratione: majorem enim cum ſanctis animabus habent reliquiæ conjunctionem, quàm imagines, quæ tantùm repreſentant ſua prototypa; undè à potiori propter excellentiam ſanctorum & habitudinem ad illam ſunt reliquiæ in veneratione & honore habendæ: præſertìm cùm eas honorificè conſervare, & ſubmiſſè colere ſigna ſint amoris erga ſanctos, & excitent ad devotionem erga illos; ergò ſi ſacræ imagines dignæ ſunt veneratione ob excellentiam prototypi, á fortiori ſanctorum reliquiæ erunt cultu dignæ. Sed.

Dices 1. Cum hæreticis blaterantibus reliquias ſanctorum & eorum corpora non eſſe digna veneratione & cultu: quia ipſemet Chriſtus *Luca 11.* Judæos reprehendens dixit: *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum* & Matth: 23. æquiparat Phariſæos ſepulchris dealbatis eò, quia in extima facie aliquid præſeferant pulchri & elegantis; & interius plena ſint fætidis mortuorum oſſibus, indicans hujusmodi oſſa immunda eſſe ac propterea nullâ digna veneratione. ℞. Chriſtum judæos reprehendiſſe, eò quia ædificaverint monumenta Prophetarum in approbationem ſcelerum, quæ à ſuis majoribus fuerunt perpetrata: duplici enim ex cauſa poteſt ſepulchrum de mortuo conſtrui, primò, miſericordiæ vel honoris cauſâ circa defunctum, Secundò, in memoriam operis ab infectore

sectore patrati, quasi in erectione sepulchi honorificum ponatur monumentum: qui hoc posteriori modo sepulchrum ædificat apertè testificatur secum sentire operibus interfectoris; & quia hoc modo judæi visi sunt sepulchra ædificasse Prophetarum, ideò meritò à Christo reprehenduntur, ait enim Lucæ 11. *Væ vobis qui ædificatis sepulchra Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini, quia eorum operibus consentitis.* Hæc autem reprehensio nullo pacto referibilis est ad eos, qui reliquias adorant sanctorum Quod etiam Christus *Matthæi 23.* comparaverit Pharisæos sepulchris dealbatis, quæ intùs sunt plena ossibus immundis, hæc comparatio nil obest reliquiarum cultui; quia Christus usus fuit illâ metaphorâ, ut Pharisæorum indicaret hipocrisin; non tamen dixit Christus, ossa omnium mortuorum esse immunda, nec posse interdum coli.

Dices 2. Concilium Elibertin: *can: 34.* expressè prohibet accendi cereos ad martyrum sepulchra: ergò quia censuit eorum ossa non esse ulla veneratione digna, utpote inanimata, & honoris incapacia. ℟. quòd prohibuit Concilium Eliberti cereos accendi ad martyrum sepulchra, ex eo, non ut cultum abrogaret sanctarum reliquiarum, sed ne tali ceremonia fideles convenirent, cum ritu Ethnicorum quod ægrè ferebant plures viri timorati ob periculũ scandali apud rudiores: ait enim Concilium illud, *cereas per diem placuit in cæmiterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt* Ubi Concilium per sanctos spiritus non intellexit animas mortuorum quia istæ sive beatæ sint, sive in purgatorio detineantur; non possunt accensis cereis apud nos perturbari; unde Concili-

um per sanctorum spiritus intellexit fideles viventes accedentes ad sepulchra mortuorum, quorum spiritus per talem ceremoniam perturbabantur, eò quia videretur aliquid commune habere cum ritu gentilium: hi siquidem ut refert Suetonius in Tibero *c. 98.* consueverant ad sepulchra defunctorum faces accendere. Quod si Concilium per sanctorum spiritus animas intellexit mortuorum. R. fuisse usum metaphoricè illo verbo *inquietandi*, quatenùs displicet sanctis; si homines aliquid superstitiosum præstent in eorundem honorem; iu quo sensu Ambrosius *lib: 2. epist: 8.* loquens de quadam defuncta dixit: *Non esse mæstificandã lachrymis sed orationibus*: unde probabile est, Concilium tunc prohibuisse illam cæremoniam, eò quia aliquid fortassis in eadem irrepserit de ritu, & errore gentilium; in quo sensu Concilium dixit non esse sanctorum spiritus inquietandos, eò quia ipsis displiceat, ritibus superstitiosis honorari. Cæterùm cessante omni periculo superstitionis ceremonia hæc accendendi cereos ad sepulchra sanctorum in eorundẽ cultum mala non est, sed honesta & religiosa, cùm ordinetur ad divinum honorem, & ad excitandam devotionẽ, & amorem in fidelibus erga sanctos ut explicat Augustinus de moribus Ecclesiæ *cap.* 39. ubi eos reprehendit qui ad sepulchra martyrũ epulas deferunt, reprehendit siquidem excessũ, & superstitionẽ, eò quia luxuriosissimè super tumulos biberent, & exquisitas epulas cadaveribus præberent.

Dices 3. In reliquijs sanctorum, quod superest, est sola materia prima, præsertim in eorundem cadaveribus vel ad summum juxta probabilem opinionem remanet eadem quantitas cum aliquibus accidentibus, quæ non sufficiunt, ut

ossa

ossa sanctorum adorentur, alioquin essent digna cultu, si converterentur in vermes, quia adhuc maneret eadem quantitas: absurdum est autem asserere, vermes dignos esse cultu: ergò sanctorum reliquiæ non sunt in veneratione, nec in honore habendæ. Has ob rationes negant hæretici sanctorum reliquias esse adorandas, & à fidelibus honoficè custodiendas. Auctor hujus hæresis juxta D. Hieronymum Epist: ad Riparium fuit Eunomius, cui adhæsit Vigilantius, sed ante Eunomium refert Træneus *lib: 3. cap: 20* Gnosticos contempsisse martyres, & eorum reliquias flocci fecisse, & in hoc imitati fuerunt judæos & Samaritanos; qui humana cadavera abominabantur. Ab hisce putidis fontibus suos hauserunt errores, etiam Lutherani, Calvinistæ, Zwingliani, & quotquot hujus furfuris homines inficias eunt sanctorum reliquias esse cultu & veneratione dignas. ℟. ergò ad hoc argumentum dupliciter. Primò, juxta mentē Scoti, quòd dicebatur in sanctorū reliquijs non manere nisi materiam primam, in sententia enim Scoti & cōmuniori præter materiā primā manere formam substantialē ossium, adeò ut in cadavere sint eadem numero ossa, quoad materiam, & formam corpoream, quæ erant antea, cùm corpus informaretur animâ, licet tunc forma ossium, respectu animæ fuerit partialis, & subordinata: & in hac sententia facilè satisfit objectioni, explicaturque, quomodo reliquiæ sint veræ, ac reales partes corporum sanctorum, ac proinde cultu & veneratione dignæ: ℟. secundò, juxta mentem D. Thomæ, nàm si velimus sententiæ adhærere D. Thomæ. & negare has formas partiales, substantiales, ac proindè in cadavere non remanere nisi materiā primam, ex præcedenti corpore animato, adeò ut in


sepa-

separatione animæ à corpore producatur nova forma cadaverica, adhuc R. cum eodem D. Thoma, has reliquias sanctorum esse adoratione, & cultu dignas, quia in hac sententia non considerandæ reliquiæ metaphisicè quoad prædicata constitutiva talis compositi; nec physice ratione talis formæ; sed moraliter, quatenùs in reliquijs sanctorum manet habitudo ad sanctos: sicut enim imagines propter habitudinem ad prototypa, quæ repræsentant adorantur adoratione respectiva, ita etiam reliquiæ sunt dignæ adoratione respectiva, & cultu, propter habitudinem quam dicunt ad sanctos, quorum sunt reliquiæ. Cæterum hæc habitudo est quædam dignitas, quæ tamdiu durare censetur, quamdiu sanctorum reliquiæ sub tali forma, figura, & accidentibus conservantur; adeò ut moraliter, seu in hominum æstimatione censeantur esse eædem, quæ ad tales sanctos pertinuerunt, adeò ut quamdiu reliquiæ conservantur in eadem dispositione, figura, & accidentibus, quam habuerint, quando à tali persona, seu anima fuerunt separatæ, vel non multùm ab hoc statu immutentur, censeantur dignæ cultu, & veneratione respectiva, quia tunc eandem retinent habitudinem. Quod si reliquiæ ita corrumpantur, ut non amplius servent eandem formam, figuram, & accidentia, ut quando in ijsdem generantur vermes, tunc amittunt illam habitudinem, quâ constituebantur reliquiæ adorabiles, proindè non sunt amplius cultu dignæ; quo pacto vermes, & alia animalcula, quæ possent ex reliquijs oriri non coluntur, quia hæc non censentur esse eliquiæ sanctorum. Cæterum reliquiæ sanctorum eadem adoratione entitativè sumpta coluntur, quâ adorantur ipsi sancti, ut dicunt Theologi de imaginibus, quia licet reliquiæ sint in re ipsa separatæ à personis, quarum dicuntur reliquiæ, mente tamen apprehunduntur ut quid conjunctum cum ipsis ratione habitudinis & relationis, quam dicunt ad ipsos sanctos, adeò ut formaliter adoratio reliquiarum sit respectiva, eò quia istæ adorarentur propter excellentias sanctorum, & eadem adoratio entitativè sumpta, ut terminata ad ipsos sit absoluta, ut declarant Theologi de adoratione imaginum: totus enim hic cultus reliquiarum fundatur in excellentia illius sancti, cujus sunt reliquiæ, sunt enim istæ inanimatæ, ratione carentes, propterea nec cultu, nec hono-

honore dignæ sunt per se absolute, sed tantùm respe-ctive propter excellentiam sanctorum. Hinc reliquia-rum cultus honestus est, ac religiosus fundatus in excellentia personæ sanctæ ad quam principaliter re-fertur; quapropter Sanctus Hieronymus *in cap: 40. Ezechiel:* narrat de se ipso: quòd cùm adhuc puer Romæ immoraretur, nil magis ei cordi fuerit, quàm diebus festis, & præsertim dominicis sepulchra invisere Apostolorum, ac martyrũ cultûs causâ, & Ruffinus *lib: 3. Histor: cap:* 33 refert, Constantinum magnum coram Apostolorum sepulchris, ac martyrum thecis jacuisse cilicio tectum, & humi prostratum venerationis causâ. Ob hunc eandem habitudinem reliquarum ad sanctos fit, quòd contemptus reliquiarum in sanctorum redundet injuriam, & quòd reliquiæ sint res sacræ ac propterea earundem venditio simoniaca censeatur ut constat ex cap: *Cum ex eo* de reliquijs & veneratione sanctorum. Et hæc in præsenti Theologia practica, dicta sufficiant; Quæ omnia S. M. Ecclesiæ censuræ, & piorum virorum rectè sentientium correctioni libenter subijcio.

Finis Tertiæ Partis.

Soli Deo Honor & Gloria, & mihi peccatori, in articulo mortis, miseratio per Dei gratiam.



INDEX PRACTICARUM PARAGRAPHORUM ET DUBIORUM. TERTIÆ PARTIS,

Dub:

§. III.

De inhabilitate ad ordines causâ mortis, de homicidio voluntario.

§. IV.

De consulente homicidium.

§ V.

De auxiliantibus vel cooperantibus ad homicidium.

§. VI.

De irregularitate & homicidio, vel mutilatione causâ defensionis propriæ vitæ, vel alienæ, ab injusto aggressore.

Dub:

§. VII.

De irregularitate ex homicidio facto ob defensionem rerum temporalium.

§. VIII.

De irregularitate quæ oritur ex chirurgia, seu medicina exercita.

§. IX.

De Irregularitate, quæ incurritur ob voluntariam mutilationem illicitam.

§. X.

De Irregularitate ex mortis acceleratione, seu de irregularitate orta ex homicidio casuali.

§. XI,

De Irregularitate, quæ contrahitur ex defectu perfectæ lenitatis,

lum

PRACTICA VIII.
De Bello publico.
§. I.
De Irrégularitate orta ex delicto, ob bellum injustum, & iustum.

§. II.

De his qui in bello se exponunt periculo mortis.

§. III.

De militibus qui in bello vitam suam exponunt periculo mortis.

Dub:

Dub:

sie

PRACTICA IX.

De bello privato idest duello.

§. I.

De his qui in duello vitam suam, periculo mortis exponunt.

§. II.

De malitia duelli.

do

§. III.

De personis iuvantibus duellatores

muni-

§. IV.

De multis aliis, qui periculo mortis, suam vitam exponunt.

PRACTICA X.

De Matrimonij Sacramento.

§. I.

INDEX
§. I.
De dissolutione spōsalium causâ corporis viciati, vel alterius morbi.

§. II.

§. II.

De matrimonio, quoad articulum mortis.

§ III.

Quoad metum causâ mortis.

Dub:

possit

§. V.
Quoad debitum reddendum.

§. VI.

Quoad impedimentum criminis, idest machinationis in mortem alterius conjugis.

Dub:

§. VII.

Quoad divortium.

Causâ sevitiæ, insidiarum vitæ, & morbi.

Dub:

 §. VIII.

§. VIII.

Quoad impedimentum ligaminis causâ mortis conjugis.

uxor

PRACTICA XI.

De testamento.

Ab ægroto vel moribundo faciendo.

§. I.

Quoad quidditatem & divisionem.

§. II.

Quoad eos qui possint, vel non possint testari.

§. III.

Quoad heredes, qui institui vel non institui possint.

§. IV.

Quoad causas exheredationis.

jngra-

§. V.

Quoad valorem.

§. VI.

JNDEX
§. VI.
Quoad revocationem.

§. VII.
Quoad obligationem heredis.

rum

§. VIII.

Quoad Executores.

Dub:

§. IX.

Quoad inventarium conficiendum.

Quæres

§. X.

De Legato.

Quoad mentis interpretationem testatoris in Legatis.

hone-

§. XI.

§. XI.

Quoad Religiosos & Religiosas:

hil

§. XII.

De legato,

Quoad Episcopos.

Ad dubium hoc pag: cit: hæc valet responsio pro non exemptis, non autem pro exemptis regularibus, damus enim manum adversarijs, quod juxta Concilium Trident: *sess: 22. cap: 8. de reformat: init* ubi dicitur: *Episcopi etiam tamquam sedis Apostolicæ delegati, in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, sint exequutores.* Cum hoc tamen, regulares non subduntur ordinario in reddenda ratione exequutionis ultimarum voluntatum. Quia stante plena exemptione non subdun-

PRACTICA XII.

De Sepultura CHRISTI fidelium mortuorum.

§. I.

Quoad sepulturam materialem.

Dub:

INDEX

§. II.

Quoad electionem sepulturæ & ejus valorem.

ejus

§. III.

Quoad libertatem sepulturæ.

§. IV.

Quoad Novitios.

§. V.

Quoad obligationem ſepulturæ.

§. VI.

Quoad ritus ſepulturæ.

§. VII.

Quoad eos qui Ecclesiasticâ sepulturâ privari debent.

§. VIII.

Quoad quartam funeralem.

§. IX.

Quoad jus sepulturæ.

§. X.

Quoad probationem sepulturæ.

§. XI.

Quoad sepulturam tempore interdicti.

vel

§. XII.

Quoad sepulturam corporum servorum Dei.



Tertiæ Partis,

Menda		*(ſic)*	*Emendæ*
ſinterquos	*pag:*	32.	inter quos
alidantur	*pag'*	41.	allidantur.
moris		44.	mortis
tali		53.	tale.
accuſatur		78.	excuſatur.
imponat		82.	impingat.
cauſum		90	caſum
procurandam		102.	procurandum
apeteret		106.	appeteret
perſe		108.	per ſe
tam		129.	tamen
meritò		131.	marito
erta		166.	certa
obdiendum		*ibid:*	obediendum
cuiliqet		210.	cuilibet
poſunt		211.	poſſunt
retione		215.	ratione
dominum		216.	dominium
in caſtellata		217.	incaſtellata
dirippientes		210.	diripientes
effactum		231.	eſſatum
ſalutio		238.	ſolutio
dedi		238.	dedit
Patrer		235.	Pater
oritu		238.	ritu
ibidinem		243.	libidinem
anima divertiuur		296.	animadvertitur
ſimulates		250.	ſimultates
Eſſculenta		250.	eſculenta
Aſceſenum		260	Aſteſanum
ineundem		292.	ineundum
à pejori		295.	à priori
decidentes		300.	decedentes
Potificibus		304.	Pontificibus

Tertiæ

Tertiæ Partis

Menda	*(sic)*	*Emendá*
ſupervinxerint	306.	ſupervixerint
deforritas	312.	deformitas
ſpciealiter	337.	ſpecialiter
De Diſpenſatione	335.	de Diſſolutione
o	339.	ob
Peterit	339.	poterit.
varitate	342.	raritate.
aemque	379.	eamque.
ſolecеſmus	383.	ſolеciſmus.
obſervando	388.	obſerando.
Gotium	388.	Getium
damum	410.	damnum
dubitum	419.	debitum.
permenſtrua	ibid.	per menſtrua.
talen	ibid.	talem.
necet	483.	nocet.
alius	477.	illius
dirimereret	474.	dirimeret.
pepiculo	494.	periculo
intolerabis	495.	intolerabilis
congis	503.	conjugis
virifimilitudinem	505	veriſimilitudinem
Apertio	626.	Aſſertio.
inſticutirne	546.	inſtitutione
Filiafamilius	553.	Filiafamilias
Canononones	557.	Canones
ſupeſluis	558.	ſuperſluis
in rationabilis	558.	irrationabilis
acquiſiſtis	558.	acquiſitis
pauperam	561.	pauperum.
diſtribure	562.	diſtribuere
quod	563.	quo.
invictus	568.	injunctus
ſpuro	575.	ſpurio.

ogitur

Tertiæ Partis

Menda	(sic)	Emenda
ogitur	pag. 579.	igitur
requisisti	590.	requisiti
in astris	598.	in castris
rugatus	608,	rogatus
disponeue	618.	disponere
renumeratoria	619.	remuneratoria
illia	662,	alia
oblationem	623.	obligationem
defficiat	641.	deficiat
necearijs	641.	necessarijs
ogligant	642.	obligant
extinctare	648.	extinctâ re legatâ.
vicimus	650.	vicinus
quid	660.	quòd
Nicolaus	664.	Nicolius
aureus	668.	aureis
trudit	678.	tradit
disipaverit	688.	dissipaverit
ingenere	692.	in genere
cnosilio	699.	consilio
Nicolaus	713.	Nicolius
ingenere	718.	ingerere
Horactio	720.	Horatio
latore	727.	à latere
Coadjatur	736.	coadjutor
inservirunt	740.	inservierunt
prægnas	748,	prægnans.
suppo	749.	supponitur
igitur	761.	agitur.
interminis	768.	interminis
coatione	778.	coactione
elidenda 7.	780.	eligenda
alimentrrum	788.	alimentorum
defenctus	803,	defunctus

Tertiæ

Tertiæ Partis

Menda	(*sic*)	*Emenda*
forentium *pag:*	809.	forensium
dedecit	814.	dederit
emnatas	834.	emanatas
compediator	840.	compendiator
mimariem	849.	memoriam
interdicum	859.	interdictum
expessio	863.	expressio
permittinur	*ibid:*	permittitur
anantes	864.	amentes
abituium	869.	arbitrium
tumolo	876.	tumulo
pauatus	880.	priuatus
notis	881.	moris

Cæteros verò errores, editio ipsa ex se prodiet sed lectoris erit non nihil arti remittere, quæ errorum est, ferax, ut perdoctè adnotavit Aloysius Novarius *in fine indicis Electo sacro in edit: Venet:* anno 1626. per hæc verba: *non aberrant, qui errorum matrem cudendi artem vocant; est enim tam facunda Nulla ferè tam magna diligentia, tam accurata correctio, quæ omninò subripere ab hac labe libros queat.*


JAGELLONICAE

